I.

DEFENSIO

CATHOLICAE DOCTRINAE

DE S. TRINITATE PERSONARVM IN VNITATE ESSENTIÆ DEI,

aduersus Samosatenicos errores specie inanis philosophiæ in Polonia exundantes, & libello comprehensos,

Cuius hæc inscriptio:

Præcipuarum enumeratio causarum, cur Christiani cùm in multis religionis doctrinis mobiles sint & varij, in Trinitatis tamen retinendo dogmate sint constantissimi.

Opera FRANCISCI IVNII Biturigis.



HEIDELBERGÆ,

CIↃ IↃ XCII.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO Dn. NICOLAO NARVSSEVVICIO, CASTELLANO SAMOGITIÆ, Capitaneo Vszpolensi, &c. in magno Ducatu Lithuaniæ, Domino gratiosissimo; Gratiam & pacem a Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.

QVVM *his paucis diebus, Illustris & magnifice Domine, quidam mihi fuisset oblatus Samosateni, Serueti, aliorumque errorum cento, horrui totus ex animo, & vehementer affectus sum maximis de causis atque grauissimis. Nam primùm venit in mentem mihi pietatis & religionis illius, qua Deo opt. max. obstricti sumus, essentia vnico, personis trino, Patri, Filio, & Spiritui sancto, vt de ipso non cuiquam alteri quam ipsi, habeamus fidem. Cùm enim Deum (vt verbis vtamur Christi) nemo viderit vnquam, id est, neque his oculis corporeis, quibus & mures & talpæ vident videnturque, neque illa acie mentis, qua res spirituales cernuntur in spiritu, ratione vlla perceperit aut possit percipere: cùm homo naturaliter de essentia Dei cogitans solùm possit assequi, non quid sit, sed quid non sit Deus; cùm denique id omnium quamuis sapientissimorum hominum, experientia, confessione, doctrina, exemplo, nobis inde a mundi conditu sit exploratissimum: non possunt profectò homines suæ naturæ & rationis luce vnquam eò contēdere, quin duobus scopulis allidant simul maximo suo & aliorum periculo, dum pro vera tenebrosam ostentant lucem. Nam & altissimum scopulum offendunt maiestatis Dei, humilius de eo quàm par est sentientes; & in abditissimum rationis suæ naturæque infeliciter impingentes, plus sibi scientiæ arrogāt, quàm vniuersa ratio nostra comparare, aut natura habere possit. Quæ duo quàm sint exi-*

tialia, tum ipsa docet Natura singulos, tum nemo ignorat, qui ad naturam ipsam & communem vsum seculorum omnium, ac huius maximè nostri, attenderit. Tum venit in mentem mihi ratio diuinæ illius, & cælestis cōstantissimæque veritatis: ad cuius formam illam admirabilem & augustissimam quoties respicio; ne illud quidem satis mirari possum, qua fide aut fronte mortales in mendacio nati, & falsis mendacibusq; rerum inuolucris in omni genere circumdati, tam multa sibi & rationi suæ ad cognitionem eius certò audeant assumere. Nam (vt nihil dicam de veritate, quæ est Dei, & Deus ipse est, ad quam non potest homo aut res vlla creata per se, maiestati illius conuenienter, assurgere) vnicam esse constat in vnaquaque re & certissimam veritatem: quam quidem veritatem non simpliciter ex se, sed ex rebus compositis, aut earum analogia; non in se, sed in rebus; non puro intellectu, sed multiplice ratione & rationis vsu, quam ratiocinationem dicunt; non rectâ sed per errores & anfractus multos; non planè, sed ex parte: nō in rebus omnibus, sed in quibusdam solùm cognoscimus, dū corpori alligamur. Est enim sua in rebus naturalibus, sua in factis siue historiis, sua in disciplinis, sua in supernaturalibus veritas: in illis transiens; in his simplex & constans; in diuinis per se constantissima. Atque hæc ipsa veritas vsque adeò vna est, vt omnium hominum consensu verum non sit, nisi vnicum; & illud vnum dicatur esse, quod verum. Eademque non vno modo in omnibus inest, sed suo in generibus singulis: quod ratione humana compertum est. Quo indignius ferendum est non dico iudicium, sed furor potius eorum hominum, qui infinitam illam & ἀκατάληπτον maiestatem Dei comprehendere se putant, angusta illa, errabunda falsa ratione sua, & per modum rerum creatarum (qui totus diuersus est) definire posse. Tum etiam incessit mentem meam contemplatio Ecclesiæ, quæ optimè in

Scripturis sacris Domus Dei viuentis, columna & basis veritatis illius appellatur, nostraque omnium communis mater: de cuius propugnatione singulos pios & fideles Dei seruos religiosissimè opus est laborare; præsertim his miseris temporibus, quibus ille communis aduersarius salutis nostræ innumerabiles spiritus erroris ad probationem electorum Dei, & subuersionem miserandam multorum excitauit. Quod enim tam necessarium officium, tam honestum, tam vtile, tam gratum Deo, Ecclesiæ, bonis futurum est, quàm si domus Dei a domesticis ipsius secundum Deum propugnetur, columna & basis veritatis adminiculo ipsorum fulciatur, & matrem pij defendant filij? Taceo de fide, taceo de salute nostra, quæ cum his rebus omnino est coniunctissima, & cuius tenendæ causa omnem moueri lapidem a singulis, si sapiunt, necesse est. Sed quid ego de Polonia vestra dicam? in qua regione etsi iamdiu luculentissimam cælestis verbi sui facem gratiosè accendit Deus, & eamdē prætulit, præluxitq; doctissimorum hominum ac fidelissimorum seruorum ministerio; tamen non desinit Satan suas densissimas tenebras effundere, fumumque oculis imperitorum obducere perniciosissimum, ne videant salutariter quod verbo vitæ misericorditer exhibet & ostendit Deus. Etenim eo ampliorem & luculentiorem a Deo opt. max. gratiā adepti sumus, quò magis vera fide animoque cernimus puritatem illius verbi, & cælestem gratiam illius in renouatione vera spiritus mentis nostræ percipimus. Hoc verbū lux est in qua nos oportet ambulare, & tenebræ non sunt in eo: hoc verbum lignum est ἄκαπνον (quod veteres dixerunt) ex quo nos oportet accendi, & fumus non est in eo. Hanc ergo puritatem illius verbi salutaris sic toto animo agnoscimus, vt quicquid istarum tenebrarum nobis, quicquid fumi obijcitur, id non esse in illo, sed extra illud; non ab illo, sed foris aduenire; nō per illud, sed per extera gigni,

ali, atque foueri sentiamus. Qui contrà sentiunt, ij tenebras suas quibus mens offusa est velut vmbra mortis, & fumũ quo acies obtunditur, iniquißimè verbo lucis & puritatis adiudicant. Quamobrem intoleranda est illorũ hominum ἀχαριστία, qui tenebras suas vocant lucem, vt lucem diuinam, quasi tenebrarum suarum obiectu obruant: quibus dirum illud væ, nisi resipuerint, a Deo per Esaiam

Esaiæ 5. Prophetam prædicitur. Nam vbi lux diuina, obsecro, & prælucens ad rerum diuinarum scientiam exstare potest, nisi in Deo, & vbi eam deposuit Deus? & vbi tenebræ, nisi extra Deum, & in ijs rebus creatis quæ sibi extra Deum affingunt lucem? Est enim princeps tenebrarum, qui abdicata impie sua origine a Deo discessionem turpissimam fecit, omniáq; tenebris suis obruit plusquam Cimmerijs & Ægyptiacis. Est mundus in densißimis tenebris positus: qui sic quidem expositus est diuinæ luci, vt omnia & singula in eo Deus prouidentia sua sustentet, seruet, regat, & ordinet: sic tamen expositus principis sui tenebris lethalibus, vt quotquot sumus in hac vita, aut nihil, aut parum lucis diuinæ illius a natura queamus percipere. Est caro in nobis tenebrarum interiorũ subiectum, exteriorum illex; quæ nihil commode eorũ potest sapere, quæ luce diuina in omni loco, tempore & modo per munificentiam summã illius exhibentur. Est peccatum in nobis depascens carnem, vt hedera parietem; mentem obscurans, & voluntatẽ nostram a vera luce abripiens, tamquam vnco lictor aut carnifex, studijs suis prauis & aduersantibus voluntati Dei, & nunquam finem faciens tenebras & fumos inexsuperabiles excitandi, adeò

Ioann. 1. vt in verbo veritatis tenebræ appellemur. Hoc principe, hac sede, hoc subiecto, hoc lictore qui vtimur, vel potius qui nos ad horas & momenta singula præbemus istis rapiendos vt nobis miserè abutantur, nihil est quod gloriemur, nisi in Deo nostro: vt qui Deum non luce mundi, aut nostra, sed

luce

luce diuina eius cognoscimus, qua nos in Filio suo illustrauit. Hanc certã fidei nostræ gloriationem toti gloriæ mundi & speciei illius præferimus: in hac conquiescimus: in hac de salute nostra & communione æterna cum Deo confirmati, ceruicibus erectis ambulamus. Atque hæc quidem cælestis diuinaque lux per Dei gratiam in florentissimo illo vestro Poloniæ regno præluxit iamdiu; & multorum fidelium Dei seruorum opera, sudore, sanguine diffusa est: quorum non fuit inanis labor in Domino, neq; futurus est. Sed vt primùm maxima illa & incomparabilis Dei gratia cum summa libertate in medium producta est: sic e diuerso princeps tenebrarum stipatus angelorum suorum manu, & filij tenebrarum summa licentia diuinam illam gratiam, prostantem omnium commodo, statuerunt oppugnare, & præsidium pertinaciæ suæ ad tenebrarum suarum defensionem acerrimam propugnationemque admouerunt. Sic motæ fluctuant (proh dolor) multorum imperitorum mentes, & diffidentia quadã præcepta adipiscendi veri, aut ad temerariam præsumptionem opinationemque ineptam, aut ad desperationem miserandam, aut ad contemptum abominabilẽ pietatis omnis & religionis deducuntur. Quid ergo his hominibus faciamus? Primum quidem illud est & potentissimum, vt Deus ipse faciat diuinum suum opus, & manu sua (quæ sola per se salutaris est) medicetur eos: quam ad rem nos quoque fraterna charitate ductos precibus opus est succurrere. nam spiritalibus morbis efficacem non potest quisquam, nisi spiritalis medicus facere medicinam. Deinde verò secundarium illud est, quòd cùm summus ille medicus infirmitatum nostrarum, Christus, de medio hominum instrumenta elegerit & sanctificauerit, eorum saluti qui adhuc in via hærent, per verbum Euangelij profutura; quòd inquam nos eo duce, certaque fiducia benedictionis eius (nam fidelis est qui promisit) in opus salutis publicæ,

priuatimque tempestiuè & intempestiuè inuigilare & insudare necesse est. Atque hanc quidem necessitatem iamdiu viderunt boni quamplurimi in Polonia vestra, & se in hoc certamine fortiter fideliterque gesserunt; quorum nomina in cælis scripta sunt, & in Ecclesiis apud omnes pios sunt ἀοίδιμα. Talis etiam est hoc tempore fortissimus ille Christi miles & S. Trinitatis propugnator acerrimus D. Andreas Volanus, cuius officia in tanta rerum perturbatione diligentissima Deus probat, exteri celebrant, vestri percipiunt, dolent ἑτερόδοξοι. Tales boni aliquot & fideles serui alij in domo Dei, quorum suauis me afficit & reficit persæpe recordatio. Horum autem sanctis laboribus quid ego possim adijcere? Equidem mihi istud non arrogo, vt aut præ illis aliquid mihi videar adferre in hanc causam posse, aut sine illis debere. Sed quia non infrequenter videmus accidere, vt fortissimos quoque athletas, & auxilia iuuent, & acclamationes confirment: nolui committere, quum libellus iste mihi oblatus esset, vt ij ipsi qui obtulerũt bonorum nomine, desiderarent qualecunque auxilium meum: & saltem id futurum duxi, vt iuuentur aliquo pacto imperiti hoc labore meo, fortes vero administri Dei faustis meis acclamationibus accendantur. Atque hæc quidem occasio, hic finis suscepti huius laboris mei. Modum iam explicabo paucis. Mihi enim de hoc morborum ac infirmitatum genere, quibus abundat & circumfluit nostra, cogitanti videtur idem, quod peritis quibusque Medicis in sua arte video placuisse. Primùm enim de humore corrumpẽte vident, quàm ex arte instituant quicquam: hoc cognito, operam dant vt humorem debellent arte, quo infirmatur natura corporis: ac tum demum ad confirmationem deueniuntur illius. Hunc ordinem cum natura & ratione conuenientissimum, apud istos homines, Samosatenos, Arianos, alios, vtiliter iudicaui seruari posse. Nam homines illi sunt:

& in

& in via sunt, sed errantes & multos sibi adsciscunt in errore comites. Inest autem miseris istis hominibus tamquā exitialis humor, tumor rationis humanæ abreptæ inani philosophia, & specie veri isq; humanæ sapientiæ: quamuis in transcursu vnum aut alterum Scripturæ locum non raro vellicent, ne sine Christo aut Scriptura (quod vel imperitis foret odiosum) videantur esse. Hic fons, hæc origo morbi; quæ in isto quoq; libello deprehenditur manifestissimé. Hoc itaque explorato, modum curationis ex modo morbi arbitratus sum adhibendum. Nam etsi per Dei gratiam ex vtroque Testamento locos de hac quæstione potui (quod facile est) adducere: quum tamen istorum hominum malum introspexi penitius, id primum statui curādum esse quod mentem ipsorum occupat; & quia ratione humana intumescunt, ex ijs ipsis principiis quæ natura docet & approbat, falsas esse ipsorum hypotheses & argumentationes demonstraui. Quod malum si purgari & eximi potest, vt ne amplius ita sint præfidentes, neque sapiant in oculis suis, & omnia arrogent luci naturali suæ: tum verò futurum nullo fermè negotio illud alterum spero in Domino, vt abiecta illa inani falsaq; præsumptione, ad imbibendū verbum salutis salutariter adducantur: quam rem nunquam facile diuerso ordine nos quidem assequemur: Solus assequitur, præstat, & perficit, quum placet, Deus. Hanc autē meditationem & defensionem doctrinæ catholicæ, Illustris & magnifice Domine, visum est Illustri M. tuæ, multis de causis exhibere. Primùm enim celebratur a bonis T. M. pietas singularis, studiumq; veritatis huius diuinæ, quam profitemur, tuendæ atque propagandæ: quam si hoc meo labore non adiuuero, saltem velut acclamatione longinqua a me laudari facilè patientur boni. Tum etiam exemplum istud T. M. laudabile apud omnes exstare, permagni interest, vt eo ædificentur & confirmentur quoscunque Deus ad vi-

tam æternam vocauerit, per veram cognitionem ipsius. Præterea nobis non est incognitum, quantopere in regionibus finitimis grassetur & insolescat Satanas, virus illud suũ impiè & scelerate, vbicunque rimari potest, infundendo in mentes hominum rationis & veritatis specie: a quo malo & integrũ te seruasti constantißime, & tuis caues prouidentißimè, quamuis omnia circumstent & circumsideant te incommoda doctrinæ sanæ aduersantia. Postremò etiam animaduerto iamdiu, quanti referat in hoc tempore, vt quæ scripta de veritate diuina piè sunt tradita, ea viris Principibus sint commendata, & ab illorum cõmendatione gratiam aliquam & quasi aditum commodum, vbiubi est opus, assequantur. Tuam itaque Illustrem M. oro summisso animo, vt quicquid est audaciæ in hoc facto meo τῆς προσφωνήσεως, pro sua clementia & humanitate condonet: quicquid est veritatis, adscribat Deo veritatis & promoueat ad gloriam ipsius: quicquid denique est operis mei, id T. M. accipiat vt suum, eoque bonos vti perinde ac suo munere patiatur. Illustris & magnifice Domine, Deũ oro fontem omnis boni, vt Ill. M. tuam ab omni malo vindicet, confirmet in omni bono, incolumẽ seruet quam diutißimè, totumque sanctificet ad gloriam sui nominis, & communem ædificationem in Christo. Heidelbergæ Kal. Aprilibus anno salutaris illius ἐνανθρωπήσεως CIↃ.IↃ.XC.

T. Illustr. M.

Seruus studiosissimus

Franciscus Iunius.

Ad auctorem libelli qui inscribitur, Præcipuarum enumeratio causarum, &c.

DVo a te peto, Samosateniane, quisquis es: nam etsi te aliquo pacto nouisse videor, tamen ex te malim cognoscere: vnum, vt edas palàm nomen tuum, si te porrò non pudet istius doctrinæ, qua chartam maculauisti, & mentes bonorum cupis inficere: alterum, vt sine fuco ac fallaciis explices, tune ille ipse sis Antinomus, qui ante annos paucos per manus studiosæ iuuentutis argumenta illa XXII sparsisti, contra Mosen & creationis historiam, quæ cum sua confutatione anno superiore a me fuerunt edita. Aut enim fallor plurimùm, aut tu idem es scriptionum istarum auctor: quæ cùm sint dissimillimæ, auctorem habent sui simillimum, nec vlla in doctrina stabilem. Ad hoc saltem posterius te obtestor per Deum viuum & Dominum Iesum Christum, vt mihi & bonis respondeas, si vnquam illud didicisti, quod vulgo dicitur, Cum bonis bene agier. Deus misereatur tui, & dum adhuc es in via, animæ tuæ in perniciem ruenti miserrimè, gratiam faciat propter nomen suum in Filio æterno suo. Amen.



MVLTI *mirantur, cur omnium quæ vnquam fuerunt, sunt, & forte erunt, religionum vnica Christiana in tanta inconstantia versetur, tot dissecta in sectas quot enumerari vix queant; quarum maxima quæque in maximo constantissima errore cernatur. Sed hi mirari desinent, considerata hominum nostram religionem tractantium qualitate: nimirum quæ efficit, vt qualis quisque est, talis sibi bona esse doctrina videatur, & in talem, si liceat, sacras literas sensum interpretetur; non secus quam (Aristotele teste) qualis quisque est, talis ei finis esse videtur: vt in auaris, iracundis, ebriosis videre est, qui talem iudicant bonum esse finem, quales sunt ipsi. Quales autem ij fuerint, a quibus auidissime receptum, comprobatum, & prosemina tū est Trinitatis dogma, nemo ignorat, nisi qui ipse quoque huius est erroris tenebris circumfusus. Eos enim maxime omnium fuisse constat imbutos consuetudine colendi multitudinem deorum, cum maiorum, vt Iouis, Apollinis, Martis; tum etiam minorum, vt Castoris, Pollucis, Cereris, Liberi, Proserpinæ, Dianæ. Ex hoc ergo vberrimo deorum fonte, & innumeri sancti, tanquam minores inuocandi dij, & tres etiam diuinæ personæ, veluti maiores dij adorandi, in orbem Christianum profluxerunt.*

ORTHODOXVS.

Istius sermonis tui, o Samosatene, animaduerto duas esse partes: πρόβλημα, siue rem quæ in controuersiam vocatur (vt tu quidem ais) multorum iudicijs; & solutionem problematis. De vtroque non hominis odio, sed diuinæ veritatis studio communisque salutis, quæ a Deo vno demonstratur & est, videbimus.

Primum omnium pergratum illud est quod ex te

audio *vnicam religionem Christianam* esse. Hoc enim perinde accipio atque si diceres, vnicum esse salutis auctorem Deum, vnicam viam ad Deum, vnicam doctrinam salutaris viæ,& vnicum corpus doctrinę, Scripturam sacram. Nec illud exagito quod a te dicitur, *vnicam religionum omnium quæ vnquam fuerunt*, &c. Nam etsi religio vnica est, aliæ non sunt, sed dicuntur esse; tamen id facile concedo communi doctorum & indoctorum vsui, vt eæ quoque appellentur religiones quæ non sunt nisi specie, opinione, & nomine. Id me in bonam partem accipere & communis vsus, & officium charitatis imperant, ne dicamur rixas verborum in consensione rerum commouere. Sed in tuo problemate duo sunt, quæ (si amans tuæ salutis es) facile patieris a me reprehendi; affirmatio tua, & ars accedens affirmationi.

Affirmationis tuæ (quam ego quidem tam miror abs te dici, quàm alios mirari narras) tria sunt capita quæ periculose, ne quid dicam grauius, de Christiana religione prædicantur: vnum, eam *in tanta inconstantia versari* vt dici non possit: alterum, *in tot sectas dissectam esse quot enumerari vix queant:* tertium, *maximam quamque sectam in maximo constantissimam errore cerni.* Si enim Christianam religionem ex animo agnoscis & colis, vt videri vis, cur ista, obsecro, de Christiana religione dicis? Vnicam esse dicis, & tamen inconstantem, in sectas dissectam, errabundam. Si vnica; aut non est inconstans, aut si inconstans cœpit, desijt esse vnica. Quod autem in sectas (vt ais) dissectum est, vnicum esse qui potest? Et vt sectas demus in ea esse, (quod absit)

ſit) maximam quam voces, a te peruelim explicari. Nam ſi religio vnica eſt, in re vnica quid inuenias maximum ? ſi accreſcunt ſectæ, eæ non ſunt de religione vel te ipſo teſte. Agnata ſunt vitia hæc, non innata bona. Deinde maximam ſectam quum dicis, ambiguum eſt. Maxima eſt aut dignitate præſtantiaque, nempe quæ cum vnica religione habet conuenientiam; aut ſectantium numero. Vtram voles, elige. An maximam dignitate ? at ea eſt vnica, ſiquidem religio vnica, quod modo dicebamus. An ſectantium numero ? at ea non poteſt eſſe conſtantiſſima: tum quia error varius, multiplex, & inſtabilis eſt, tum quia (vt tu ipſe mox agnoſcis) quot capita, tot ſenſus in tanta errantium hominum multitudine. Amplius dicam, quod forte miraberis: etiam ſi hoc ſpectes, ſectantium inquam multitudinem; tamen doctrinam illam catholicam, cui poſt illudis, ſi antiquitatem, conſenſionem, vniuerſitatemque reſpexeris, & maximam eſſe numero ſectantium, & conſtantiſſimam. Quis enim error ſemper, & vbique, & apud omnes obtinuit ? aut quis obtinuit tamdiu? Video iam quid dicas, te non de religione Chriſtiana veraque, vt in ſe & per ſe eſt; ſed de religione vt eſt in hominibus, id eſt, quæ ignorantia, infirmitate, malitiaque hominum contemperata eſt, agere. Bene eſt, accipio dictum: ergo o Samoſatene, non religio Chriſtiana; ſed homines religionem ſectantes, hi demum ſunt inconſtantes, diſſectique, & erroribus diffluunt. Cur vitium humanum religioni diuinæ adſcriberes? Religio enim hæc diuina eſt, a DEO allata hominibus, vnicam viam ad Deum inſiſtens, vnicam viæ ſalutaris doctrinam continens,

& in vnico Dei verbo expressam, id est, in Scriptura sacra. Quod si de hac re nondũ credis Scripturæ satis, id saltem puto Aristoteli tuo dicenti credes: & hominem certe Aristoteleum oportet credere. Quum enim doctrinam summe diuinam affirmat omnium esse honoratissimam & pretiosissimam (hæc autem summe diuina est , quam idem nesciuit) ex notione communi te docet singularem hanc, quod religio nostra scripturis sacris comprehensa, omnium sit maxima. Hoc te dare dices, & ita videris verbis sequentibus. De hoc igitur, si conuenit, satis.

De arte videamus. Illud profecto non paruæ artis est, quod illa omnia quæ modo perstrinximus, mente damnas, fronte dissimulas; dum Christianæ religioni sic impingis, vt *multos mirari* dicas. Non tu scilicet miraris, sed multi. Tu ergo id ita esse statuis; nec miraris, quod mirantur alij. Vtra, quæso, tolerabilior conditio est ? eorumne qui esse putant & mirantur quod putant; an vero qui rem persuasi esse, tanquam censoria virgula instructi eam mirari desinunt, & pro auctoritate iudicant ? Id vtrique hominum generi commune est, quod rem ita se habere, vt dicis, putant; cum se tamen aliter habeat, vt ante ostendimus. Sed quod illi putant, propterea mirantur, quia sic opinio est illorum : tu quod putas propterea non miraris, quia scientiam inesse tibi huius rei iudicas, & qua auctoritate scientiam rerum, eâdem auctoritate ius tibi statuendi de eis adiudicas. O miseros, inquies, qui commune istud malum vident & mirantur. Certe miseros, quia non satis vident: at miseriorem te, Samosatene, qui te supra quam illos & alios omneis videre iudicas qui Deum dilexerunt & qui ab eo sunt
1Cor.8.2 cogniti. An vero nescis quod ait Apostolus ? Si quis
sibi

ſibi videtur aliquid ſcire, nondũ quicquam nouit ſicut oportet noſſe. Quin potius attendis ad illumqui te æque Samoſatene, atque nos tam blande admo net per miſerationes Dei æternas in Chriſto? dicens, per gratiam quæ mihi data eſt, edico cuiuis verſanti in ter vos, ne ſapiat ſupra quam oportet ſapere, ſed ſapiat ad ſobrietatem, prout cuique Deus partitus eſt menſuram fidei. Hoc te, hominem non illiteratum, decuit pietatis & modeſtiæ officium: quo ſi nobiſcum certare voles, gratias agemus Domino: ſi non, conſtantes tamen in iſto humilitatis opere vigilijs, precibuſque verſari ſtatuimus: Deumque oramus vt non nobis ſolum, ſed tibi alijsque omnibus eandem mentem indere, & virtutem dignetur addere. Rom. 12.

Tranſeo ad ſolutionem, quam adfers, problematis. Et quia te ſyllogiſmis delectari video, vt te & alios moleſtia liberem, contraham ſyllogiſtice ſolutionem tuam.

Qualis quiſque eſt, inquis, *talis ei bona doctrina videtur eſſe, etiam in religionis noſtræ tractatione, quæ ipſius qualitati reſpondeat:*

Qui autem iam olim verſati ſunt in tractatione religionis noſtræ, fuerunt cultores πολυθεότητος *vel multitudinis deorum, eoque malo imbuti.*

Illis ergo, vt πολυθέοις, *bona doctrina de tribus perſonis diuinis viſa eſt.*

Hæc ſolutio tua: cuius partes tibi videris belle adornare auctoritate, & exemplis pro tuo more adhibitis. Quapropter ſingulas enunciationes eius ordine expendemus; poſtquam ex tua ipſius enunciatione argumentationem contrariam adduxero.

Qualis quiſque eſt, talis ei bona doctrina videtur eſſe: quæ ipſius qualitati reſpondeat:

Doctrina autē diuina neminis hōinis qualitati respōdet:
Doctrina igitur diuina nemini homini videtur bona.

Secundum enunciatum aut distingue,aut nega: nihil effeceris. Distinguere te nolle scio,qui toties animalis hominis conditionem a Paulo expositam non dubitas in os nobis obijcere. Negare si placet, Aristotelem ipsum confodies, qui hoc confessus est non obscure 1. Metaphysic. 3. sexcentis auctoritatibus, innumeris exemplis reuinceris, ipsa denique rationis luce, quā facis maximi. Sed ad tua redeamus.

Propositio tua (vt vocant) maior, a nobis vltro indulgetur tibi: Etsi hoc te ex hac ipsa propositione tua,velis nolis,oportet cedere,in religionis nostrę doctrina hominis statum distinguendum esse. Quid ni vero facias, cum ille tuus Aristoteles fecerit, dicens scientię diuinę non alium quàm Deum aut diuinum hominem scientem esse? Statum ergo duplicem hominis agnoscas decet, si te eiurare non decet illum præceptorem tuum: vnum hominis, quâ homo, cui res diuinæ minime sapiunt: alterum hominis, quâ θεοδίδακτος, cui res diuinæ sapiunt pro mensura donationis Christi. Audis,Samosatene, an non? Audies profecto, si homo es, si Aristotelem audies, si præfidentia mentem tuam, vt auaritia, iracundia, ebrietas mentem illorum quos in exemplum statuis, non occupauerit.

Ibidem,

Assumptio, vtcumque a te grauiter coloretur, & pro imperio adiudicentur tenebris qui a te diuersum sentiunt, falsa est,in Deum,in veritatem,in sanctos & diuinos illos viros,a quibus veritatem hausimus, contumeliosa. Taceo quod *Trinitatis dogma errorem* vocas, qua de re postea videbitur; item quod orthodoxi homines *huius erroris tenebris circumfusi* sunt.

De

De re ipsa dico affirmate: Deus, veritas, & homines pij condemnantur hac enunciatione tua: Deus, quia tradidit dogma de se. veritas, quia vnica illa est quam Deus tradidit: pij, quia Deum tradentem & veritatem sibi ab eo traditam eiusmodi fide & religione acceperunt, probauerunt, ac proseminauerunt, vt eorum æmulari exoptem negligentiam potius, quàm obscuram & ingratam diligentiam tuam. Est autem iniqua tua ista condemnatio duobus modis: & imperfectione, quia pars dissimulatur veri, & falsi prædicatione. Imperfecta est propositio tua, quia de tractatione agis solummodo religionis nostræ, de ortu principioque taces. Tu vero, philosophe, non es nescius in rebus Physicis prius de principijs, ortu, & generatione agi rerum naturalium, quàm de constitutione: cur in rebus diuinis locum de ortu principioque dissimulas? Nec enim tuus ille Aristoteles earum principium Deum esse negat. Dogma autem de Trinitate dogma diuinum est, & a Deo vero profectum omnium idolorum ἀνῆϑέων, & idololatriæ inimicissimo: vt tota Scriptura clamat, tota Ecclesia, gentes quoque omnes re expertæ, ore confessæ sunt: quod in Apologetico Tertullianus grauiter asserit. Hic principium est dogmatis quod damnas: in cælo fons est huius dogmatis, diuina veritas, in terris nitidissimus riuus ex eo fonte ducitur, Scriptura sacra. Tune riuum conturbando fontem suppressurus es? Negabis te diuinum quicquam supprimere: humana commenta & interpretationes procul abijcere. Atqui hoc rei caput est: Etenim nos quoque negamus commentum humanum esse Trinitatis dogma, ab interpretatione humana profluere. Diuinum dogma est: in Deo sic est vt dicit: in Scriptura sic dicit vt

est. in Ecclesia sic creditur vt Scriptura dicit, quia sic Prophetæ, sic Apostoli, sic sancti homines acti Spiritu Dei docuerunt. Negas? mille sunt probationes ad manum, quas palpare potes si oculis non potes cernere, in Scriptura sacra, in Patrum, in hominum nostrorum scriptis: & nos breui, si Deus volet, locos Scripturæ de eo argumento coaceruabimus, in lucem Ecclesiæ causa edituri. Hoc principio omisso, perfecta esse non potest propositio tua: nec perfecta igitur argumentatio.

Verumtamen, vt ad alterum locum veniamus, id ipsum quod dicitur falsum esse, in propositione ista tua affirmamus. Negamus *eam fuisse hominum qui religionem nostram tractabant qualitatem*, quum eam tractauerunt. Nam si de ijs qui ediderunt Scripturam loqueris, Prophetis & Apostolis, hos vero negamus fuisse imbutos consuetudine colendi deorum multitudinem: nam Iudæi fuerunt omnes gente: quam gentem ab idololatria hac constat longissime abfuisse. Testis Scriptura, historici, poëtæ, omnes. Si de ijs qui editam Scripturam sunt interpretati, & doctrinam a Prophetis Apostolisque receperunt (vt tu loqueris) comprobauerunt, & proseminauerunt, ne hoc quidem tibi affirmanti vel iurato sumus credituri. Quid ergo? partim negamus, partimque distinguimus propositionem tuam. Negamus ad illos omnes pertinuisse consuetudinem πολυθεότητος: quid enim hoc ad eos qui a pueris & inde ab Apostolorum tempore imbuti sunt Christiana fide? quid ad Irenæum, exempli causa, qui puer apud Polycarpum fuit in Asia? Deinde vero qui consuetudinem istam πολυθεότητος imbiberant, eos iniuria afficis elencho tuo: nam fuerant quidem ante imbuti illi nefaria illa con-

consuetudine; sed ante quoque ex animo eidem cõsuetudini renunciauerant, quam ad tractationem rerum sacrarum aggrederentur. Antequam nouissent Deum ex Scripturis eius, fuerant ἄθεοι, vt Paulus ait, Ephes. 2.
siue πολύθεοι, vt vulgus: ex quo autem nouerunt Deum, ἔνθεοι vixerunt scripseruntque. Exemplo esto Iustinus ille Philosophus & Martyr Christi, quem hoc tuo telo cupis transfodere, vt alios viros sanctissimos prisci illius ac venerandi seculi. Fuit ergo ille, fuerunt alij cum illo idololatræ, & non fuerunt: sed diuerso tempore: qui idololatræ quum essent, Trinitatem nesciuerunt; quum desiissent, didicerunt atque docuerunt. Quid hoc est, o Samosatene, nisi illudere est? Et eo quidem illudis magis, quod audacter non vereris de illis asseuerare, *maxime omnium fuisse imbutos consuetudine colendi multitudinem deorum.* Maxime omnium, ais? nego. vnde tandem probaturus es? nempe sic videtur tibi, quia maxime visum est ad argumentum tuum pertinere. Tu vero tibi maxime crede, si voles: nos credemus minime, cum tui istius dicti certum auctorem ex vniuersa antiquitate videamus neminem. Cui enim de antiquitate magis, quam ipsi antiquitati sanctæ, doctæ, & numerosæ crediderim? Etsi miror te qui tam belle deos maiorum gentium a dijs minorum distinguis, & reconditam illam historiam deorum tam tenes quam initiatus quisquam, non amplius excurrisse in Cabirorum, in Samothracum, in Consentium deorum nomina ordinesque, &c. vt nobis fabulosa cæcæ antiquitatis illius mysteria panderes. Sed valeant ista.

Conclusionem tuam euersis antecedentibus negamus, qua omnes eos attingit qui religiosi sunt verique per eius vnius gratiam sanctæ Trinitatis cul-

tores: qua Pontificios, ne in aliena area molesti simus alieno loco, de eo ipsos videre sinimus.

SAMOSATENVS 2.

Neque moueor plurimis audiens diuinis suffragiis diuinarum Trinitatem personarum comprobari: cum vix pauciores flecti & detorqueri videam sacras sententias ad sanctorum inuocationem veri Dei cultui plurimũ detrahentẽ. Quid vero purgatoriũ? quid sacrificiũ Missæ? quid plurimi alij errores valerẽt, si non sacrarum patrocinio literarũ defenderẽtur? Ecquis intelligẽs vir nõ animaduertat, quo artificio tũ Romani, quia pristini memores imperij maiestatis ac gloriæ essẽt, totã postea Christi doctrinã, Christianãq; religionẽ in pompas & vnius hominis imperiũ pene diuinũ cõmutarint? tũ Græci, Scholasticiq; Theologi, quoniã acutissimi disputatores essent, totas ferme sacras literas in disputationes cõuerterint; tũ Germani, quia libertatis plus æquo amãtes essent, omnem suam religionem in solam fidẽ omnium bonorũ seruitute operũ solutam & liberã trãsfuderint?

ORTHODOXVS.

Eius Scripturæ patrocinium quæ ad defendendos errores non minus quàm ad propugnandam veritatem adhibetur, nos mouere non debet in quæstione vlla:

Scripturæ patrociniũ tã ad errores quã ad veritatẽ adhibetur:

Hoc igitur nos mouere non debet, ne in quæstione quidem de personarum Trinitate.

Priorem propositionẽ negamus verã esse, ne in rebus humanis quidẽ. Nã vt de rebus humanis dicamus priore loco, ex iure scripto causidici conquirũt sententiæ suæ, quamuis contrariæ, patrocinium, adhibentq; illud diligentissime: deinceps ergo hoc auctore abdicãda foret Iuris scripti auctoritas: ex arte medica Medici; explodẽdi ergo Medicorũ libri: ex fide instrumẽtorũ, etiã vnius atq; eiusdem instrumenti patrociniũ

quæ-

quærẽt litigãtes;quid ergo instrumẽto opus?Quid.n. aliud tibi vis,Samosatene,quum ita arguis?an nondũ illud didicisti quod ait Tullius,Iuris ignorationẽ magis litigiosam esse quàm scientiam?Quod si quenquã mouere hi libri nõ debẽt,quorsum legãtur?Si mouere debẽt,(vt certe debẽt)eos ergo legi necesse est. Cur autẽ?quia vsui sunt,&indignum est eos propter interueniẽtẽ aliena culpa abusum e manib.hominũ eripi. Vsum enim cõmodum,&rem,vt est opus,ex libris illis discimus,errorẽ a nobis adferimus.Et te,vir bone, Scriptura sacra nõ moueat ? quem alij tamẽ auctores cõmouent, etsi eorũ scripta ad errores longe facilius quàm illa Scriptura perducantur.Nam primũ errore nõ vacãt quæ humana sũt: deinde ad humana scripta (vt non sunt absolute pura)qui accedũt lecturi, hi suis obuoluti sunt infirmitatibus.Quis homo sana mente dixerit,hęc legi a nobis,illã Scripturã nõ legi?his moueri nos,illa nõ moueri oportere? Quin potius doces illã præ alijs purã,verã, certãq; certitudine diuina esse;ac proinde præ aliis legẽdã,& nos ab illa mouẽdos esse?Quod si homo ignoratione,infirmitate,vitio circumfluit,quibus rebus obsessus Scriptura abutitur;id te,homũcio,potius dicere cõuenit:quisquis homo es qui ad legendam sacrã Scripturã accedis, tibi & perturbationib. tuis serio renũcia, te veritati diuinæ subiice,&ad eam percipiendam teipsum compara,vt ea promouearis ad omnem veritatem,ac nõ veritatem moueas perturbatione tua.Illa vera est:tu falsus non veritatis vitio, sed tuo. Si tuo vitio falsus,ecquando tandẽ veritatem disces,nisi veritatem secteris,&Scripturã colas veritatis ? videsne o Samosatene, falsam esse propositionẽ tuam?videsne, etiamsi vera esset in rebus humanis,dissimile tamen exemplũ fore,quum

agitur Scriptura veritatis diuinitus data, omniq; exceptione maior? Quod itaque ad secundam propositionem tuam, non dubitamus eam tibi concedere; esse qui vtuntur Scriptura, esse qui abutuntur: vsum a nobis coli, ab ijs qui abutuntur oppugnari magno suo & aliorum malo. Sed quid tum? ruit nihilominus conclusio tua, quam thesi falsæ superstruis. Nos enim veritate aut moueri necesse est, aut non moueri. Si moueri necesse, quod tu ipse confessurus es, quomodo moueamur, nisi Deus veritatis moueat, & per Scripturam veritatis? Abi igitur, & te nihil plurimis diuinis suffragiis moueri gloriare. Atque hæc quidem de illa argumentatione tua. De rebus vero quas perspergis in hoc argumento, quid dicturi sumus? Pudet profecto, pudet me vanitatis & audaciæ istius qua contaminari a te aut vllo homine Scripturam minime decuit. Ais *vix pauciores sententias sacras de sanctorum inuocatione*, quàm de Trinitate personarum solere adferri. Nego: vel ipsis Pontificiis testibus, quibus arrisit tantopere sanctorum inuocatio. Nam excute, si placet, eorum libros: omnino compertūrus es doctrinam Trinitatis longe pluribus & euidētioribus Scripturis cōfirmari. Te quidē aut insigniter ignarum, aut nauiter impudentem oportet esse, dixerit quispiam, qui de rebus non lectis, ac ne visis quidem, pronuncies tanta audacia; aut si forte videris, tam proterue ausis affirmare. Sed vt illorū testimonium mittam, tu homo eo me adducis, vt mihi ipse vix persuadeam a te vnquam Scripturam legi, nedum intelligi. Nam dic mihi bona fide, quotumquemque librum, adeoque paginam reperias in Scriptura sacra, si ab historicis narrationibus discesseris, vbi non exstet aliqua Trinitatis illius personarum, quā

oppu-

oppugnare audes, ac non obſcura diſtinctio? Nec mirum; quia principium eſt fidei ſalutaris maximum, & fundamentalis (vt vocant) articulus in ſancto illo Apoſtolorum Symbolo, quod Eccleſia tenet, comprehenſus. Sed hoc (vt ante diximus) loci alterius.

De *Purgatorio, Miſſa, erroribus alijs quos ſacrarũ literarum patrocinio defendi* ab ijs narras qui ita ſentiunt: etſi hæc omnia quæ adducis ſunt diſſimilia, tamen ſi ea ſacrarum literarum patrocinio ſolum defendi putas, falleris. Nam præter eos quos adhibent Scripturæ locos, etiam traditiones, rationes, hiſtoriæ, miracula, auctoritates adferuntur: de quibus nihil iam diſputo, te a diſſimilibus exemplis male argumentari moneo. Addis Põtifices, Græcos, Latinos, Scholaſticos interpretes, Germanorum exemplum. Quid enim non cognoſcat Cenſor? Sed ipſe vides quàm ſint diſſimilia quæ obtendis, ab ea doctrina de qua contendimus. Si non vides, te doceri patere: ſi non vis, hanc mentem commutet meliore Deus: nos quidem præſtare non poſſumus. Quod ſi exempla viſum eſt adducere, ſaltem abſtinuiſſe te ab iniuria narrantem oportuit. De *Pontificibus* nihil dicam. Sed quod *Græcos & Scholaſticos Theologos* diſtincte nominas, Latinos non dicis; id nobis tacentibus tuam mentem aperit manifeſto. Nempe Latinos omnes concludis Scholaſticorum appellatione. Sic Græcis patribus iniuriã vnam facis, ſacras literas dicens in diſputationes conuertiſſe: Latinis duplam, quod & iſtud fecerint, & cum recentiore iſta Scholaſticorum fæce ac ſentina res omnes diuinas confuderint. Hoc autem quod facis, vtrum temere magis an impie? Nam ſi tibi plus quam illis omnibus nos fidẽ putas habituros, temerarium eſt: ſi plus a te veritatis eſſe quam ab illis pu-

tas, non potes profectò quin etiam impius audias. Quis enim ita desipit, vt tam multos viros præclaros timētes Dei, amantes veritatis, studiosos Scripturæ, omnique instrumento quod opus est munitissimos, nihil ad pietatem credat sapuisse: vnum te ἀνώνυμον Lynceis oculis omnia peruidisse? *Germanis* autem, quibus (nisi me fallit animus) aliquid debes, cum in Germania fortasse natus sis, certe profeceris, pessimam refers gratiam. Duo enim genti impingis crimina, libertatis amorem ac potius licentiæ, & doctrinam fidei ab operibus bonis alienæ. Si licentiæ amorem vocas odium tyrannidis, quid est quod vertas vitio? Fidem vacuam bonis operibus asseruisse, falsum: sed cum essent qui bonis operibus iustificari hominem contenderent, illi contra nos iustificari non operibus coram Deo affirmarunt ex Scripturis, sed vera fide, quamuis per charitatem operante. De te vero, Samosatene, non quæro cuias sis; prius enim qui sis oporteret nosse: declarabis quum voles, nomenque profiteberis, nisi retegat Deus. Siquid tamen ex vnguibus possum cognoscere, gente Germanus es, doctrina Syrus, Samosatis tua ista dogmata afferens. Quid non pepercisti genti tuæ? si genti noluisti, quid non bonis? Si ne his quidem, quid non tibi? præstitisset enim te saluti tuæ quàm nomini consulere. Nomen retices, & veritati palam spectatæ occlamare non dubitas. Veritati Dei de mysterio Trinitatis, veritati Germanicæ de fide & operibus bonis contra fidem, conta testimonia publica obloqueris. Siccine pergis, mi homo, abiecta & ementita veritate salutem & nomen perdere?

SAMOSATENVS 3.

Quis igitur prudens homo non [illegible]*telligat, plerosque*

Chri-

Christianæ religionis antistites non tam ex diuinis literis religionem & doctrinam suam hausisse, quàm ad ipsas sacras literas innatam sibi superstitionem afferentes, attente cogitasse, quemadmodum eam verbo Dei vestitam, ceu ipsius Christi religionem propagarent? Et quidem, cum quatuor offerrentur cuiuslibet fere sacræ sententiæ sensus, & τὸ ῥητὸν seu literalis, & mysticus seu spiritualis, & tropologicus seu moralis, & denique anagogicus; cumque plures etiam ostenderentur eiusdem sensus species: non potuerunt spe sua frustrari versuti & callidi homines. Etenim si secundum vnum sensum vel vnius sensus speciem res minime successit, arripuerunt statim vel alium sensum, vel aliam eiusdem sensus siue literalis, siue spiritualis, siue moralis speciem, aptam ad cerebri sui idola in aliorum animis fabricanda.

ORTHODOXVS.

Repetitur hic a te, Samosatene, conclusio eadem, quam segmento 1. supra confutauimus. Quapropter ne actum agamus, Lectorem in eum locum reiicimus. Sed quia repetis eo consilio, vt ad confirmationes transeas propositionis tuæ, age, si placet, de locis tuæ illius confirmationis videamus. Eam igitur duobus modis videris tibi confirmare, præsumptionibus, & probationibus. Præsumptiones quia præmittis, tuo ordine persequemur. Prima præsumptio huiusmodi est:

Qui quatuor cuiuslibet fere sententiæ sensus, & eiusdem sensus varias species adhibent, ij præsumuntur astute operã dedisse vt commenta sua in aliorum animis fabricarentur:

Hoc autem fecerunt plerique Christianæ religionis antistites: Ergo.

Vtramq; propositionem falsam esse vidẽt qui rerum veritatem & scripta illorum delibarũt, & paucis

demonſtrabimus. Negamus ergo primum eos qui varium ſenſum vni loco a[d]hibent, aſtute agere. Varium enim ſenſum ſine vllo aſtu ſolent auctores adhibere, quum aut locus poſtulat, aut fert conditio hominum dicentium, & audientium. Exempli cauſa,
Exod.12. Non frãgetur vnum ex oſſibus eius, de agno Paſchali dicitur ῥητῶς, de Chriſto μυστικῶς, vt exponit Ioannes in Euangelio. Hoc tibi ne ſapit, Samoſatene, an non? Similiter, Omnis hoſtia ſalietur ſale, ſecundum literam dicitur, ſecundum ſpiritum intelligitur, ſecundum tropum ἢ τροπολογίαν obſeruatur, ſecundum anagogen accommodatur. Quid tu hic pro tua ſapientia? nam Chriſtus ipſe apud Marcum locum hunc accommodat, & varie docet accommodari debere & poſſe. Cur autem? quia ſic loci natura poſtulat: & ita poſtulat vt qui contra ſenſerit, nihil ſentire videatur. Quid autem ſi is qui dicit, varie locum accipi poſſe viderit, de cuius intelligentia aliquid certo conſtituere non ſatis poſſit, tanquam ἐν ἀμφόδῳ λογισμῶν circumſeſſus? Mutumne hominem eſſe malis, quàm eas cogitationes adferre & varios interpretandi modos qui poſſunt adferri ſine vlla veritatis fraude? O ineptiam! Quid denique ſi audientium legentium ve ratio diuerſum aut interpretationis, aut accommodationis deſideret modum? Non enim neſcis, Samoſatene, quid tuus Ariſtoteles in Rhetoricis doceat, res pro captu & vſu eorum apud quos dicuntur dici oportere: ac proinde idem varie doceri, aut perſuaderi, aut condiri ſuauitate in docendo. Exempla adferrem, ſi res poſtularet, aut te poſtulare crederem. Hæc quiſquis facit, an tibi aſtu & mala fide videtur facere? Modus hic per ſe medius eſt atque indifferens: conſilio & fine malus efficitur. Tu ex modo agendi aſtu-

astutiam malam, nos ex consilio & fine iudicamus. Si nobis non credis, Ethica recolas licet, antequàm de facto sanctissimorum hominum feras temerè sententiam. Quid illis, amabo te, cum tuis istis præsumptionibus?

Minor propositio falsa est; & præfidenter de orthodoxis & sanctis hominibus adfirmat, quod nunquam tu aut quisquam probaturus est. Iniuria triplex in animas sanctas contumeliosa. Prima est, quòd *plerosq; religionis Christianæ antistites ais adhibuisse quatuor sensus cuiuslibet ferè sententiæ, & varias sensus eiusdē species*. Sunt quidem quatuor sensus, siue interpretationis modi: quos ne tu quidem, si quando es apud te, negaturus es: & rursum vnum atque eundem sensum variè accommodari pro ratione docentiū & audientium captu apud bonos constat. Si negas, vno impetu disciplinas omnes subuertas necesse est. Sed istos quatuor sensus omnibus ferè locis literarum sacratū, & variè ab illis adaptari, pernego. Quatuor sunt interpretationis modi: sed neque omnibus locis, neque plurimis simul adhibentur: quin potiùs omnes paucissimis, bini aut singuli eorum plurimis tribuuntur ab orthodoxis Patribus. Quòd si fortè vnus aut alter in isto genere plus satis interdum assumpsit sibi, an continuò id omnes fecisse, & omnibus fermè locis (vt ais) probaueris? Bona verba. Istas enim simul interpretationes iungi, & locis omnibus aut fermè omnibus, nec voluerunt plurimi, nec factum ab alijs probauerūt. Fecerit sanè Origenes plus satis: fecerit Gregorius. At plerique nunquam, alij nonnullis in locis liberaliùs: prodigè, quod affirmas, nunquam. Exstant eorū libri in manibus omnium; quorū fidei plus credituri sunt boni, quàm isti audaci affirmationi tuæ.

Secūda iniuria est, quod sanctissimos illos viros, quorum pietatē suspici, non autem despici à te oportuit, asseueras *idola cerebri sui coluisse.* Si nego (vt pios certè omneis confido negaturos) ecquî te, Samosatene, probaturū putas? Liceat nobis tua venia illorum institutionem in fide, pietatem, virtutem, demonstrationem Spiritus in summis tentationibus, felicemq; omnium certaminum exsuperantiā, coronas, triumphos in Christiano hoc curriculo, gloriam denique ὑπεράνθρωπίνην cum tua hac affirmatione & obtrectatione ipsorum comparare: quid te futurum est? Testatur illorum vita, mors, Ecclesia, scripta, pietatem incorruptā ipsorum, ab omni idolo, quod vocas, alienissimam. Et nos illis potiùs tribuamus idolū, quàm tibi? Quos viros Spiritus Dei probat, eósne putas damnari à nobis posse, quia tu, homo obscure, eis pro auctoritate idololatriam quandam non dubitas obijcere? Non dico ego quidem: vt qui de te, dum in via es, iubeor in charitate sperare meliora: Sed nónne vides dicturos esse quamplurimos, qui tuum istud iudicium de sanctissima illa testium nube latum cognoscent, non illos ex idololatria, sed te ex idolomania cerebri tui laborare? Dicerem plura, nisi te deinceps amplius de te cogitaturum esse confiderem. Faxit Deus salutis nostræ. Tertia iniuria, qua viros optimos afficis, eâdem securi exsecta est. Nam *præsumi dicis, eos astutè dedisse operam vt istis artibus cerebri sui idola in aliorum animis fabricarentur.* Deus bone, quorum hominum cerebrū ab omni idolo fuit depuratissimum, quorum animus fuit erga Deum simplicissimus & erga homines integerrimus, quorum administratio ex Dei verbo rebus & modis omnibus compositissima, quorum vita sui negligentissima & in

aliena salute fuit occupatissima, eorum cerebrum, animum, vitam, administrationem hac contumelia affici? Non defendam illorum pietatem, charitatem, virtutem, constantiam, fidem, quæ in Ecclesia Dei sunt constantissimæ, & coram vniuerso mundo admirabiles, ne Soli videar fœnerare lucem. Te potiùs, ô Samosatene, moniturus sum, qui hac effræni & licentiosa ratione ferris infestus in eos viros, quorum singularis virtus Angelis hominibusque fuit spectaculo, & adhuc est admirationi, vt communibus Dei hominumq; testimonijs acquiescas, & perturbationibus animi tui iudicijsque renuncies. Hæc enim si porrò fundites, quo plus tu tibi sapere, eo plus sapienti cuique videberis desipere, & (quod tu ais) cum ratione insanire velle: Si desinas (vt certè debes) vel tacendo aliquam assequeris laudem sapientiæ.

SAMOSATENVS. 4.

Nec difficile eis fuit hæc ipsa trabali clauo postea figere, quàm humanæ rationis naturale lumẽ diuinis in rebus effulgens planè exstinxissent, freti illis Apostoli verbis, 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei: stultitia est illi, nec potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur. Vocari autem animalem, qui naturæ lumine nititur: illum nihil in spiritualibus mysterijs comprehendere, sed pro stultitia ducere quæcunq; per reuelationem Spiritus nõ patefiunt. Ergo hac ratione cæcato humani ingenij iudicio facillimum fuit quemlibet fidei articulum condere, & nimium credulis hominibus, tanquam cæcis, album esse nigrum, & nigrum esse album persuadere, & tanquam stultis vnum esse tria, & tria esse vnum probare: præsertim interlucida nulla habentibus interualla quibus cognoscerent, nimiam credulitatẽ quasi ducem magistramq; habentem*

diuinam auctoritatem, omnis erroris & stultitiæ ianuam esse: non ab Apostolo, sed ab idololatris apertam; à Christo verò diligenter clausam, quum ex parabolis rebusq; naturalibus iudicari vellet de rebus spiritualibus, atq; satis ita superq; significaret religionis nostræ mysteria non esse contra ratione̅, (quomodo enim in ea assurgi posset ministerio rationis?) sed tam consentanea rationi, quàm parua veritas magnæ, & exiguum lumen maximo est simile. Astuti autē homines quum vel vnica micante rationis scintillula monstrosissimos quosq; deprehendi errores posse intelligerent, totam in tenebras & stultitiā verterunt humanam rationem Christianæ fidei oracula contemplari conantem: vt ipsæ errorum tenebræ quantæ essent, nemo videre posset.

ORTHODOXVS.

Secunda præsumptio, quam rhetoricando hic Samosatenus profert, est huius argumenti:

Qui naturale rationis humanæ lumen in rebus diuinis adhiberi vetant, ij præsumuntur astutè dare operam vt cerebri sui idola in aliorum animis fabricentur & fallant.

Hoc autem faciunt Theologi: Ergo.

Propositio maior est ambigua. Nam aliud est, si omnino adhiberi vetes, quàm si ad certas quasdā res atque definitas: aliud, si vt ducem vetes, quàm si pedissequam: aliud, si vt dominam, quàm vt ancillam. Ad certas quasdam res atque definitas eam volumus adhiberi, nempe quæ cum ipsa sunt analogæ, & comprehenduntur vi proportionata (vt vocant) illius; vt pedissequam, non vt ducem: ancillaturam fidei, non dominaturam. Nam fides non est omnium, ratio est omnium. Atque hoc disertis verbis ostendit Christus
Joann. 3. Nicodemo, Si terrena dixi vobis & non creditis, quomodo

modo si cælestia dixero vobis, credetis? Quid plura? vel ex Aristotele istud, Samosatene, te oportuit didicisse. Cùm enim scientiæ diuinæ scientem esse neminem nisi Deum aut diuinum hominem fateatur (vt antè segmento 1. dicebamus) eà certè scientiæ diuinę hominem esse agnoscit participem quà diuinus est: non est autem diuinus ratione: non ergo ratione sua sciens illius scientiæ. At ratio diuinum quid est, inquies. Est quidem, sed naturale: Aristoteles autem agnoscit hominem naturalē non esse scientem istius scientiæ, nisi quà supernaturali vi & modo sciens effectus est: nam de seipso fatetur ipse se nescium. Attamen ratione capit, fortasse dixeris. Capit sanè quod ratione potest, vt instrumento vitioso & infirmo, sed administro, & ex parte & infirmissimè: omnia verò capit fides, lux illa cælestis & supernaturalis, cui rationem opus est mancipari & captiuam dedi.

Affirmatio qua in propositione altera vteris, cum propositione antecedente collabitur. Nam si diceremus hominem fieri animal brutum & rationis expers oportere, vt res diuinas assequatur, vinceres: sed lucem rationis, quantulacunque est, ita retinemus, vt maximam lucem & transcendentem dicamus accedere; cui minorem istam, & obscuram, & infestam quàm plurimis perturbationibus, cedere est necessarium. Sic ergo tibi argumentandum fuit. *Qui naturale rationis humanæ lumen in rebus diuinis omnino adhiberi vetant, ij præsumuntur astutè, &c. Hoc autē non faciunt Theologi:* ii qui faciunt, faciunt ματαιολόγως. Atq; hæc vis, hæc ratio argumentationis tuæ, dum pro homine animali contra veritatem gratiæ diuinæ & infusam illam è cælo scientiam ratione abuteris.

Sed quia hanc tuam inscitam argumentationem

ornauisse & confirmauisse perbelle tibi visus es aspersis quibusdam voculis & orationibus à sale & gratia contra quàm putas alienis, de eis quoque dicendum est. Illudis interpretationi Paulini illius dicti, *Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei, &c.* nostrorumque hominum interpretationem exagitas re, & consequentia.

In re tria animaduerto abs te reprehendi. Primum est, vocari *animalem*, qui naturæ lumine nititur. Dicendum tibi fuerat, Samosatene, lumine naturæ solùm. Qui enim res duas coniungit, non disiungit velut contrarias atque ἀσυςάτους. Contrà enim nulla est creatura, nisi ratione prædita, quæ rerum diuinarum salutarem scientiam participet. Qui ergo naturæ lumine vtitur solùm, is in rebus Spiritus Dei nihil videt, quia Spiritus Dei lux gratiæ, ac non naturæ est. Atque hæ duæ (vt ita dicamus) luces toto genere differunt, & dicuntur æquiuocè.

Secundum est, quod ais *animalem hominem nihil in spiritualibus mysteriis comprehendere:* id à nobis tradi. Hîc verò, Samosatene, sic agnosco eam doctrinam quam piè tradimus, vt simul etiam recognoscam errorem crassum, an fallaciam tuam? Spiritualia enim mysteria quum dicuntur comprehendi, aut nō comprehendi, non solùm ad ipsum esse vel naturam respicimus, sed etiam ad ortum modumque comprehensionis illorum. Nam res quidē spirituales aliquæ nobis & rationi nostræ à natura innotescunt, sed obscurè, infirmè, tenuiter, velut in semine principioque & per se ad salutem aut scientiam iustam inefficaciter: quemadmodum ait Paulus nō ille Samosatenus, sed seruus Iesu Christi vocatus Apostolus ad obedientiā fidei, Rom. 1. homines veritatem in iniustitia detine-

re, quoniam id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis; Deũ enim fecisse manifestum eis, &c. Sed non loquitur Apostolus ad Corinthios scribens de illa communi, naturali, & rudi scientia diuinarum rerum, aut de omni sciẽtia diuinarum rerum vniuersé: tantum agit de ea comprehensione rerum spiritualium quæ ortu spiritualis est. Demonstrat illud sermo Apostoli, quum ait, non percipit quæ sunt Spiritus Dei, id est, quæ Spiritus Dei percipienda exhibet. Sic rerum spiritualium duas species tradit ἀντιδιῃρημένας: vnam earum quæ sunt naturæ, sed hæ hominem reddunt ἀναπολόγητον: alterã earum quæ sunt Spiritus Dei infusę per gratiam. Sic ex parte cõcludis totũ; ex eo quod dicitur opposité, cõcludis absoluté. Et hoc est logicum esse, scilicet. Quid vero aliud sibi vult Aristoteles ipse, quũ hominem inquit esse diuinũ oportere? quod anté segmento 1. ostendimus.

Tertium est glossema audax quod in hunc locũ adhibes, dicens *nos pro stultitia ducere quæcunque per reuelationem Spiritus non patefiunt*. Id enim communibus verbis sic abs te enunciatur; vt si omnia, quæcumque sunt extra reuelationem, damnaremus stultitiæ. Inuidiosé dictum, & á distributo (vt loquuntur) ad non distributũ cõtumeliosé traductum. Nos enim, si forté, quum ita loquimur, agimus de ea cognitione rerũ spiritualium quæ ortum habet á spiritu: neque illa naturæ nostræ rudera tollimus, quæ in mente nostra adumbratam habent tamquam in pictura, aut tamquã in semine inchoatam aliquam notionem rerum spiritualium: sed de veritate, non de imagine; de reali, non de seminali cognitione prædicamus ista, quam rem non ingenerat in nobis natura, sed inspirat & infundit gratia. Sic nõ ducimus pro stultitia simplici-

ter quæcunque per reuelationem Spiritus non patefiunt: nam humanas artes & disciplinas quaslibet nolumus stultitiæ deputare. Neq; pro stultitia habemus communem illam notionem rerum spiritualium à natura impressam: nam hæ reliquiæ sunt illius imaginis diuinæ, quam effinxerat principio in nobis Deus, & indignissimè deletam à nobis Deus misericorditer conseruauit: sed pro stultitia ducimus, & in stultitiæ numerum optimè referuntur quæcunq; de sapientia illa cælesti & spirituali quæ supra lucem naturæ est, ab homine excogitari aut dici possunt sine Spiritus
1. Cor. 2. diuini reuelatione singulari. Quis enim hominũ nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? ita etiam ea quę sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei. Quòd si quis interdum aut comparatè, aut respectu vsus & effectus ita loquutus est; id ab altero humanè ac nõ malè dictum, id inquam à te, Samosatene, humanè oportuit accipi. Comparatè dico: vt si quis cognitionem naturalem, quemadmodum se à natura habet, cum inspirata comparauerit: tũ certè dixerit non incommodè, naturalem illam præ hac nihil nisi stultitiã esse. Respectu vsus & effectus dico; quia si vsum vnius cum vsu alterius contuleris; illam in effectu stultitiam, hanc sapientiam esse conuenienter pronunciaueris. Tantùm intelligente Lectore opus est atque beneuolo.

Quod itaque concludis *hac ratione cæcatum humani ingenij iudicium esse*, cùm falsis fundamentis totum sit superstructũ, de alio fundamento & fulcris potentioribus prospicias licet. Etsi doctrina falsa quid opus habeat fulcris atq; erismatis? Tibi potiùs, ô Samosatene, & saluti tuæ consule, atq; ex verbo veritatis fulcra veritatis adhibe: quæ, vt cæcus & cæcissimus, pręsiden-

fidentia rationis tuæ hactenus refugisti in perniciem tuam.

Iam ad consequentias tuas venio siue πορίσματα, quæ ex antegressa argumẽtatione tibi subtiliter videris nectere. Hoc pacto *facillimum fuisse* dicis *quemlibet fidei articulum condere*. Quo tandem? nempe vbi iudicium ingenij humani sic fuit occęcatum. Atqui non fuisse occæcatum modò ostendimus: nam quod illustratur, non occæcatur: illustratur autem diuina luce superfusa per gratiam. At affirmatur contrà, inquies. Affirmatur quidẽ, sed vario respectu: nam si vtramq; lucem coniunctè dixeris, hæc illustrat illam, & alit, & auget, sed quatenus cum illa consentit: etsi hoc quantulum est? Sin verò disiunxeris, aut oppositè sermonem de eis institueris, vt facit eo in loco Apostolus, & nos facimus; ne ipse quidem Aristoteles inficiaturus est animalem hominem ea non percipere quæ sunt spiritus Dei. Tune, homo, & diuinam lucem magistram omnium, & illum ipsum præceptorem tuum reiicies arbitratu tuo? Et in hoc argumento triumphas, si Deo placet; similibusque à sensu & principiis naturæ abuteris: quasi verò eadem esset ratio rerum naturalium & inspiratarum gratia, aut eadem vis ad vtrumque rationis nostræ. De qua sic habeto paucis. Ratio humana in rebus diuinis & spiritualibus & nihil, & vix, & parum videt. Nihil videt in rebus spiritualibus per se quæ Spiritus Dei sunt, id est, quas inspirat gratia: vix videt in iisdem rebus, quamuis prælucente Spiritu: adeò tenebris offusa est, vitiositatis nostræ: sed videt tamen: parum videt, quia illam reliquam naturæ vim luce Spiritus illustratam vtcunque contendat vehementissimè, tamen non ampliùs videt quàm prout cuique admeti-

tur Deus mensuram fidei. Hæc autem mensura quanta esse tibi, Samosatene, videbitur, si cum infinita illa plenitudine contuleris? Et te non pudet affirmare hoc loco, *credulitatem quæ quasi ducem magistramque habet diuinam auctoritatem, omnis erroris & stultitiæ ianuam esse?* Falleris, mi homo, falleris: non hæc ianua est, sed portula secundaria. Ianua erroris ea est ipsa, qua tu præfidenter veheris & in mysteria veritatis inueheris indignissimè, κενοδοξία & præsumptio inanis de ratione humana, tãquam si ad lucem diuinam percipiendam ipsa lucis haberet satis. Hac porta quadrigis raperis, nisi tui misereatur Deus: Ab hac autem, secunda est illa de qua sermonem habes. Per primam tàm rapidè ferris, vt transcurrens non animaduertas: per secundam transire non potes propter tumorem rationis tuæ. Neutrum probamus, sed illam improbamus magis. *Hanc ab idololatris apertam fuisse* dicis: verum id quidem, sed non antè quàm per tuam illam portam vastissimam ad portulam hanc transiuissent. Nam per illam rationis humanæ portam omnes transeunt: sed eorum alii sibi confidentes velut in vacua vacui spatiantur arena, quod tu facis: alii sibi diffidentes partim credulitate illa, quam dicis, temeraria portulam ineunt idololatris communem, partim iusta fide ad veritatem rerum spiritualium promouētur, non in hominibus conquiescentes, sed in solo Domino, à quo est omnis donatio bona & perfectum donum. Addis hanc eandem portam *à Christo fuisse diligenter clausam, quum ex parabolis rebusque naturalibus iudicari vellet de rebus spiritualibus.* Si argumentationibus agi oporteret, tu quidem ab exemplis particularibus nihil conficeres: nam & aliæ sunt rationes quibus docuit Christus, & nobis

nobis alias prætcrea imperauit. Singulariter enim suos docet Christus per Spiritum veritatis, qui supra rationem est: communiter autem docere inter nos voluit auctoritate verbi & demonstratione Spiritus exemplisque cum ratione iunctis: quarum rerum auctoritate, quia diuina est, putarésne rationem humanam cedere quà corrigitur, sequi quà ducitur, & ministrare quà regitur minimè oportere? Tum verò falsum est, quod ais voluisse Christum ex parabolis rebusque naturalibus de rebus spiritualibus iudicari. Iudicium quidem & sensum illum fidei non negamus iuuari exemplis & documentis a natura sumptis: at iudicium naturale ex rebus naturalibus, infirmis, variis, obscuris, incertis, fallacibus, de rebus diuinis, potentissimis, immutabilibus, perspicuis, certis, veris primò & per se iudicare, & regulam esse iudicandi, nemo homo, si sanus est, affirmabit. Res metaphysicas physicis iudicari nunquam concedes oportere: & diuinas ex eis affirmes iudicandas? Quod ergo tu concludis, Samosatene, & nos concludimus: *religionis nostræ mysteria non esse contra rationem*, sed quà integra ac non vitiosa est ratio: nam in quibus ratio est integra, religionis nostræ mysteria cum ratione consentiunt: in quibus corrupta, pugnant & corrigunt: in omnibus autem supra rationem sunt omnino, re, ratione, & modo. Item & illud concludimus *eadem mysteria tàm consentanea esse rationi quàm parua veritas magnæ, & exiguum lumen maximo est simile*: nempe rationi integræ, & a vitiis perturbationibusque puræ: nam de corrupta & vitiosa quis sanus concesserit? Quamquam non alirer exempla tua valere possunt, veritatis & luminis, quàm cæteris (vt loquuntur) paribus: id est, si de veritate & luce ho-

mogenea siue cõgenere, & de æqualitate puritatis, & iusta proportione ac commensu aliquo acceperis. Et hæc ipsa quoque similia, quibus abuteris ad stabiliendam sententiam tuam, si accuratiùs ea expenderis, à te sic proponuntur, vt nec consilio tuo, nec rerum naturæ respondeant. Etenim si de natura quæris: vt ens vnum, sic verum vnum est & vna veritas: impropriè ergo dicis magnam & paruam veritatem. Sin autem de consilio tuo, vide quàm malè tibi prospicias luminis similitudine. *Tam sunt consentanea*, inquis, *rationi mysteria religionis nostræ, quàm exiguum lumen est maximo simile. Exiguum autem lumen tam est simile maximo, vt prout natura vnum sunt, ita coniunctione in vnum transeant, & in maiore ac perfectiore minus sorbeatur. Sic ergo rationem cum mysteriis religionis nostræ sese habere necesse est.* Sic tuo te gladio iugulasti, Samosatene, cùm rem confirmare putares ex sententia tua. His positis cõclusionem totius sermonis tui quis non videat à veritate, quam quærere tenemur omnes, plurimùm aberrare? Pergamus.

SAMOSATENVS. 5.

Quoniam verò experti fuerant, perfecti lumen ingenii nulla posse stulta credulitate obrui, voluerunt illud vi saltem inclusum teneri in anima, crudelissimis propositis suppliciis, ne id aliquando erumpens aliis quoque luceret.

ORTHODOXVS.

Hæc præsumptio tertia, quam ita Samosatenus probat:

Qui vi inclusum teneri perfecti lumen ingenii in causa religionis mysteriisq́ue voluerunt, ii non obscurè dederunt operam vt idola cerebri sui in aliis statuerent.

Hoc

Hoc fecerunt Theologi: Ergo.

Primùm maior nõ est necessaria: fieri enim alia de causa potuit vt vim istam in populareis suos intenderẽt: vt verbi gratia, si quis liber esse & vacuus ab omni rixa audienda & contentione voluerit, & vitam in otio transigere, ac non importunis aliorum contentionibus fatigari, obrui, necari.

Minor est indefinita: fecerunt quidam: plerique non fecerunt. Et tamen hîc artificiosè quod ex aliqua parte fuit, de toto corpore Theologorũ affirmatur. Inconsequens igitur est argumentatio. Quòd si præsumptio est, & inconsequens est, quid te, Samosatene, hoc genere argumentationis putas effecturum?

SAMOSATENVS. 6

Neque solùm pœnæ metu opprimendum censuerunt maximum quodque ingenium, sed diuinorum etiam spe honorum deprauandum, & ad stultissimam idololatriam alliciendùm putauerunt; latissima patefacta via, qua quis in minorum numerum deorum proueheretur, si pro maiorum multitudine deorum strenuè propugnasset; vti Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Thomas Aquinas: sin autem nullam vel frigidam illorum propugnationem suscepisset, tum verò ignominiam, aut nullum saltem diuinum exspectare honorem cogeretur, vt Origenes, Lactantius, Scotus.

ORTHODOXVS.

Hæc quarta & vltima præsumptio eiusdem planè modi cum antecedente: tantùm eo differens, quòd ibi de pœnis, hic de præmiis agitur. Quapropter etiam idem est confutationis modus. Nam vt hæc de nonnullis vera demus fuisse; tamen nec

omni tempore, ſed poſtremo: nec vbique, nec apud omnes, aut ab omnibus fuiſſe factum, conſtat maniſeſtiſſimè. Rurſum ex particulari placet concludere? Negamus de vniuerſali: Samoſatenus ergo nihil aſſequitur. Quod autem ad illa atrocia verba, *pro maiorum multitudine deorum, &c.* ea iam antè ſegmento 1. refellimus, & ampliùs deinceps, volente Domino, refellemus.

SAMOSATENVS. 7.

Atque huic quidem rei certiſſimã facere fidem tria poſſunt κριτήρια, *nunquamq; fallentia ſigna: quorum primo ponam loco, æternitatis latebras atq; tenebras, in quas ſe coniiciunt Trinitarii veritatis fulgorem ſplendoremq; nõ ferentes, & in quibus, tamquam tuti, clauſi, ſepti, muniti, contra plurima rationum momenta latitare ſolent. Hi etenim cùm in vno ſolo, &* οὐσίᾳ, *&* ὑποστάσει *vero Deo non acquieſcentes,* λόγον *etiam verum vellent Deum facere; ſentirent autem hanc omnes habere homines Dei notionẽ naturaliter mentibus inſitam & impreſſam, Deum eſſe ens primum, perfectum, immutabile, à nullo pendens, nullius indigens, per ſe ſufficiens: Deum verò genitum non poſſe dici ens primum & immutabile, non à nullo pendens, non nullius indigens: ſed eſſe ens ſecundum & mutabile, pendens à generante, indigens parentis: vt huiuſmodi vim & robur rationis declinarent, conſtituerunt in æternitatem Dei tamquam in dumeta correpere, altaque inde voce clamare,* λόγον *generatum fuiſſe ab æterno: in æternitate autem non eſſe prius & poſterius; non eſſe qui ab alio pendeat, qui alterius indigeat.*

ORTHODOXVS.

A præſumptionibus ad probationes Samoſatenus tranſit: quarum grauitatem maximam eſſe demonſtraturus κριτήρια appellauit, id eſt, ſigna nunquam fallen-

fallentia (vt ipse vertit) ex quibus certum indubitatũque iudiciũ fieri oporteat, si cum proprietatibus veris æternitatis & naturæ diuinæ comparentur. Tria autẽ hæc κριτήρια sunt quæ ab ipso adducuntur. Primum à persona Filii: Deum esse vnum οὐσίᾳ & ὑποστάσει, nec Filium Deum esse propriè. Secundum à persona Spiritus sancti: nec Spiritum sanctum propriè Deum esse eodem argumento. Tertium ab vnione hypostatica naturę humanę in persona Christi: nec Christũ propriè loquendo Deum esse simul hominemque posse. Quæ dicta omnia blasphema sunt & horrenda, à Serueto memoria nostra excitata: sed quia per communicationis modum hæc instituimus, simpliciter rem pertractabimus.

Primum ergo κριτήριον, quod vocat, hoc loco statuit in hunc modum:

Ens primum est perfectum immutabile, à nullo pendens, nullius indigens, per se sufficiens:

Deus est ens primum: ergo & immutabilis, &c. Datur prosyllogismus. Subiicit,

Si qui Deus est genitus, non potest esse ens primum & immutabile, &c.

Christus est Deus genitus:

Christus ergo nõ potest esse ẽs primũ & immutabile, &c.

Maiorẽ negamus: & vtrũq; Christo asseueramus competere, quòd & Deus sit genitus, & idem sit ens primum & immutabile: genitus ab æterno à Patre secundum personam, ens primum & immutabile, vnum cum Patre secundum essentiã ab ęterno, ac non in tempore. Nam genitus quum dicitur, relationem fieri Filii ad Patrem: ens primum quum dicitur, relationem fieri ad entia cætera, quæ ab ipso sunt, in ipso (quamuis extra ipsum) per ipsum, & propter ipsum:

Hæc nihil æternitati aduerſari, ſed commodè illi ac verè tribui ex Scripturis ſacris. Reclamat Samoſatenus hoc loco, dicẽs oppoſitum eſſe in appoſito, vt loquuntur; æternum eſſe & genitum eſſe non poſſe dici de eodem ſubiecto ſecundum idem: *latebras & tenebras æternitatis à nobis quæri* in quibus latitemus: nam verum Deum eſſe vnum ſolum οὐσίᾳ, & ὑποστάσει: nos *in æternitatẽ Dei tanquam in dumeta correpere, &c.* Hic ergo ſtatus quæſtionis. Dicimus non aduerſari æternitati Dei & naturæ entis primi, quod Chriſtum dicimus eſſe à Patre genitum. Samoſatenus affirmat aduerſari: & hoc ipſum ſtatuit potentiſſimum eſſe κριτήριον reuincendæ fidei & doctrinæ noſtræ. Ludibria ipſius, vtut allubeſcant ipſi, horrentes omittemus: ad rem veniemus, malè ſana hominis verba negligentes.

SAMOSATENVS. 8.

Verùm ſiquis æternitatis angulos & latebras ſcrutetur, ipſius definitionis lumine facilè omnes conſpicientur & deprehendentur lucifugi. Ab omnibus autem recepta Theologis æternitatis definitio eſt, quæ à Boëthio traditur his verbis: Æternitas eſt interminabilis vita tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Quam definitionem Scholaſtici Theologi explanantes: Interminabilis, inquiunt, dicitur quia quod verè æternum eſt caret terminis durationis; qui duo ſunt, vnus initium, alter finis durationis. Vtroque autem caret æternitas: quam rem vel ipſum præ ſe ferre nomen videtur: dicitur enim æternum quaſi extra terminos exſiſtens. Hac ergo definitione, quaſi clariſſimo prælato lumine, ingrediamur in ipſius æternitatis tenebras, diligenter inquirentes an Deus genitus eſſe poſſit æternus, ac proinde ens primum, à nullo pendens, nullius indigens, &c.

Lib. 5. de conſolat. proſa. 6.

ORTHO-

ORTHODOXVS.

Missa verborum cura quæ exsultans dat hoc loco Samosatenus, & quibus videtur sanæ doctrinæ illudere, *tenebras*, *lucifugos* occentans, (quæ appellatio melius scriptores ἀνωνύμους decet) ad rem veniemus. Damus ergo definitionem hanc æternitatis: de etymo viderint peritiores Grammatici. Hoc fundamentum positum non labefactabimus: placet enim, & cum veritate consentit. Sed quid, quàm bellè superstruat artifex huic fundamento, videamus.

SAMOSATENVS 9.

Vera æternitas cùm ante & post sit interminabilis, necesse est eius fundamentum & quasi radicem esse perfectã, absolutamq; immutabilitatẽ: quod enim aliquid est immutabile, propterea nec potest incipere, nec desinere esse; quicquid enim incipit esse, mutatur de non esse ad esse: quicquid item desinit esse, id mutatur ex esse ad non esse. Atqui Deus genitus necessario cœpit esse, & nequaquam æternus atque immutabilis dici potest: Deus item qui genuit, necessario desiit eumdem Filium generare, mutatusque est a generando ad non generandum: neuter igitur verus & æternus esse potest Deus. Si enim quod infinitum est, vbique est: & quod vbique est, immobile est, quia infinitum, omnẽ occupans locũ, nihil relinquit spatij in quod possit moueri: & si mouetur, infinitum non est; non enim omnem implet locum, si non omni caret motu ad locum: ergo simili ratione quod æternum est, semper est: & quod semper est, ingenerabile est: quoniam æternitas omne præripit tempus omnemque præcerpit durationem, in qua quippiam generari possit: & si generatur, æternum non est: non enim omnem præoccupat omni festinatione durationem, si non omnem tollit generationem, in qua generans suapte natura prius est generato.

Ex antecedente æternitatis definitione argumentatur Samoſatenus hoc modo:

Veræ æternitatis quaſi radix & fundamentum eſt perfecta abſolutaque immutabilitas:

Qui genitus eſt, cœpit eſſe; & qui genuit, deſiit gignere: mutatus vterque:

Neutrius ergo immutabilitas. Pergit,

Cuius non eſt immutabilitas, is Deus & ens primum vere dici non poteſt.

Patris & Filij ſecundum veſtram doctrinam non eſt plena immutabilitas:

Neuter igitur Deus ſecundum doctrinam veſtram.

Hoc autem abſurdum: ergo & illud. De his ordine videbimus.

In priore argumentatione agnoſcimus libentiſſimè quod primo loco dicitur, æternitatem immutabilitatis eſſe: & hanc ipſam propoſitionem a nobis facere confirmamus. Nam ſi *Deus eſt æternus & immutabilis: Pater autem & Filius eſt Deus: ergo Pater & Filius immutabilis.* Et, *ſi Pater genuit Filium; & Filius genitus eſt a Patre: ergo hic genuit illum, & ille eſt ab hoc genitus immutabiliter.* Hoc ipſum eſt quod volumus, & conuenienter naturæ ex ſacris Scripturis aſſerimus, vt fecerunt orthodoxi Patres.

Minoris vero propoſitionis ſingula membra non vacant vitio. Ea itaque nos diuerſo ordine confutabimus. Primùm ergo Deum negamus mutatum eſſe, aut mutari poſſe. Nam Deus eſt primum ens & purus actus ſine vlla permiſtione alicuius potentiæ: quicquid autem mutatur, aliquo modo in potentia eſt. Tum Deus eſt eſſentia ſimpliciſſima, & omnis compoſitionis expers: Mutabilium autem aliquam

ſpectari compoſitionem neceſſe eſt: quia quicquid mutatur, quantum ad aliquid manet; & quantum ad aliquid mouetur mutaturque. Poſtremo quicquid mutatur, id motu & mutatione ſua aliquid acquirit, & pertingit ad aliquid ad quod non pertingebat prius. Hoc autem quis homo ſanus de Deo dixerit, aut etiam dici poſſe vnquam putauerit?

Hoc illud eſt, inquiet Samoſatenus, quod volo. Nam hæc tria de Deo a vobis prædicantur, quum Pater genuiſſe dicitur, & Filius fuiſſe genitus. Nam de Patre prædicatur potentia actiua, gignendi; de Filio, paſſiua, vt eſſet genitus. De Patre prædicatur mutatio, quòd genuerit; qui autem genuit, deſiit gignere: de Filio conſimiliter, quod genitus ſit: qui enim genitus eſt, cœpit eſſe, & deſiit gigni. Poſtremo Pater gignendo aſſequutus eſt Filium, quem non habebat; & Filius eſſe, quod non habebat. Annon ergo ex ſententia veſtra conſequitur mutari Deum?

Nos vero abſit vt hæc tria aut horum quicquã de ſummo illo & primo Ente, vero æternoque Deo noſtro ſentiamus, aut dicamus. Nam Patrem gignere, & Filium gigni a Patre dicimus ſine mutatione vlla aut eſſentiæ, aut perſonæ, aut actus notionalis ſui, vt vocant Scholaſtici: neque hæc inter ſe pugnare ratione vlla contendimus. *Qui gignit*, inquis, *potentia actiua gignit; & qui gignitur, potentia paſſiua gignitur: Pater gignit, & Filius gignitur: Ergo potentia actiua gignit & paſſiua gignitur.* Maiorem diſtinguimus: Nam gignendi verbum dicitur æquiuoce, pro natura ſubiectorum quib. generandi actus tribuitur. Eſt genitura Logica, ſiue Phyſica, quam Prædicamentalẽ vocant:

est genitura transcendens siue metaphysica, quam mentalem dicunt: est suprema vel singularis, quæ & diuina appellatur. Genitura logica vel prædicamentalis est rerum corporearum, quæ per se & de se gignunt extra se: sic a parentib. gignuntur liberi. Genitura transcendens, est spirituum, quę propterea mentalis dicitur, quia mens, vt subiectum simplex, gignit non de se, sed per se in seipsa: atque sic a mente gignitur ratio. Genitura suprema siue diuina est, qua Deus Pater gignit Filium, persona personam per se & in se, in vnitate essentiæ, vt subiectum simplicissimum, si subiectum licet appellari. Secundum primam gignitur substantia corporea & ab homine persona, per potentiam: secundum alteram gignitur non substantia aut persona, sed essentialis proprietas mentis & specifica illius per naturam, non per potentiam: Secundum tertiam gignitur persona diuina; non per potentiam, vt hic vult, sed per naturam. Etsi ne quis imperitior obloquatur istis, rudiores monendi sunt, nos hoc loquendi modo nihil de omnipotentia Dei detrahere; absit: sed de potentia Logica aut Physica loqui: quod genus potentiæ Deo tribui non potest, quia actus purus est & simplicissimus.

Nunc iudicet æquus Lector, quanti apud bonos esse possit illa enunciatio: *Qui gignit, potentiâ actiuâ gignit*, &c. Distinguimus enim hoc modo, Qui gignit secundum corpus, geniturâ logicâ videlicet, is potentiâ actiuâ gignit; & qui gignitur, potentiâ passiuâ gignitur. Idem concedimus, & docemus. Sed in altero genere negamus: Nam qui geniturâ transcendente, aut etiam suprema gignit, is ea potentia non gignit, secundum quam potest gignere aut potest non gignere; sed gignit naturâ, secundum quam ita

est

est vt est, nec aliter se habere potest. Mens itaque gignit λόγον, nec potest non gignere, quia est partus vel genimen naturale mentis, & quidem (vt Aristoteles loquitur) τῷ νοΐ συναΐδιον, id est, coæternum menti: nunquam fuit, est, aut erit mens, quin sit in ea ratio; nec ratio vnquam dari potest, quin sit mens ratione instructa, eamque obtinens. Similiterque in diuina generatione, Pater gignit λόγον Filium, nec potest non gignere, quia est partus vel genimen naturale personæ Patris, & coæternum Patri: nunquam fuit, est, aut erit Pater, quin sit in eo Filius; vt nec Filius vnquam dari potest, quin sit Pater Filij, habens in se Filium. Hæc verissima generationis ac pernecessaria distinctio.

Lib. 2. de anima.

Minorem itaque animo æquissimo non concedimus solùm, sed etiam asserimus, seruata distinctione quam adhibuimus: Pater enim gignit Filium, & Filius a Patre gignitur suprema & singulari generatione, quam diuinam appellamus. Sic falsa conclusio.

Ex hac vero distinctione & solutione argumenti primi, reliquorum id genus solutio est cuiuis bono exposita. Eiusmodi est Samosateni argumentum istud, vel potius membra argumenti inter se respondentia: *Qui genuit, desiit gignere: qui genitus est, cœpit esse, & desiit gigni. Illud autem Patri, hoc Filio competit.* Vtrumque membrum negamus de genitura Metaphysica & transcendente vere dici: quanto magis de genitura singulari, quæ supra omnia Physica est & Metaphysica? De genitura logica verum esse inter nos conuenit. Nā genitura primæ speciei est actio & passio transiens, ex potentia: genitura vero secundæ & tertiæ speciei est actio & passio permanens, in natura; & vsqueadeo est de natura gignētis & geniti, vt

ſemper ſimul ſint, nec vnum ſine altero eſſe aut interire poſſit. Quod itaque concludit, ergo neutrius immutabilitatem eſſe, id ex antecedentibus cõfici nullo pacto poteſt. Contra vero ſi rem ſe habere ſecus diceremus, immutabilitatem Deo adimeremus. Nam ſi mens generat, etiam generat Deus: ſi mens generat generationem coæternam, etiam Deus: ſi generat in ſe, non extra ſe, etiam Deus: ſi ſimplex eſt & immutabiliter generat, multo magis de Deo fateamur idem neceſſe eſt. Cur autem? quia naturalis eſt ſpirituum, non potentialis vtraque generatio, nec a natura diuelli poteſt ſine corruptione illius. Generatio igitur eſt immutabilis. De eo autem membro, quo dicitur, *qui genitus eſt, cœpit eſſe*, paulo poſt videbimus. Nam hoc ſpeciatim poſtea & copioſius a Samoſateno inſtituitur argumentum.

Euerſo autem proſyllogiſmo, conſequentia quoque argumenta ruere neceſſe eſt. Nam poſtquam immutabilitatem eſſentiæ Dei & perſonalis generationis in eſſentia ſtatuimus, ex contraria argumentationem affirmatiuam hoc modo conſtruimus:

Cuius eſt plena immutabilitas, is Deus & ens primum verè dici poteſt, vt eſt:

Patris & Filij plena eſt immutabilitas, vt modo oſtendimus:

Et Pater igitur & Filius eſt verè Deus, & verè dici poteſt.

Quod autem poſtea hic Samoſatenus a ſimili voluit confirmare argumentationem ſuam, non fuit neceſſe. Nam vera ſunt illa quæ primùm adferuntur: *Eadem eſt ratio infinitatis quæ loco opponitur, & æternitatis quæ tempori:* vt enim locum infinitas, ſic tempus excludit æternitas. Deinde & illa non improbamus: *Infinitum eſt vbique: quod eſt vbique, immobile eſt: infinitum*

tum ergo immobile. Item, *Æternum eſt ſemper: quod ſemper eſt, immortale ſine principio & fine eſt: æternum ergo immortale.* Sed quum ſine principio dicimus, non tollimus principium originis, ſed principium temporis: hoc enim æternitate, non illud excluditur. Quapropter fallit Samoſatenus egregiè, quum inquit, *quod æternum eſt, ſemper eſt: quod ſemper eſt, ingenerabile eſt.* Dicendum fuerat, o Samoſatene, *quod ſemper eſt, intemporale eſt.* Nam vt immobile tollit rationem loci, ſic intemporale vel non ſucceſſiuum tollit rationem temporis. Quum autem dicis, *quod ſemper eſt, ingenerabile eſt*, negatur minor, & merito: cum ipſe diſcedas a ratione ſimilis quod inſtitueras; & hęc duo attributa, Semper eſſe, & Genitū eſſe, a natura ita ſint, vt alterum non tollatur altero neceſſitate naturæ, ſed ſimul in eodem ſubiecto coire poſſint. Quemadmodum, exempli cauſa, ſi extra Dei eſſentiam alia mens aliqua dari poſſet ſine temporali principio, eiuſdem quoque mentis λόγον rationemue ſine principio temporali neceſſe foret ſtatuere: hæc autem ratio ſecundum originem principium, ſecundum tempus minimè habitura eſſet, eo quod menti coæterna eſt.

SAMOSATENVS. 10.

Quid? an æternitas ipſius rei peruertere naturam ita poteſt, vt Pater æternus non fuerit Pater, & Filius æternus non fuerit filius? Stultum quidem fuerit hoc affirmare: ergo neque efficere poteſt æternitas, vt æterna generatio non fuerit generatio, id eſt, productio de non eſſe ad eſſe, vt que non eſſe λόγου aliquo modo non præceſſerit ipſum eſſe.

ORTHODOXVS.

Argumentum eſt a coniugatis, quod ſyllogiſticè (ſi placet) ita concluſeris:

Eadem ratio æternitatis est ad esse Patris & Filij, & ad generationē, quam argumenti formandi causa non incommodè patrationem & filiationem appellaueris.

Æternitas autem non potest facere, vt Pater æternus non fuerit Pater, & Filius filius.

Eadem igitur non potest facere, vt generatio non fuerit generatio.

Probamus argumentationem, si bene intelligatur: Sed glossema quod adtexitur improbamus. Nam generatio materialis & corporea est *productio de non esse ad esse*, vt iste philosophaster loquitur. sed hæc sola non est generatio, cùm immaterialis quoque & incorporea sit generatio in generante subsistens, siue tamquam proprietas essentialis in subiecto, vt in mente ratio; siue tamquam persona in persona essentiæ vnitate, vt Filius genitus a Patre est in Patre, & Pater in ipso. Si placet idem altero modo explicari, sic etiam potest: Productio ad extra (vt loquuntur) siue extrinseca, & productio de non esse ad esse, idem sunt: intrinseca vero productio est productio de esse, vt ita dicamus. Nam liberi qui non erant producuntur a parentibus de non esse ad esse, & habet vtrumque suum ipsius esse: Ratio vero, est de esse mentis producentis ipsam: & Filius Dei, est de esse Dei Patris qui produxit ipsum. Sed, fortasse dixeris, ratio non subsistit in se, vt mens, sed subsistit in mente: ergo dissimilia sunt hæc duo. Respondeo, sunt quidem dissimilia; sed quo perfectius agens, eo perfectior est actio: Perfectioris autem agentis, id est Dei, perfectiorem actionem ex imperfectioris comparatione concludimus necessario. Si enim omnis spiritus, & maioris euidentiæ causâ, nostra mens, quæ agens est imperfectius, producit rationem in se ex-

exsistentem, nec potest non eam producere vt proprietatem essentialem ipsius: omnino Deus, qui agens est perfectius, perfectiorem effecturus est generationem, quæ non sit proprietas inexsistens, vt in mente ratio, sed persona siue ὑπόστασις, subsistẽs in se vt persona, & exsistens in Patre, vnitate essentiæ: quia quod est in Deo, subsistit vt Deus. Alterum autem consectarium, quod *non esse λόγου aliquo modo ipsum esse præcesserit*, id ex eodem errore profectum est: ac proinde eodẽ modo facillimè subruitur ex antecedente loco.

SAMOSATENVS. II.

At in æternitate cùm non sit prius & posterius, non est quod præcedat, & quod sequatur. Audio: sed illud vicissim audiatur, in æternitate non posse esse generans & generatum, nisi in eadem sit prius & posterius. Nam omne quod generatur, habet fontem, originẽ, principium, causam sui esse: quod esse, si est æternum, eius quasi mensura est æternitas ab ipso non distincta nisi ratione, vt & cætera Dei attributa: non potuit igitur esse λόγȣ oriri ex Patre, quin simul ex eodem ipsius promanaret æternitas. Sed æternitas producta nõ est æternitas magis, quàm infinitum est quod habet finem: quoniam esse æternitatis est ipsamet duratio æterna: quæ si causam habet efficientem, quid aliud dici potest, quàm æternum non esse æternum? An porrò vlla de re generata veré affirmari potest, ipsam nunquam fuisse generatam? nemo hoc dicere audebit. Restat igitur, vt de ea veré affirmetur alterutrum horum, nimirum vel tum generatum esse, vel semper generari: Sed dici nõ potest λόγον semper generari: alioqui non haberet esse permanens, sed successiuũ tantùm instar motus vel temporis. Ergo verè dicitur eum tunc generatum esse, siue illud tunc instans temporis, siue æternitas fuisse intelligatur. Sed tunc cùm generatus est cœpit habere esse: ergo non ab æterno fuit: non

igitur fieri potest, vt aliquid ab æterno fuerit, & tamen genitum sit. Quare insanire velle cum ratione videntur, qui negantes in æternitate esse prius & posterius, in eadem tamen dicunt esse qui generet, & qui generetur.

ORTHODOXVS.

Subiungis, o Samosatene, exceptionem nostrorum aduersus proximum illud dictum, τὸ non esse λόγου præcessisse aliquo modo ipsum esse; quæ ex definitione æternitatis sumpta est, hoc modo:

Æternitas est simul tota: non est igitur in ea prius & posterius:

Ex absurdo videris tibi refellere, hoc argumento:

Generans & generatum sunt prius & posterius:

In æternitate secundum doctrinam vestram sunt generans & generatum:

In æternitate igitur sunt prius & posterius.

Maior propositio tua est æquiuoca: vera secũdùm acceptionem vnam (vt Scholastici loquuntur) & secundum alteram falsa. Nam si de generante & generato secundum primam generationis speciẽ egeris, qui generat Physicè, prior est; qui generatur, posterior & causâ & tempore. Sin de generante ex secunda tertiáue generationis specie, quas segmento 9. distinximus, qui generat Metaphysicè, prior est; & qui generatur, posterior est causâ vel origine, non autem (vt putas) tempore. In his enim generibus generans & generatus sunt inter se non dico σύγχρονοι, sed (vt Aristoteles ille tuus loquitur) συναΐδιοι, non contemporales, sed coæterni. Sic totum illud argumentum corruit quo tibi vidêris exsultare: & ruit quoque illius explicatio, quam proximè subiecisti, si hanc vnicam distinctionem adhibueris, hoc modo: *Nam omne quod generatur, habet fontem, originem, principium,*

causam.

causam sui esse: nempe priorem tempore in Physica generatione; ac simul tempore, quamuis priorem ordine causæ in Metaphysica: *Quod esse, si est æternum,* &c. Deinde quod subiicis, eiusdem farinæ est: *Æternitas producta,* inquis, *non est æternitas magis, quàm infinitum est quod habet finem.* Nimirum producta secundùm tempus, quia æternitas excludit tempus, vt antè segmento 9. ostendimus. Hìc verò de æternitate producta agimus, non secundùm tēpus (hoc enim esse non potest) sed de producta secundùm ordinem causæ vel potius principij, & principiati originē; etsi hæc duo (vt modò dicebamus) simul sint a natura, nec tempus dari possit quo alterū sine altero exstiterit. Nec aliter se habent illa paulo post, *duratio æterna si habet causam efficientem, æternū non est æternū.* Tune o Samosatene, istud oppositū esse in apposito (vt loquuntur) putas? Fabulę. Non enim quæuis causa efficiēs prior est tempore effectu suo, aut principiū principiato, vt ita loquamur: quod te non puto ignorare. Priorē esse non planè infitiamur, sed priorē tempore. Non exspectas, opinor, dū tibi discrimina causarū exponā, aut varios prioris & posterioris modos. Si non es nescius, tu ipse quęso ad has tuas argumentationes hunc modū adhibe: deinceps certè, si vir bonus es, homonymias istas videbis, & cauebis. Nam & duratio æterna & causa efficiens æterna optimè consistunt simul, vt iā sæpe demonstrauimus. Venio ad dilemma tuum, quod adhibes confirmationis loco, id est, gladium plumbeum, quem ostentas. Dicis enim:

Res generata quæ æterna dicitur, aut tum generata est, aut semper generatur:

At non semper generatur: *Ergo tum generata est.*

Deinde ex vtroque dilemmatis istius membro ab-

ſurda colligis. *Si ſemper generatur, ſucceßiuum habet eſſe, non autem permanens: ſi tunc generata eſt, cœpit habere ſuum eſſe, ac non æterna eſt.*

De his, Samoſatene, ſic habe. Maiorem concedimus, aut fuiſſe aliquod tunc, cum generatus eſt Filius, id eſt, inſtans temporis, aut ſemper generari: nã horum alterum eſt neceſſarium. Quod autem in minore ſtatuis non ſemper generari, id orthodoxi Patres vno conſenſu omnes negauerunt: & rectè. Viderunt enim abſurdum illud quod poſtea adducis, eſſe non ſolùm a ratione, ſed ab analogia fidei alienum: nempe ſi tunc datur aliquod, ſeu inſtans temporis, quo genitus eſt Filius, etiam tunc cœpiſſe eſſe, ac nõ æternum eſſe: Quam rem vt ſentiamus, aut dicamus, abſit. Nam hoc cum veritati ipſi æternitatis, tum verò naturæ generationis non dico ſupremę aut diuinæ ſolùm, ſed etiam metaphyſicæ, de quibus antè, aduerſatur. Concludimus ergo cum ſanctis Patribus, Filium a Patre ſemper generari. *Ergo imperfectum*, inquies, *& ſucceßiuum habet eſſe, non autem permanens.* Negatur conſequens: nam axioma illud falſum eſt, quicquid ſemper generatur, id habere imperfectum eſſe atque ſucceſſiuum, nec permanens ſemper. Nam generationis cùm metaphyſicæ, tum etiã diuinæ proprium illud eſt, quòd generans & generatũ ſemper ſimul ſint, & perfectè ſint ſimul. Qui aliud ſentit, naturam æternitatis, æternarum rerũ, & generationis huius euertit imprudens. Æternitatis: nam æternitas eſt tota ſimul, nec per tunc, id eſt, inſtans vllum temporis diuiditur, quod tute ex Boëthij definitione antè ſtatuiſti. Rerum æternarum: nam ſi æternæ ſunt, etiam æternitatis competere proprietatem eis neceſſe eſt. Generationis denique metaphyſicæ

physicæ & diuinæ simul, quia in vtraque hac generatione, generans & generatum semper simul perfectè sunt, nec aliter se habere possunt. Atque huius rei ratio est euidens, si ad rerum metaphysicarum diuinarumque naturam adspexeris. Nam quæ a natura simplicia sunt, ea semper ita sunt vt sunt, nec aliter se habere possunt, quatenus sunt. Ita autem sunt res metaphysicæ, simplices: res diuinę, simplicissimę. Quid? tu homo ostentator inanis philosophiæ, an negaturus es animam simplicem esse, & simpliciter rationem gignere de se in se? Si simpliciter, perfectè igitur: nam si imperfectè, non foret simplex, quia compositio ad eam accederet. At neutra compositionem habet: simplex igitur. Si simplex a natura, ergo & perfecta est. Si a natura, semper est simplex & perfecta, ex quo est. Verumtamen anima, siue mens, siue spiritus, semper rationem in se de se gignit, simplex simplicem, perfectus perfectam, semperque genuit. Quod si spiritus, qui tunc cœperunt esse, id tamen proprietatis habent, vt simplices & perfecti simplicem perfectamque rationem generatione metaphysica generent, tu id simplicissimæ essentiæ adimes? Vides igitur, mi homo, falsam esse consequentiam tuam, quam ex absurdo visus es adferre posse contra doctrinam salutarem nostram. Dices fortasse, Atqui non ita docent Theologi memoria nostra. Inuidiose hoc adducitur, vt humanæ auctoritates committantur. Verumtamen respondendum est, nequid omisisse per fraudem Samosateno videamur. Primùm ergo dicimus omnes Patres vno ore sic loquutos esse, idque ex rei veritate quam supra exposuimus: mihi & rei veritatem sufficere, & auctoritatem Patrum. Deinde non omneis homines nostros

ita docuisse; sed quosdam exstitisse qui apertè doctrinam Patrum amplexi sunt, plerosque de hac re tota tacuisse. Postremo siqui sunt qui secus senserint dixerintue, eos magis ad principium generationis æternum, vel sine principio temporali, quàm ad durationem geniture illius æternæ respexisse propter recentes huius seculi nostri hæreticos: ac proinde re nobiscum verè consentiunt, etsi alio respectu in docendi modo discedere a nobis videantur. Sed de hac re satis.

SAMOSATENVS. 12.

Sed hìc versipelles elabi conantur per subtilißimam, quam splendente admodum sole repererunt, rimam. Aiunt enim Solem & causam esse lucis, & simul tempore fuisse cum luce: quamobrem si Sol æternus esset, lucem quoque ei coæternam esse, fluentem & dependentem ab ipso. Quo exemplo demonstratum putant, non esse ἀσύςατα seu non pugnare inter se. generatũ esse, & ab æterno fuisse. At cum duplex sit lux Solis: vna, quæ in ipsius Solis substantia hæret, quæque Solis, vt astrum quoddam est essentiam constituit (ab ea enim Sol obtinet vt & Sol sit, & Sol nominetur) altera verò, quæ extra Solem per aërem diffunditur, ipsum collustrans, & propriè lumen appellatur: cùm, inquam, hæc duplex sit lux Solis; vtra cum luce productum volunt Deũ comparari? Non cum prima, quia illa non producta est a Sole, sed vna cum Sole procreata est a Deo in tempore: neque cum altera luce; nam ea posterior est Sole, & subinde gignitur, ac interit. Frigidum ergo hoc est de luce Solis exemplum, immò etiam eiusmodi, quod ipsis aduersetur doctißimis Trinitariis philosophis: qui Proclo Platonico philosopho acutißimè argumentanti mundum fuisse æternũ, non aliter respondent quàm negando posse effectus simul cum

cum suis esse causis efficientibus. Sic enim Proclus apud Philoponum ratiocinatur pro mundi æternitate: De natura boni est seipsum cum alijs communicare, suamq; bonitatem alijs rebus, quantum fieri potest, impertiri; & id maximè conuenit summo bono, qui est Deus: at si mundus non sit æternus, per æternum (vt ita dicam) tempus Deus nihil egit, & suam bonitatem non communicauit: Aut igitur potuit ab æterno mundum creare, aut non: si non potuit, ergo est finita vi & circumscripta facultate præditus: si potuit, aut voluit etiam, aut noluit: si potuit & voluit, ergo fecit: quid enim ei obstare potuit? si potuit & noluit, ergo non est summè bonus, & inuidia tangitur: id quod est impium cogitare, nedum loqui aut sentire. Ad hoc verò Trinitarij nostri philosophi nihil certè aliud respondent, quàm æternitatem aduersari, & repugnare conditioni eius quod sit. Si enim mundus, inquiunt, a Deo factus est, ab eo suum esse ac durationem accepit: at si coæternus ipsi fuit, non potuit accipere: nam quod semper est, quomodo ad ipsum esse produci potest? omnis enim productio aliquid nouum necessario significat. Hæc illi. Nec alio dissolui modo potest illud Procli argumentum: cur enim Deus bonitatem suam ab æterno rebus creandis non communicasset, si id fieri potuisset? non enim voluntas Dei cum bonitatis suæ pugnare potest lege: nec voluntas esse potest regula bonitatis, sed bonitas potius regula diuinæ voluntatis. Quare imperitorum est hominum ad nudam voluntatem Dei, tamquam in aram mutam & brutam, confugere, vbi euidentissimis conuicti rationibus, veritati tamen sese nolunt dedere. Ex hac ergo Philosophorum necessaria responsione habemus quod quærimus: nempe Deum non potuisse generari, si ab æterno fuit: siquidem mundus ad ipsum esse produci non potuisset, si semper vel ab æterno fuisset.

Benedictus Pererius societatis Iesu lib. 15. de communibus rerum naturaliũ principiis, in solutione 2. argu. & Francisc. Toletus societatis Iesu in commẽtariis suis in 8. lib. Physicorum Aristot. quæstione 2.

ORTHODOXVS.

Etſi ex iis quæ ante diximus, facile tibi Samoſatene conſtare poteſt quæ ſit noſtra de diuina illa generatione ſententia: cum tamẽ hîc ſannis potius quàm locis principio agas, deinde argumentum ſannæ tuæ perſequaris, ad ſingula paucis reſpondebimus. Dicis exemplum Solis & lucis a noſtris adferri, vt oſtendant non eſſe ἀσύςατον generatum eſſe, & fuiſſe ab æterno. Agnoſco dictum: ſed hic tamen duo ſunt tibi in mentem reuocanda: vnum, exemplum ſimile afferri ad aliquid, ac non ad totum aſſimilandum id cuius eſt ſimile: alterum, eos ipſos ſanctos viros qui iſto exemplo vſi ſunt, ſemper vſos eſſe religioſa quadam προθεραπεία, ne rem creatam cum diuina & incomparabili temere comparare, aut de rebus diuinis ſentire humilius quam deceat atque expediat ſentire, putarentur. Poſito autem ſimili, primùm de Sole diſtinguis quàm maximè potes philoſophicè; deinde ex diſtinctione tua argumentaris contra nos dilemmate. Quæſtiones philoſophicas equidem non libenter ineo, quia ſimplicitati ſtudendum mihi ſemper eſſe duxi, magis quàm ſeruiendum curioſæ vanitati. Sed quia tu, Samoſatene, me eò pertrahis; bene præeuntem ſequar, male præeuntem monebo; vt me ab hac moleſtia, te ab inſcientia & errore liberem. Duplicem Solis lucem eſſe narras, vnam in ſubſtantia, alteram extra ſubſtantiam eius. At ego tecum nihil diſputabo, vtrùm ſit in ſubſtantia, nec ne: item ſi in ſubſtantia, an ſit in ſubſtantia tamquam pars eſſentialis eius, an tamquam accidens inſeparabile, an aliquo alio modo. Concedam poſtulatum tuum, ita vt dicis duplicem eſſe Solis lucem: ne tempus extra quæſtionem inſtitutam terã. Videbis ipſe, ſpe-

ſpero, quàm tecum agam leniter. Hoc poſito, ſic argumentaris:

Aut cum huius lucis, aut cum illius productione comparatur Filii à Patre generatio:

Non autem cum huius productione, neque cum illius:

Igitur falſo comparatur.

Minorem à nobis negatum iri non ignoras: quapropter firmamenta dicti tui in vtramq; ſententiam adhibuiſti. *Non cum prima*, inquis; *quia illa non producta eſt à Sole, ſed vna cum Sole procreata eſt à Deo in tēpore.* Contrà verò etiam fieri affirmamus, quum ſancta Trinitatis inſtituitur comparatio, vt poſt dicturi ſumus. Verùm eſto ſanè vt concedam cum priore illo lucis genere minimè inſtitui comparationem: nihil effecturus es; ignoſces, ſi me non eò adducunt rationes tuæ. Nam quòd illam non productam eſſe à Sole dicis, id quidē affirmatè dicis: ſed quid ſi quis philoſophari volens, corpus vel ſubiectum Solis aſſereret illud eſſe quod generat lucem? Quod ego quidem nō probo; verumtamen tu ipſe tibi nectis moleſtias. Aut quid ſi (quod verius eſt) Solis nomine intelligamus corpus illud denſum ex materia cæleſti, & ignem inditum vt formam eſſentialem eius? Ignis certè ſplendorem vel lucem vtramque efficit, internam, & externam; internam gignens in ſe, externam producens foras. Quanti ſunt igitur hæ affirmationes tuæ? Ad alteram cauſam veniamus. Laudo dictum, *procreatam eſſe lucem à Deo in tempore:* nam ita eſt, & tradit Moſes: licet neget Antinomus: Sed quod *vna cum Sole procreatam* dicis, vnde illud, obſecro? Ex Moſe didicimus, lucem triduo præceſſiſſe ante creationem Solis. Et meritò: quid enim eſt lucidum in mundo hoc elementari niſi ignis per ſe, cęteraque per ignem? Geneſ. 1

G

Cùm enim diceret Deus, esto lux, ab effectu designauit vel à signo necessario, elemētaris ignis ordinationem in creationis illius ordine. Si aliter sentis, retege te, & nouam pertexe creationis historiam. Sic enim constabit apud omnes, te nō solum de schola Samosateni, sed etiam de philosophorum placitis scientiā illam tuam percepisse, qui tamē statim à principio libelli bonis fucum feceris, quū de religione Christiana loquens, *nostram religionem* appellaueris.

Sed esto, vt antè dixi, probemus hoc membrū, nō sumi ab ea luce comparationē per homines nostros. De altera, quid? *Neq; cum altera luce*, inquis: *nam ea posterior est Sole, & subinde gignitur, ac interit.* Negamus singula, comparationem nō fieri cum altera luce (fit enim) eam Sole posteriorē esse, eam subinde gigni ac interire. Comparationem fieri cum altera luce Scriptura sacra teste confirmamus, & Patribus assentientibus. Nam quum Christus ἀπαύγασμα τῆς δόξης, resplendor glorię, appellatur ab Apostolo, quum Patres item splendoris radiorumq; in hac cōparatione meminerūt, omnē profectò materiam dubitationis eximūt. Quid enim aliud est ἀπαύγασμα, quam splēdor ad res exteras resiliens ex interna facultate? quid splēdor? quid radii? Aliud agat oportet, qui hæc similia non peti ex ea luce cogitat. Neq; est cur Samosatenus regerat, hæc ergo non esse similia: hanc enim lucē externam nihil nisi effectum & accidens esse. Non enim lucis illius cum Filio instituitur cōparatio secūdum esse ipsorū, sed à minore ducitur argumentū. Nam si à Sole producitur lux in natura rerū, tamquā à naturali causa libera, semper agente, & nunquā impedita; his autē causis sua effecta semper necessitate naturæ cōiūcta sunt: quāto magis à Deo Patre agēte liberrimo

Hebr. 1.

creda-

credamus Filiũ sẽper ab ęterno gigni necesse est? quo iure denegemus Patri ꝙ Soli inesse agnoscimus? Deniq; spectatur simile ex quadã cõmuni notione, quæ aliquo modo parit similitudinẽ: sed tamẽ eiusmodi, q̃ religiose (vt ante monebamus) orthodoxi Patres volebant adhiberi. Alioquin cùm in hac re magna dissimilitudo est, tum in aliis omnib. maxima. Ab effectis tamẽ, q̃ velut sui imagines indidit rebus creatis Deus, sensim ad gustũ aliquẽ diuinarum rerũ, vtut summæ & incõparabiles eę sunt, nõ malè assurgitur prǽeunte diuini verbi face. Venio ad causas illas duas quib. tu, Samosatene, tam audacter vteris. *Lucẽ Sole dicis posteriorem esse*, æquiuocè. Si posteriorẽ dicis naturæ vel causarũ ordine, cõsentimus lucẽ hãc ordinatã inde à quarto creationis die rectè posteriorẽ appellari: si tẽpore posteriorẽ, negamus. Nã lux illa ex institutione Dei Creatoris simul cum Sole fuit, cœpitq; planè eodẽ momento temporis quũ dixit, *Sũto luminaria, &c.* Lucẽ autem hanc ordinatã propterea dico, quia si de luce absolutè simpliciterq; agitur, ante Solẽ exstitit, vt ex Mose antè dicebamus: nam lux ab igne elementari exstitit die primo, velut natura ordinẽ inchoãte; à Sole verò, velut instrumẽto eam dispescẽte, fuit die demũ quarto cõstituta, velut natura ordinẽ consummante illius. Nõ potest itaq; vera esse propositio tua: cùm lux absolutè dicta primo die creationis exstiterit, triduo ãte Solẽ; ordinata vero, simul cũ Sole. Neq; verior est altera ratio, *subinde gigni ac interire lucẽ.* Memini anno superiore scriptũ cuiusdã Antinomi (quẽ tu, opinor, noueris) à me cõfutari, qui eo nomine aliquoties flagellat indigne Mosem, quòd de creatione loquutus sit populariter. Hoc quidẽ narranti licet, disputãti nõ item. Verumtamẽ siue propriè accipiatur,

siue populariter hæc enunciatio, quàm vera sit, teipsũ appello iudicem. Propriéne igitur accipi vis dictum? Nego verum esse: & affirmo cõtrà, semper à Sole, ex quo Sol est, produci hanc lucem, non autem subinde interire ac gigni. An putares vnquam fieri posse, vt naturalis causa indesinenter agens, libera, ac non impedita, cùm nec cesset nec intermittat vnquã, destituta sit effectu suo? Ex quo fonte hausisti dogma istud philosophiæ? Sed populariter accipio, fortasse dixeris. O te hominem popularem, qui statuas Solem, quum lucet nobis aut nõ lucet, gigni & interire. Hoc verò non solum populare, sed etiam crassum atque obesum est. Nam eadẽ popularitate apud Antiscios siue Antipodas nostros gignetur Sol, quum nobis occidet; interibit, quum exorietur nobis. Sic popularitatem vnã, euertet altera popularitas. Tu verò cui persuaseris te in hac disputatione tua ad popularitatẽ istam respexisse? si fecisti, qua fide quæso adduci voluisti, velut firmamentũ argumentationis tuæ? Nam hîc quidem nihil ad rem facit. Negas, si sol æternus esset, hanc lucem Soli coæternam fore. Quid ita? quia subinde gignitur & interit. Si propriè dicis, Samosatene, falsum dicis: sin autem populariter, nihil dicis. Ne illudas deinceps verbis sermonibusque tuis, si vir bonus audire, fidemq; tibi à bonis haberi cupis. Hæc igitur lux illa est, à cuius exemplo visum est sanctis Patribus ostendere falso negari, quòd producens & productum semper simul esse eodem tempore possint in rebus creatis: nam in his etiam quædam exempla exsistere: ideoque non debere mirari quemquam illud quod dicimus, Filium æternum ab ęterno Patre æternum esse genitum. Quamquam non defuerunt qui etiam totius illius venerandæ Trinitatis adumbra-

bra-

brationem quamdam, Solis, mentis, aliarumq; consimilium rerum exemplo petiuerint: non quòd similia esse hæc crederent, docerentque; sed tantùm eo consilio, vt his veluti rudimētis elemētaribus imperitiores infirmioresque docerentur, non esse absurdū quod ex Scripturis asserimus, gignētem, genitum, & productum siue procedētem in essentia diuina simul semper esse; cùm etiam in his rebus creatis nō solùm simplicibus, sed & cōpositis quædā ita constet se habere, vt in eis vnum quid nunquam nō gignat & producat, alterum nunquam non gignatur, tertiū nunquam non producatur. Sed hæc quæstio propriè hoc in loco non agitur. Et frigidum Solis exemplum hoc affirmas? quod ipsi Hyperborei & maris glacialis accolæ, Cimmeriique (tanta vis est illius) sentire possunt. *Immò etiam*, inquis, *eiusmodi quod ipsis aduersetur doctißimis Trinitariis philosophis*. Mirum dictu: quamobrem probationem ex te audiamus. *Proclo argumentanti mundum esse æternum, non aliter respondent quàm negando posse effectus simul cum suis esse causis efficientibus*. Negamus vniuerse ab illis fuisse dictum. Nam effectionum aliæ à natura, aliæ à voluntate sunt. Earum quæ à natura sunt, aliæ sunt necessariæ in perpetuo vsu, quas naturalis causa efficiens necessaria semper non potest non efficere; aliæ non necessariæ, sed in vsu quodam successiuo positæ. Anima facit vt homo semper viuat; non facit autem, vt semper comedat, bibat, vigilet, dormiat, &c. Illæ ergo qualitates actiuæ perpetuæ & necessariç, semper simul sunt tempore cum suis effectionibus; & effectiones semper cum suis qualitatibus, qualitates semper cū subiectis. Neminem præter te, Samosatene, hominem noui mediocriter instructū præceptis philosophiæ, qui gene-

raliter istud affirmauerit, nõ posse effectus simul cum suis esse causis efficientibus. Contrà enim sunt, quæ nunquam simul esse non possunt, & quorum alterũ non potest oriri aut interire, nisi cum ortu aut interitu coniunctissimo alterius. Atque hoc paradoxum tuum vide quomodo confirmes. Narras Procli argumentationem de æternitate mundi copiose satis: hoc autẽ est (vt multi iudicaturi sunt) ex animo narras studiose. Deinde responsionem adfers breuiùs, frigidiùs. In summa ita concludis: *Quæ ratio est de ortu mundi, eadem est de ortu & generatione Filii.*

De ortu autem mundi Trinitarii nostri Philosophi nihil aliud respondent quàm æternitatem aduersari, &c. Ergo eadem ratio de generatione Filii: id est, si genitus est, à Patre suum esse, & durationem accepit: at si coæternus ipsi fuit, non potuit accipere: nam quod semper est, quomodo ad ipsum esse produci potest? omnis enim productio aliquid nouum necessario significat.

Hîc primum, ô Samosatene, peccas grauissimè, quòd rerum toto genere differentium eãdem esse rationem asseris. Non es nescius Deum à Patribus ὄντως ὑπερούσιον, à te ipso Ens summum appellari. Quòd si Logici præceptores tui, & ipse Aristoteles, neq; principia, neque terminos scientiarum confundi volunt, quo iure ex principio physico de re non solùm metaphysica, sed omnia principia metaphysica omnibus numeris & infinitè superante potes concludere? Maiorem ergo negamus omnino, quia res toto genere sunt dissimiles, & dissimilis ratio, vt antè demonstrauimus. Quid igitur facias, tuo axiomate destitutus? Quòd si minorem & conclusionem respexeris (quæ tamen euerso axiomate nihil sunt) etiam vtramque negare possumus particulariter. Dicis *nihil aliud à*

Trini-

Trinitariis responderi, quàm æternitatem aduersari, &c. Et vera quidem est responsio: Sed nihil aliud responderi cur dicis? Modestè saltē, si non veré: nō enim perlegisti omnes, nō omnium meministi. Et alia responderi possunt verè, piè, ac necessariò. Sed ea non sunt huius loci. Quū ergo de Filio dicis, *si genitus est, à Patre suū esse & duratione accepit*, verè dicis: sed non accepisse sequitur in tempore: quum addis velut disiūctū membrum, *si coæternus fuit Patri, nō potuit suum esse & durationem ab eo accipere*, bifariā peccas, re, & modo argumentationis. Re, quia concludis de re diuina quæ Metaphysicam trāscendit, nō dico physicè, quod est indignum; sed etiam æquiuocè, quod absurdum: nā si dixeris, si coæternus, nō potuit suum esse & durationem accipere à Patre in tēpore, damus, & credimus: sin autē hoc modo, si coæternus, nō potuit suum esse & durationē accipere à Patre vt principio suo, negamus, & causas inde à segmento 9. satis ostendimus. Pater enim principium est generatiuū Filii, sed non in tempore. Modo argumētationis peccas; quia disiunctionem facis ex iis rebus siue attributis, quæ neq; per se, neq; per cōsequēs, neq; immediatè, neq; mediatè in rebus Metaphysicis opponi possunt. Quod genus disiunctionis quanti fieri oporteat, tu ipse videris. Itaque quum ais ad confirmationem sermonis tui, *quod semper est, quomodo ad ipsum esse produci potest?* hoc physicè verū est. Similiter & illud, *omnis productio aliquid nouum necessariò significat*, datur de aliqua productione physica substantiarum, vt antè monuimus, corporearum ad esse. Cur principium Physicum tam audacter tribuis metaphysicis, quorum natura, facultates, actiones, passiones toto genere ab illis differunt? Dices fortasse, At illi vniuerse dixerunt, & sine exce-

ptione: fateor, ſed dixerunt de genere propoſito vniuerſe, id eſt de mundo, cuius æternitatem Proclus, hi creationem in tempore factam affirmabant. Secundùm id quod agebatur dixerũt, nõ de vniuerſis Phyſicis, metaphyſicis, diuinis vniuerſe. Hæc igitur omnia nihil ad rem. Agitur hîc de Deo, non de mundo: agitur de interno opere, non de externo: agitur de relationibus diuinis in ipſo, realibus, mutuis, æquiparatis, non de illa relatione inæquiparatiſſima (vt ita loquar) quæ inter Creatorem & creaturam interuenit per ſolam bonitatem Creatoris Dei. Fieri non poteſt, vt homo vllus inter iſta eamdem rationem cõſtituat eſſe, quin res creatas plus æquo euehat, eademq; plus æquo deprimat Creatoris ſummi maieſtatem. Concluſionem itaque tuam, ô Samoſatene, ſi quid vides, (videbis autem, ſi te ex animo à conſuetudine oculorum, ſenſuum, rerumq; Phyſicarum ad reuerendam illam maieſtatem ſalutariter conuerteris) vides à vero aberrare: nec à rebus Phyſicis ad ſupermetaphyſicas valere conſequentiam. Pater enim gignit Filium per ſe, in ſe, per naturam, non per potentiam Logicã, æternus æternum: eſtque relatio realis, mutua, æquiparata, ſecundum eſſe non Phyſicum, non metaphyſicum; ſed diuinum planè, & diuino modo. At non ita Deus creauit mundum. Ille fundamentum eſt ſempiternum, ſemper Deus, non ſemper Creator in effectu: hic terminus eſt in tempore factus & creatus, quem Creator fecit per ſe, de nihilo, extra ſe, potentia & voluntate, nõ natura; æternus temporarium: quorum eſt ſummè indiſquiparata (vt Scholaſtici loquuntur) relatio. Quid tu ex iſtorum comparatione viceris? Reſipiſce, obſecro, reſipiſce; & his vanis, falſis, cęcis, blaſphemis cogitationibus, quę nullam ſapientiam,

tiam,ne humanam quidẽ ſapiunt, renuncia: Deumque ora vt expurgans tuum cor fide, pro ſua miſericordia te idoneũ dignetur efficere qui videas ipſum. Reuoca in mentem illud dictum Christi, Beati qui mundo corde ſunt: nam videbunt Dominum. Ad ſcopum iſtum contende, poſita omni ſpecie inanis philoſophiæ & tumore mundi; & Chriſtus illuſtrabit te. Matth.5.

SAMOSATENVS. 13.

Atque hactenus demonſtraui æternam generationem non eſſe antè interminabilem,& eam ob cauſam,non verè æternam & immutabilem: nunc confirmo eamdem neque pòſt eſſe interminabilem & immutabilem. Quid ita? quia æternæ generationis quaſi terminus dicitur fuiſſe λόγος: *ergo ſimulatque ſic productus fuit, conquieuit illa generatio. At quo pacto diuina terminari poteſt generatio? cùm quicquid eſt in Deo, ſit ipſemet Deus, ac propterea æternũ & immutabile. Huius vim rationis quando Theologiæ viribus infringere non poſſunt, ad meram ſe conuertunt* λογοδαιδαλίαν, *audacter fingentes æternitatem eminenter continère omnem durationem temporis,& coëxiſtere omnibus differentiis temporis: id eſt, durationem (quam tempus habet imperfecto modo, ſine vlla nimirum permanentia & cum perpetua ſucceſſione præteriti, præſentis, & futuri) eam durationem habere æternitatẽ perfectiſsimo modo, hoc eſt, totam ſimul ſine vlla eius innouatione: quapropter æternitati omnia etiam præterita & futura eſſe præſentia, veréque dici poſſe* τὸν λόγον, *& generatũ eſſe,& generari,& generatum iri. Quod quum fingunt, quid quæſo aliud dicunt; quàm eamdem rem ſimul eſſe, & non eſſe? eſſe quidem,quia æternitati præſens ſtatuitur: nõ eſſe, quoniam vel iam interiit, vel nondum producta eſt. Nec verò dicat aliquis, rem præteritam & futuram nobis tantùm*

esse præteritam & futuram; non autem æternitati, quæ vnum est nunc stans, semperque durans. Hoc enim omne tollit & sensus & rationis iudicium, quo euidentissimè cognoscimus res præteritas non amplius esse, & futuras necdum productas esse: quare præterita & futura non posse æternitati verè esse præsentia, nisi aliter ipsi, quàm nobis & producantur & intereant: constat autem vnius rei vnicum esse ortum vnicumque interitum.

ORTHODOXVS.

Oppugnasti tu quidem, Samosatene, plus satis æternitatem principii vel generationis Christi: sed frustrà, vt euidenter a nobis fuit demonstratum. Nunc eodem argumento spondes te demonstraturũ, eamdem generationem respectu finis, non magis interminabilem & immutabilem, id est æternam, censeri posse. Quomodo probes, videamus:

Omnis generatio, inquis, *simulatque productus est terminus illius, conquiescit:*

Æternæ generationis secũdùm vos terminus est λόγος:

Ergo simulatque productus est λόγος, cõquieuit æterna illa generatio.

Quousque tandem, ô Samosatene, argumentationibus abutêris & falles, propositiones re falsas, æquiuocas sermone adhibendo? Etenim & maior tua enunciatio falsa est, & minor æquiuoca. Falsa est maior, quia vniuersalis: tolle signũ vniuersale, ex parte vera futura est, ex parte falsa. Vera est in generatione Physica, quà substantia vna sensilis alteram generat naturaliter: Falsa est in generatione metaphysica siue transcendente; & in diuina multo magis, vt in segmentum 9. ostendimus. Ratio autem est euidens: nam quicquid generat, generat sibi simile: res autem meta-

metaphysicæ sunt simplices & puri actus, quos ἐνδελεχείας vocant: similes ergo partus generant, & in se generant: nam si extra se gignerent, simplices & puræ esse desinerent, vel potiùs non essent: quia productio illa extrinseca compositorum, non simplicium substantiarum est. Deinde verò vox termini est æquiuoca, hoc quidem in loco. Verumtamen ne æquiuocationem dicamur consectari, Logicè accipiam, vt te puto accipere: Atque hac tamen acceptione propositio maior, vt antè, negabitur. Falsa igitur est consequentia, vbi maior veritate expugnatur. Ex minore autem contraria planè sententia ac dicis euincitur: quam (ne longior sim) concludam syllogismo: *Æterna generatio actus æternus est subiecti, fundamento suo per relationem producentis terminum æternum: Pater æterna generatione generauit Filium, vt æternum terminum: Ergo æternus actus est.* Si non est, ergo non generatio, sed generatum æternum dicendum est. Nam eadem æterna & non æterna secundùm idem quomodo esse potest? Hoc vnum te, Samosatene, fefellit, quòd non putauisti in rebus non solùm diuinis, sed & metaphysicis à perfecto subiecto perfectũ terminum semper generari, & semper itidem perfectum esse: perfectum dico perfectione naturali sua, vt à natura integra quodque est. Mens enim semper rationem in sese generat, sed ita vt semper generata sit ab ea & in ea ratio, id est perfecta sit generatione, quamuis indesinente actu atque continuo. Sic actus generationis in Patre & Filio consideratur, in effectu perfectus, in effectione perpetuus: quo quid euidentius? Hîc vero λογοδαιδαλίας dicis quæri ab hominibus nostris, id est, dogmata quædam ad distinctionem æternitatis & temporis pertinentia: iniquè sanè

traducens illorum ſtudium, quo λογοδαιδάλοις ora ſunt conati obſtruere. An igitur negaturus es, quæ de æternitatis & temporis differentia hoc loco protuliſti? Analogiam certè hanc vidit Plato, qui tempus αἰῶνος εἰκόνα κινητὴν appellauit, mobilem æui ſeu æuiterni imaginem: vidit Pindarus, qui τοῦ ἀϊδίου εἴδωλον, æternitatis idolum vel ſimulacrum dixit: vidit tuus ille Ariſtoteles, cuius verba certo conſilio hîc viſum eſt exprimere: Φαμὲν δὲ τὸν θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον, ἄριστον. ὥστε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς, καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ. τοῦτο γὰρ ὁ θεός. Dicimus, inquit, Deũ eſſe viuentẽ, æternum, optimum: itaque vita & æuum continuũ æternumque eſt Deo: id enim Deus eſt. Quid? putarés ne iſtis verbis luſiſſe Ariſtotelem? ac non eſſentiam & proprietates eſſentiæ diuinæ; à cæteris rebus diſparaſſe & longiſſimè ſupra res omnes extuliſſe? Immò verò illam ipſam æternitatem circumſcripſit euidentiſſimè, quam antè ex verbis Boëthii tute adduxiſti. Nam quemadmodum ex eo quod dixerat viuentem eſſe, intulit eſſe vitam: ſic ex eo quòd dixerat æternum eſſe, concludit æuum continuum & æternum eſſe Deo, & id eſſe Deum. Æui autem nomine æternitatem ſignificat, eamque duobus attributis definit conuenientiſſimè: vnum, quòd ſit continuum, ſine interuallo aut lacuna vlla, vel diſcreta ratione, quæ ex facto inſit ei aut ineſſe poſſit; atque hæc ſecundùm Boëthium eſt ſimul tota æternitas: alterum, quòd ſit æternum, id eſt, omni ex parte omnique modo interminabile, vt commoda illa vtar Boëthii voce. Hoc quum dixit Ariſtoteles, credis, quia dixit: hoc idem quum dicunt Scholaſtici, non credis, quia dixerunt illi. Si ampliùs ex eodem auctore probari cupis, en tibi ſyllogiſmum ex Ariſtotele:

Lib. 11. Metaph. cap. 7.

tele: *Æternitatis rerumque æternarum quæ verè æternæ sunt, vnica est ratio: Res æternæ sunt συνεχεῖς siue continuæ sua continuatione vna, simplicissima & impartibili: Eadem igitur ratio æternitatis est.* Longè alia est temporis ratio: hoc enim (vt olim dicebat quidam philosophus) est αἰῶνος ἀπόρροή, æternitatis fluxus. Quapropter quum figmentum esse dicis profectum à nostris, quòd dicunt æternitati omnia etiam præterita & futura esse præsentia, veréque dici posse τὸν λόγον & generatum esse, & generari, & generatum iri: nescio quid tibi in mentem venerit, vt istud oppugnares. Nam aliud est æternitatem absolutè, aliud relatè contemplari & secundùm quid, vt loquuntur vulgo. Æternitatem absolutè dico eam durationem infinitam vel interminabilem, quæ tota simul est sine vlla innouatione: in hac æternitate, tamquam in fonte amplissimo vel potiùs vastissimo quodam Oceano, innatat gutta illa fluxa quam tempus dicimus; quemadmodum etiam nunc ipsum, id est, tempus instans, refertur in rationem temporis per reductionem, vt loquuntur Logici, punctum in rationem lineæ, & vnitas in rationem numeri. Sic inquam per reductionem, tempus æternitate concluditur. Huius æternitatis subiectum proprium est Deus, qui etiam est ipsa æternitas essentialis, æternus Deus. Sin autem relatè placuerit æternitatem contemplari, siue secundùm eas res quæ communicatione æternitatem participant (atq; hanc æternitatem multi distinctionis ergô æuum dicere maluerunt; vt æternitas Dei esset, æuum earum rerum quæ æternæ sunt secundùm Deum) siue secundum relationem earum ad hæc temporaria; huic ergo æternitati longè minus quàm illi tribuimus. Nam

illi omnia ſunt præſentia quà Deus eſt æternitas, vt principio immutabili, æternoque, efficienti, formali, & finali omnium, & Enti entium: æternitati verò ſimpliciter conſideratæ omnia tempora ſunt præſentia, quia omnia tempora æternitate non per ſe (nam re, ratione, & modo inter ſe differunt) ſed per reductionem quamdam, vt paulo antè dicebamus, concluduntur. Illius verò æternitatis communicatæ à Deo, ſed extra ipſum, cum naturis ſpiritualibus, diuerſam rationem eſſe non ignoras: vt quæ principium habeat in tempore, ſed finem nullum; extra res ipſas non tranſeat; & quà relationem ad res temporarias & caducas habent, afficiantur ad eas quadam item communicatione, permanente integra perſonali æternitate ipſarum. Nugaris itaque Samoſatene, quum ex eo contendis ſequi, rem eamdem ſimul eſſe & non eſſe. Nam vtcunque agas, non potes iſta principia naturæ (cui tu tam multa tribuis) conuellere: omnia quæ ſunt, in Ente ſummo principioque ſunt: omnes partes continentur toto: ergo & res temporariæ in Ente ſummo principioque ſunt; & præterita, præſentia, futuraque in æternitate concluduntur, vt toto ſuo per reductionem. Ergo, inquis, ſunt, & non ſunt: nempe in principio ſunt ratione, quæ in ſe reipſa non ſunt: & in æternitate continentur res temporariæ quadam ratione; quæcunque ſunt, fuerunt, & futuræ ſunt. Quapropter in Scripturis Iehoua nominatur Deus, & (quod tu negare videris velle) qui eſt, qui fuit, & qui futurus eſt appellatur: & Ieſum Chriſtum eadem confirmat eſſe heri, & hodie, & in æternum. Cùm enim ſermonis humani ea ſit inopia, vt rem æternam non
Apoc. 1.
poſſit

possit nisi per tempora enunciare, si verbis vtendum est, impropriè de æternitate tempus enunciatur, siue vnum, siue plura: sed tamen quia quicquid est temporis, id enunciatur illis tribus, præterito, præsente, futuroque, & totum tempus simul propius æternitatem est quàm particula illius; idcirco fateberis (si homo es) meliùs æternitatem tribus simul temporibus quàm vno enunciari. Sic Deus est, fuit, futurus est, id nihil sibi vult aliud quàm æternum esse: Christus est heri, hodie, & in seculum; nihil aliud quàm æternum esse: & Christum genitum esse a Patre, gigni, & genitum iri, nihil aliud quàm æternum gigni. Quapropter Augustino & Gregorio non malè placuit, vt potiùs eum semper generatum esse, quàm semper generari à Patre diceremus. Quid? quòd tu ipse, quod vna manu tollis, altera dare cogeris? Sic enim dicis sub finem, *præterita & futura non posse æternitati verè esse præsentia, nisi aliter ipsi quàm nobis & producantur & intereant.* Dicendum fuit, nisi aliter ipsi quàm nobis sint præsentia. Et verò ita est: nam ratione præsentia sunt illi, quæ nobis nonnisi reipsa sunt præsentia & dicuntur esse, vt antè commonstrauimus. Quod autem nos agentes Metaphysicè (nam quid æternitate est supernaturalius?) ad Physicam reuocas, tuo more agis: *constat*, ais, *vnius rei vnicum esse ortum, vnicumque interitum.* Constat id quidem Physicè, nec aliter se à natura habere possunt quæcunq; in rerum natura sunt, naturæ ordine; hoc certum indubitatumque est principium naturæ, ac necessarium quod affirmas, posse vnius rei vnicum esse ortum, atq; vnicum interitum. Sed quid tum, obsecro? nam & illud, Samosatene, constat eiusdem rei nonnunquam esse respectum Physicum

& metaphysicum, eumq; summè differentem: tum & illud constat, quædam Physicæ Metaphysicæque principia esse omnino inter se aduersantia: quæ tamē in suo genere subiectoque vera sunt, hæc naturali, illa supernaturali lege. Quid igitur facias tuis illis conclusionibus? Pergamus.

SAMOSATENVS. 14.

Ex his iam luce meridiana clariùs apparet, Trinitarios nostros verbis tantùm Dei immutabilitatem defendere: re autem vera, vt generantem & generatum, ita & mutatum Deum retinere. Sed mirum non est eos æternam in Deo mutationem occultare, qui ne temporali quidem mutatione dignantur diuinam excellentiam liberare. Nam si ipse Deus Filius post æternam generationem verè etiam homo factus est in tempore, profectò mutatus est de non esse hominis ad ipsius esse: quæ sanè mutatio longè maior est quàm transmutatio physica ex non calido in calidum, ex non frigido in frigidum: quippe cùm hæc accidentalis sit, illa verò quodammodo essentialis, vtpote quæ per hypostaticam facta vnionem dicatur. Nec quicquam eos iuuat, quòd ipsa diuinitas non sit mutata in carnem, vel substantiam humanam. Etenim nec subiectum seu materia physica mutatur in formam substantialem, aut accidentalem: sed quum aduentantem formam suscipit, sustinet, atque vehit, tunc ab ea dicitur mutari forma. Quocirca ipsa etiam hypostasis diuina si verè in se recipit humanitatem, verè mutata est ex non homine in hominem, siue hæc accidentalis, siue essentialis, siue media quædam sit mutatio.

ORTHODOXVS.

Destructis antecedentibus, & conclusio a nobis destructa est, qua tu, Samosatene, ex doctrina de ęterna generatione Christi contendisti Deum esse mutabilem: quia ea ipsa generatio æterna est, & immutabilis. Sed quia non satis habuisti id nobis obiicere, nisi, antè quàm finem facias accumulasses alteram blasphemiam, dicens a nobis statui congenerem nobis, nempe temporalem mutationem Christi, rationes tuas expendamus. Negamus temporalem mutationem Christi a nobis tribui. Affirmas contrà: atq; vt probes, sic argumentaris:

Cui non competit mutatio accidentalis, nec essentialis eidem competit:

Filio Dei non competit accidentalis mutatio:

Nec igitur essentialis. Pergis,

Si Filius Dei verè homo factus est in tempore, essentialis facta est mutatio de non esse hominis ad ipsius esse:

Sed homo factus est in tempore:

Ergo essentialis in eo fuit mutatio.

Hoc autem absurdum: ergo & illud.

Hîc nos prosyllogismum totum vltrò concedimus bene intellectum de Filio Dei, quà filius Dei est. Nam quod est essentiæ, idem est personæ: est autem essentia immutabilis: proinde immutabilem esse personam Christi, quatenus diuina est persona, fateamur necesse est. Iam itaque de argumento secundo videamus. Huius argumenti propositio maior connexa est, quam vocant hypotheticam: sed illius hypotheticæ quàm verum est antecedens, tam falsum consequens. Negamus Filio Dei mutationem vllam accidisse aut infuisse. Nam primùm non est mutatio essentialis in ipso, quà Filius Dei: secundò

ne mutatio quidem eſt. Prius demonſtratur hoc modo. *Mutatio eſſentialis eſt, qua eſſentia rei mutatur in ſe: Eſſentia autem Filij Dei nec actu mutata eſt, nec eſt potentiâ mutabilis: Non eſt igitur eſſentialis mutatio.* Item: *Mutatio eſſentialis eſt in generatione & corruptione Phyſica: at neutrum horum Filio Dei competit ſecundùm eſſe ipſius.* Item, *Subſtantiæ incorporeæ, quia ſunt formæ ſubſiſtentes, quæ ſe habent ad eſſe ſuũ ſicut potentia ad actum, non patiuntur mutationem ſubſtantiæ: quia eſſe conſequitur formam, & nihil corrumpitur niſi eo quòd amittit formam: Perſona autem Chriſti ſuperat ſuo eſſe diuino illas omnes metaphyſicas ſubſtantias: Nulla igitur ratione Chriſto, quà Deus, eſſentialis mutatio attribui poteſt.* Hæc de priore ſatis. Ad poſterius veniamus: *At mutatio eſt,* inquis, *quòd de non eſſe hominis venit ad ipſius eſſe,* id eſt, humanum eſſe. Ignoſcat Lector, ſi duriores adhibeo phraſes atque inſolentes: hæc enim ſunt Samoſateni verba, quibus vti me cogit diſputationis neceſſitas. Nego mutationem eſſe. Si probare cupis, age, mutationum genera percurre. Mutatio aut fit ſecundùm ſubſtantiam, generatione & corruptione; aut ſecundùm quantitatem, incremento, & diminutione; aut ſecundùm qualitatem, alteratione; aut ſecundùm locũ, φορᾷ. Deitas Chriſti nullam mutationum harum in ſe experta eſt. Sed tamen, inquies, factus eſt homo: atque hæc mutatio eſt. Nego propriè mutationem eſſe: nam nihil mutatur quod aut naturæ diuinæ, aut in natura diuina ſit eius; nihil, inquam, mutatur aut eſſentialiter aut accidentaliter: nam aſſumens humanam naturam affecit eam, non ipſe ab ea affectus eſt. Quid? an ignoras cæleſte corpus motu ſuo hæc inferiora afficere, ipſumq; ab his viciſſim non affici? an neſcis virtu-

tum

tum Angelicarum eamdem quoque rationem esse? Sumpserunt corpora οἰκονομικῶς: an ideo mutatos dicas? Sumunt diaboli corpora, species; an mutantur illi? nobis quidem mutantur specie; at in se minimè, vt qui in substantia sua, & qualitatibus prauis permaneant constantissimé. Quid natura illa ὑπερ-αγγελικῇ facias? Impropriè mutationem si placet appellare, quia sic nobis videtur esse pro captu humanæ mentis nostræ, equidem non impediam: Sed propriè, & ex rei veritate loquentes cum Iacobo dicturi sumus, non esse in Deo transmutationem, aut conuersionis obumbrationem. Iacob. 1.

Negas hac re *iuuari causam nostram*, & adducis simile a principiis essentiam rei constituentibus. Atqui tuum hoc simile duob. nominibus est dissimillimũ. Nam primùm indignum est a principiis naturã constituentibus de natura essentiáq; rei constitutæ concludere, tamquã ex simili. Aliud est duo principia imperfecta, aliud duas naturas in suo genere perfectas coalescere: nec simile confici inter hæc potest. Deinde est illud indignius, a principiis Physicis argumentari de gratiosa Dei œconomia, qua verbum caro factum est, & Deus pro nobis passus in carne: quæ res vniuersam Metaphysicam transcendit, vt antè monuimus. Non igitur (vt tu concludis absurdo & inaudito loquendi modo) mutata est diuina hypostasis ex non homine in hominem assumendo carnem; sed aucta, id est, singulari hoc & personali incremento gratiæ, mutata solùm est ratio qua salutem nobis dignatus est párere, & nobiscum seipsum communicare ad salutem nostram.

SAMOSATENVS. 15.

Alterum confictæ Trinitatis insigne indicium est,

quòd quum idololatræ nondum contenti duabus diuinis personis tertiam quoque adijcere vellent, quæ Spiritus sanctus vocaretur: non autem ignorarent nullum exstare in totis Biblijs de diuinitate Spiritus sancti apertum testimonium; immo vnigenitum Dei filium in fraternam societatem nullum alium Deum admittere, sed prorsus excludere tertiam personam diuinam: finxerunt Spiritum sanctum ὁμοούσιον *quidem Patri & Filio, & ab vtroque productum; non tamen genitum, nec alterum esse Dei Filium, quia non intellectu vt* λόγος; *sed voluntatis actione productus fuerit.*

ORTHODOXVS.

Ex tribus illis κεφαλαίοις quæ antè promisisti, Samosatene, primum hactenus audiuimus atque refellimus. Nunc ad secundum venis, de Spiritu sancto & processione eius: & his verbis proximè præcedentibus instituis propositionem tuã. Primùm quod *idololatras* huius dogmatis auctores fuisse tradis, qui duabus diuinis personis non contenti fuerint, falsum: nam nulla historia vera, nullo argumento probabili id potest confirmari. Tum & illud falsum; *nullum exstare in totis Biblijs de diuinitate Spiritus sancti apertum testimonium*: quod alii multi seculo hoc nostro (vt nihil de veteribus dicam) docuerunt, & nos proprio certoque libello ex Scripturis sacris, si volet Deus, aliquando demonstrabimus. Tertiò id etiam a veritate abest, quòd oppositionem facis Dei, & personæ diuinæ, *filiumque dicis in fraternam societatem nullum alium Deum admittere, sed prorsus excludere tertiam personam Diuinã*: quorum prius non dicimus, fraternam societatem esse inter Filium & Spiritum sanctum, sed tu inuidiosè in hunc modum ludificaris mysterium summum religionis nostræ: posterius negamus

cum

cum Ecclesia catholica. Præterea veteres *finxisse dicis Spiritum sanctum* ὁμοούσιον,&c. finxisse,falsum: verum, credidisse & adhuc credere ex testimonijs Scripturæ & Ecclesiæ fide. Postremò quod dicis, *Spiritum sanctum non intellectu vt* λόγον, *sed voluntatis actione productũ esse*, id ambiguè dicis & captiosè, vt postea declarabimus. Habes quid negemus,quid desideremus. Nunc tempus est audiamus probationes tuas,& cum veritate fidei nostræ comparemus.

SAMOSATENVS. 16.

Quam tamen commentitiam fictamque doctrinam communis totius sacræ Scripturæ refellit consensus,& conspiratio in duplicem tantum similis substantiæ productionem, creationem inquam & generationem: quare Spiritus sanctus aut creatus,aut genitus sit necesse est: At nolunt ipsum esse creatum: fateri ergo debent eum esse genitum,& alterum Dei filium. Nam si propter diuersum productionis modum non meretur Spiritus sanctus Filij nomen,ne vnicus quidem a Deo productus fuerit Filius, propterea quòd aliter Deum, qui spiritus est, generare oportet atque hominem si igitur homo generat;Deus non generat; vel si vterque diuerso modo generat, cur non Spiritus sanctus quoque genitus & alter Dei filius dicatur? cuius productionis modus non tantum distat a productione Filij, quantum huius generatio a generatione hominis.

ORTHODOXVS.

Duo sunt argumentorum loci,quibus hîc, Samosatene, ad euersionem fidei nostræ de processu Spiritus sancti abuteris. Prior est a genere processionis eius: posterior a modo. In priore (cuius verba proximè legimus) ita est tua argumentatio:

Duplex eſt tantùm ſecundùm Scripturæ conſenſum, & conſpirationem naturalem rerum, ſimilis ſubſtantiæ producendæ modus, creatio & generatio:

Spiritus ſanctus a Patre & Filio productus eſt:

Ergo aut creatione productus, aut generatione.

Propoſitio maior & falſa, & aliena eſt. Falſa: nam primùm creatio non eſt productio ſimilis, niſi æquiuocè atque impropriè. Creatoris & creaturæ non eſt ſimilitudo: Creatio eſt actio qua Creator producit creaturam: id ergo eſt, diſſimilis diſſimilem. Deinde vt vocem ſimilis omittamus, falſum quoque fuerit, ſi duplicem tantùm ſubſtantiæ producendæ modum affirmaueris, principem puta creationem, & generationem ordinariam inſufficiens enumeratio. Non enim omne quod procedit gignitur, quamuis omne procedat quod gignitur: ſicut non omne quod bipes eſt, homo eſt, quamuis bipes ſit omnis homo. Generatio phyſica propriè eſt, productio ſimilis: ranæ procedunt ex aëre, mures in Ægypto e limo terræ, pediculi e capite, lumbrici ex interaneis, & ſexcenta alia: procedunt, inquam, non gignuntur: diſſimilia enim. Aliena: nam (vt de falſo nihil dicamus amplius) naturale axioma rei ſupernaturali & ſummè quidem ſupernaturali accommodas. Nam prout ſunt principia, ita eſſe actiones & res ſingulas ipſorum conſtat: alia autem eſſe principia rerum corruptibilium atq; incorruptibilium, ex præceptore tuo Ariſtotele didiciſti: qua igitur mente leges illorum his audes accommodare? Quid hac miſera tua argumentatione facias? Futilia omnia. Quòd autem plus in concluſione víſum eſt ponere, quàm anteceſſerit; id eò feciſti, vt ad confirmationem inſtituti tui commodius tranſcurreres. Quænam illa ſit,

Lib. 2. metaphyſ.

ſit, videamus. Ex eo quòd genitum eſſe Spiritum ſanctum a Patre ex hypotheſi noſtra cõcluſiſti, (quod nos refellimus) arguis eum igitur alterum eſſe Dei filium: & argumentaris hoc modo: *Qui ab altero generatur, filius eſt generantis: Filius a Patre generatur: ergo eſt Patris generantis Filius.* conceditur. Perſequitur: *Pater filium aut eodem modo, aut alio quàm homo generauit: At non eodem modo, ſed alio generauit: Ergo & alio modo generatus appellatur Filius.* Et hoc damus. Sequitur: *Alio modo generatus, tamen Filius appellatur: Spiritus ſanctus alio modo generatus eſt: ergo & filius alter eſt Dei Patris.*

Hîc latet fallacia. Nam maior propoſitio indefinita eſt. quam ſi vniuerſalem feceris, hoc modo, Omnis alio modo generatus, tamen Filius appellatur, negamus vt falſiſſimam: ſi indefinitam reliqueris, negare non poſſumus (nam ſic etiam Chriſtum ipſum Dei Patris eſſe Filium negaretur) ſed diſtinguimus. Nam Filius propriè dicitur generatus, & alio modo generatus eſt a Patre: Spiritus verò propriè non generatus, ſed productus procedensque a Patre & Filio, vel a Patre per Filium dicitur: generatus ſi dicitur, catachreſis eſt, quam ſanctè in hac cauſa caueri neceſſe eſt. *At huius productionis modus*, inquis, *non tantum diſtat a productione Filij, quantum huius generatio a generatione hominis.* Nihil ad rem: nam primùm rerum lõgè diſſimillimarum nulla eſt comparatio: ſecundò ſi qua comparatio inſtituitur, ea ex rebus metaphyſicis potius vel ſupernaturalibus eſt depromenda: etſi harum quoque ſimile deficit in rerum diuinarum repræſentatione. Harum autem rerum ea natura eſt, vt vna gignat vnam, vnus intellectus rationem vnam, vt fons peremnis vnius peremnis riui: quæ duo

essentia sunt vnum, sed modo differunt: quandoquidem in cognoscendi & intelligendi modo intellectus cognoscit simplice intuitu, ratio verò discurrendo (vt loquuntur) de vno in alterum. Sic ergo de genitura Filij dicendum est, vnum esse ab vno Patre genitum, per modum (vt Scholastici loquuntur) intellectus. In processione verò Spiritus sancti ratio diuersa est, vt mox declarabimus.

SAMOSATENVS. 17.

Deinde si voluntatis actione productus est Spiritus sanctus, velim mihi respondeant quærenti, num eamdem numero voluntatẽ in omnibus tribus putent inesse personis, secundùm vnam numero essentiam diuinam, an potius triplicem numero voluntatem iuxta triplex suppositum diuinum? Non audebunt dicere suam ac propriam esse cuique personæ diuinæ voluntatem: quandoquidem sola personalia in diuinis dicantur esse propria, essentialia verò cõmunia. Quæ autem diuinis sunt personis communia, illa eadem numero sunt communia: at intellectus & voluntas non sunt personalia, sed essentialia, vt Scholastici & omnes alij Theologi confitentur: quare eadem numero voluntas est omnibus tribus diuinis personis: ergo & eadem numero actio voluntatis est in tribus ὑφισαμένοις *diuinis. Quod si verum est, tunc illud omnino falsum erit, volũtatis actione productum esse Spiritum sanctum. Non enim eadem numero actio simul producere potest & produci. In Patre autem &* τῷ λόγῳ *produxisset Spiritum sanctum, in Spiritu sancto verò eadẽ esset producta. Scholastici respondebunt, eiusdem numero actionis voluntatis quasi principium esse Patrem &* τὸν λόγον, *veluti terminum autem esse Spiritum sanctum. Quid tum? an non ex principio, medio, & termino actionis vna constituitur numero actio?*

Spiri-

Spiritus ſanctus igitur vna erit numero perſona cum Patre & Filio. Deinde terminus actionis non eſt completa & omnibus abſoluta numeris actio: ex quo ſequeretur Spiritum ſanctum non eſſe perfectum.

ORTHODOXVS.

Antequam ad argumentationem tuam, Samoſatene, venio, pauca de loquutionis modo dicenda ſunt quæ antè ſegmento 15. perſtrinxeram. Dixi loquutionem illam, *voluntatis actione Spiritum ſanctum produci vel procedere*, ambiguam eſſe. De hac re igitur poſſemus tacere, quia a Scholaſticis loquutio profecta eſt, & rem eis defendendam permittere, aut ad libros eorum reiicere. Sed quia bene accipi hoc dictum poteſt, ſententiam illorum explicabo ambiguitate ſublata: poſt de re ipſa & argumentationibus dicam quod ſuppeditabit veritas. Hæc igitur loquutio, ſi ita acceperis vt voluntatem naturæ opponas, falſa eſt: nam vt Filius natura a Patre; ſic Spiritus natura, 7
non voluntate, a Patre & Filio dicitur procedere: alioquin nō eſſentiæ foret Spiritus, ſed accidentis. Secundò ſi hāc loquutionē interpreteris hoc modo, natura quidem, ſed per actionē voluntatis Patris & Filii Spiritum procedere ab vtroq; periculoſe dicitur: nā quemadmodum Filius non actione intellectus propriè, ſed ſecundùm actionem intellectus a Patre gignitur, quia omnia in Deo ſunt vnum, in nobis ſecus: ſic etiam Spiritus, non actione voluntatis propriè, ſed ſecundùm actionem voluntatis a Patre & Filio dicitur procedere. Alioquin cùm Spiritus ſanctus dicatur voluntas Scholaſticis, in Scripturis amor vel charitas, vt optimè Auguſtinus docet ex 1. Ioannis, ſtatueretur voluntas agens voluntatem, voluntas inquam Patris & Filii efficiens voluntatem, id eſt, Spi-

ritum sanctũ: Atqui non voluntas, sed natura est quę voluntatem efficit. Restat igitur, vt hunc loquendi modum sic accipiamus vt modò ostẽdimus: nempe secundùm actionẽ voluntatis, id est, secundùm eam actionem, vel potius secũdum eum modum, quo naturaliter intellectus & ratio producunt voluntatem, & voluntas, charitas, amor, inde habet processionem suam: Naturaliter, inquam, id est, actione naturæ, nõ autem voluntatis. Atque hæc in nobis distincta esse quis nescit? Distinguunt certè philosophi mẽtem seu intelligentiam, rationem, & volũtatem: & distingui oportere ostẽdit natura, ratio, vsus, communis experientia. Angelorum eadem ratio, quamuis longè perfectior: Dei perfectissima, ac proinde essentialis tota.

Hîc verò quæris, Samosatene, vtrùm sit vna numero voluntas in tribus personis, an triplex? Respondeo, essentia est vna numero: ergo & volũtas essentialis per se vna. Sed cum essẽtia sit vna numero, triumque personarum communis in vnitate essentiæ; idcirco etiam quicquid est essentiæ, idem & personæ. Volũtas autem personæ quæ numero vna est in essentia, duobus modis consideratur in persona, communiter secundum essentiam, singulariter secundùm personam & relationem ad intra. Verbi gratia, vt Pater intelligit Filium, vult Filium, amat Filium; sic vicissim Filius Patrem, intellectu, voluntate, amore singulari; qui intellectus, volũtas, amor, si ad extra (vt loquuntur) procedit, communis est. Essentia & re ipsa, intellectus, volũtas, amor vnus, ratione distinctus est: quæ ratio tantum procedit in personarum diuinarum relatione illa admirabili. Nunc argumentationes expendamus, quæstione exposita.

Quæ diuinis sunt personis communia, illa eadẽ numero sunt

ſunt communia. At intellectus & voluntas ſunt perſonis communia: Voluntas ergo tribus perſonis eſt vna numero. Damus totam argumentationem, ſi bene intelligitur: nam (vt antè diximus) vnitate rei nō tollitur reſpectus varietas, quæ ex relatione perſonarum inter ſe naſcitur. Iam quid affectet porrò, videamus.

Rei vnius & eiuſdem numero eadem eſt numero actio: voluntas tribus perſonis vna eſt numero: & actio igitur.

Et hoc concedimus, ſeruata diſtinctione quam modò attulimus: nam re vna eſt voluntas, ratione diſtincta, vt perſonæ diſtinctæ in vnitate eſſentiæ. Sed quid tum? audiamus. *Eadem numero actio non poteſt ſimul producere & produci: At eadem numero eſt actio in tribus perſonis: Nec igitur voluntatis actio eadem numero in tribus perſonis, poteſt ſimul producere & produci.*

Maiorem concedimus: minorem diſtinguimus: nam eadem eſt numero actio eſſentiæ ad extera, ſed intus inter perſonas diſtincta ratione realiter, vt antè declarauimus. Præterea ambiguè dicitur proceſſum Spiritus ſancti voluntatis actionem eſſe: & (quod amplius eſt) ſecundùm eam interpretationem qua tu, Samoſatene, accipis, dogma eſt falſiſſimum. Quid igitur conficias hac argumentatione tua?
Quod autem poſtea ſubiicis de Scholaſticorum reſponſo, id tu quidem proponis commodo tuo: non enim actio voluntatis eſt ſimpliciter, ſed naturæ eſt proceſſio Spiritus a Patre & Filio, quam ſpirationem vocamus, etſi ſecundum voluntatis modum: quapropter friuolæ ſunt, neq; nos oppugnant argumentationes tuæ ſequentes, quum oppugnant illud. Deinde infirmæ ſunt argumentationes tuæ duobus nominibus: primùm quia a ratione operū extrinſecorū

concludunt eamdem esse rationem operum relationis & personalium intrinsecus, contra Physicorum & Metaphysicorum leges, qui actiones internas ab externis, & immanentes a transeuntibus in alium optimè distinxerunt: secundò quia hæc tua argumenta ad res creatas, non ad creatorem pertinent; ac ne semper quidem in rebus Physicis, ne dum metaphysicis, sunt necessariæ. Sed de his philosophi amplius viderint.

SAMOSATENVS. 18.

Tertium huius vanæ signum doctrinæ certissimum est, hypostatica vnio duarum in secũda Trinitatis persona naturarum: quam idololatræ tum pepererunt, quum necdum tribus diuinis contẽti personis, quartum quemdam habere maiorem Deum cuperent, non tamen auderent eum numero diuersum personam diuinam facere, ne merum hominem diuinæ æquare excellentiæ viderentur: verumtamen vt quartum quempiam, si non omnino maiorem, saltem quasi maiorem Deum haberent, imposuerunt in hypostasi diuina naturam humanam, propria huius hypostasis tamquam pelle prius detracta; ne cùm homo tãtummodo esset, non tamen purus homo esse videretur, sed Deus etiam propter hypostaticam vnionem appellaretur. Fuit sanè callidissimum hoc aptissimumque ad humanum Deum faciendum, commentum: quod tamen vnum ἐκ τῶν ἀδυνάτων esse maximum nullus non videt, nisi qui ignorat essentiam re non distingui ab existentia, & hanc contractã ad perfectam substantiam vocari hypostasin vel subsistentiam; ad partes verò substantiæ deductam nominari inexistentiam; ad accidens autem deriuatam appellari inhærentiam.

ORTHODOXVS.

Hactenus duo illa κειμήλια tua, Samosatene, vnum ad generationem Filii, alterum ad processionem

nem Spiritus sancti pertinens, sancta illa & adoranda Trinitate duce, refellimus. Iam tertium ingressus es, quod est de verbo carne facto, siue (vt Paulus loquitur) Deo in carne patefacto. Hoc dictum Pauli re negas; partumque esse idololatrarum dicis, & illudis. Quàm piè, tu senties. ista enim verba sunt in iugulum (nisi Deus misereatur tui) æternum reditura. Hoc dicis *esse τῶν ἀδυνάτων maximum* (nam cætera verba omitto de industria, quia re, non verbis pugnare statui) *& quod nemo ignorat nisi principiorum naturæ nescius.* Iam igitur ex te, qui naturam eo magis peruides quo magis alii omnes fermè tot seculis cæcutiuerunt, discamus τὸ ἀδύνατον.

Essentia, inquis, *re non distinguitur ab existentia, & hæc contracta ad perfectam substantiam, vocatur hypostasis vel subsistentia; ad partes verò substantiæ deducta, nominatur inexistentia.* Obscurè omnia: sed tamen quid efficis hoc sermone tuo? Hoc credo te velle si bene colligo. *Existentia contracta ad perfectam substantiam, vocatur hypostasis vel subsistētia. Tum perfectæ substantiæ nihil potest accedere, id est, hypostasi: Hypostasis diuina Christi est perfecta substantia: Ergo nihil, ne caro quidem, potuit accedere hypostasi Christi.* Deinde sequitur alterum per concessionem: *Si quid accedit subsistentiæ, id aut est ἐνυπόστατον, id est inexistentia tamquam pars illius; aut est inhærentia, tamquam accidens. Neutrum autem conuenit personæ Christi: nihil ergo accessisse Christo necesse est.* Antequam argumentationibus respondeam, pauca de illis vocibus dicenda sunt. Tres voces a te comparantur, essentia, existentia vel substantia, & subsistentia: tum de subsistentia enunciatur distinctio inexistentiæ, & inhærentiæ. Tria illa priora distinguuntur secundùm triplicem

actum. natura enim quicquid est, id est, aut existit & substat, aut etiam subsistit. Esse, commune est omni enti, id est, non substantię solum, sed etiam accidenti: Existere & substare, id substantiæ, non accidentis est. Cum autem substantia sit prima vel secunda: communis vel singularis; illius esse duobus modis a nobis distinguitur: nam esse illud quod inter substãtias cõmune est, dicitur existere vel substare; esse autẽ illud quod singularis vna aliqua substãtia (quam tu Samosatene, substantiam perfectam vocas) habet subsistẽs in sese, vocatur subsistẽtia. Sic esse lapidis commune est substantia; esse huius lapidis singulare est subsistẽtia. Ex his substantia vel suppositum commune (vt dicitur in Scholis) accidens vniuersale potest recipere, quod in subiecto est, & de subiecto dicitur; subsistẽtia verò semper habet substãtiam cum accidentibus singularibus quæ in subiecto sunt, nec de subiecto dicuntur; subsistit in seipsa, & actu consideratur, & (si corporea est) sensu. Atque hæc illa subsistentia est, quã in rationalibus substantiis Personam Græci & Latini appellarunt. In hac autem subsistentia præter contẽplationem totius, duo speciatim obseruantur, partes quas vocat inexistentias, id est, ἐνυπόςατα Græcè; & accidentia, quæ vocat inhærentias: quem in numerum proprietates characteristicę referuntur, per quas indiuidua notatur subsistentia, & internoscitur. Hæc faciliorem aditum legentibus ad argumentationes paratura sunt. Dicis igitur, *Existentia contracta ad perfectam substantiam vocatur hypostasis vel subsistẽtia,* dura quidem loquutione, sed in re conuenit. Ex hoc fundamento sic argumentaris: *Perfectæ substantiæ nihil potest accedere, id est, hypostasi.* Negatur hæc maior, neque vera est vniuersaliter: fit enim vt accedat ali-

quid

quid ad perfectam siue completam hypostasin in cõmunionem esse completi illius. Nam anima nostra subsistit per se, quamuis soluta a corpore: & corpus tamen receptura est in die resurrectionis. Subiicis, *hypostasis diuina Christi est perfecta substantia:* quod metuo vt sit ambiguum. Nam si perfectam substantiam accipis pro esse completo (vt loquuntur Scholastici) illius hypostaseos diuinæ, accipio dictum: quid enim illi desit ad perfectionem sui? Sin autem perfectam substantiam intelligis, cui nihil addi possit ad perfectionem finis, negatur. Cùm enim hæc persona fuerit ordinata ad perfectionem finis, qui est seruare Ecclesiam Dei ad gloriam eius, verbum certè carnem fieri, vel assumere oportuit; quemadmodũ ad perfectionem finis anima Christi recepit carnem suam, & in resurrectione quoque, nostræ carnem recepturæ sunt. Euersa autem maiore, planè conclusio iacet, quam ausus es affirmare ad labefactandum mysterium salutis nostræ. Ad secundum argumentum venio. Maiorem facilè concedo, si bene intelligatur: nempe si quid accedit hypostasi, id aut esse inexistentiam (vt est caro Christi) aut inhærentiam. Sed additamentum tuum, Samosatene, quum ais inexistentiam esse partem illius, id non accipio. Non enim quicquid est ἐνυπόστατον, id pars est hypostaseos constituens mutua coagmentatione hypostasin: hoc Physicum est solùm: verumetiam quicquid est essentiale, vt in principio suo & causa prima, vt est intellectus in substantiis intellectualibus. Est autem caro Christi ἐνυπόστατος, subsistens in persona eius, non tamquam pars adæquata aut analogica ad personã, sed tamquam instrumentum pertinens ad vnitatem hypostaseos, inquit Damascenus; vel tamquam res

quædam in principio suo subsistent, & ad finem suum per principium illud suum ordinata. Illam itaque compositionem personæ ex naturis dicunt Scholastici non esse ratione partium, sed potius ratione numeri, quia natura humana subsistit in persona Christi. Sic ergo & minorem constituto priore disiunctionis membro, & conclusionem euertimus.

SAMOSATENVS. 19.

Iam ergo quis in Theologicis ita plumbeus esse poterit, vt non intelligat eamdem idololatris causam fuisse, cur humanæ Christi naturæ propriam hypostasin detraherent & cur accidentia panis & vini in Eucharistia proprio subiecto propriáue existentia spoliarent? Sicut enim carnalem fecerant Deum per hypostaticam vnionem, ita carnalem etiam postea comedere bibereque voluerunt Deum per transsubstantiationem. Itaque non satis perpēdunt quid credant, qui Pontificios rident, tamquam absurdissimè docentes accidentia panis & vini in Eucharistia remanere sine proprio subiecto propriaque inhærentia: & tamen ex meisdem æquè absurdum, ne dicam absurdius, dogma amplectuntur, fouent, retinentque: nempe humanam Christi naturam esse sine propria subsistentia. Quid enim est essentia sine propria existentia? idem quod homo sine humana essentia.

ORTHODOXVS.

Argumento illi Physico, quod proximè confutauimus, video te, Samosatene, deinceps absurda aliquot subiicere ad vnionem hypostaticam in persona Christi conuellendam. Ea tuo ordine persequemur. Primum hoc absurdum adfertur a te. *Æquè absurdum est & ab eodem fonte propriam subsistentiam detrahere humanæ naturæ Christi, & accidētia panis & vini in*

Eucharistia proprio subiecto & existentia spoliare. Id autem vos facitis, quod in alijs ridetis. Rideant Pontificios qui imperitè quærunt quod rideant: ego me non ridere, sed gemere profiteor coram Domino, quũ mihi in mentem venit istius inscientię ex qua laborant Pōtificij. Deus opt. max. misereatur illorum & nostri. Sed ad rem. Absurdum j. esse nego simile. Nam primùm comparatio fit substantiæ cum accidente. omnes carnem Christi esse substantiā agnoscimus: at in Eucharistia accidentia panis & vini solùm restare affirmant Pontificij. Secundò nō negamus naturæ humanæ subsistentiam; sed contrà dicimus propriā subsistentiam esse humanæ naturæ Christi in persona diuina λόγου vnione hypostatica, cùm hæc natura humana (quæ in Christo est ἀνυπόστατος) ne ad momentū quidē fuerit, quin in λόγῳ subsisteret. Accidentia autē illa non subsistunt in carne Christi, sed in pane: neq; vnione hypostatica in carne Christi dicuntur inhærere, id est, personalia fieri essentialiter, sed miraculosè accidere: neque tum primùm esse, sed iam antè fuisse in panis & vini substantia, eaq; de substantia in substātiam transuolare. Postremò si propriam subsistentiā, Samosatene, appellas eam qua id quod est subsistit in se, cùm ipsum subsistere sit operatio naturalis, & operationes sint suppositorum; iniquè facis qui naturam humanam cuiusuis non in anima aut in corpore solo vis subsistere, sed in persona; carnem verò Christi non in persona (quod saluti nobis est) sed in natura sua. Atque hîc falleris, mi homo, nō mediocriter; tum quòd nomine subsistentiæ æquiuocè abuteris, tū quòd rem non tenes siue naturā subsistentiæ. Etenim subsistentia propriè duo complectitur, partes essentiales puta, & modū existendi, quem Græci τρόπον ὑπάρξεως appel-

larunt. Partes essentiales naturę nostrę sunt corpus & anima, tamquam materia & forma: modus existendi est vnio hypostatica, illa qua istæ partes subsistunt in persona. Quū autem dicis *nos propriam subsistentiā detrahere humanæ naturæ Christi*, nonne vides, obsecro, nomine subsistē. ię in hac tua phrasi solū ὑπάρξεως τρόπον denotari? Nam humanæ naturę partes tā agnoscimus in Christo quàm tu: illum verò modū existentię, siue de Christo, siue de nobis agnoscamus ipsis, in p̄sona agnoscim⁹. Tu q in natura humana Christi statuis subsistentiæ modū, putares ne tibi perspectū esse modum subsistentiæ ex natura ipsius? Modus subsistentię est in persona, non autē in natura: neq; est cur metuas ne quid humanæ naturæ Christi detrahamus, quū eā nō in seipsa, sed in principio suo, id est in persona Filij Dei, docemus subsistere. Hęc radix, hoc fundamentū salutis nostræ; quòd natura nostra, q̄ assumpsit Christus in vnitatem personæ, nō in se ipsa subsistit, sed immediatè in principio suo & vnione hypostatica. Quā nisi tu tenueris, non tenes fundamentum inuictum a Prophetis & Apostolis in Ecclesia expositum. *Sed detrahitur*, inquis, *naturæ humanæ Christi.* Detrahitur? immo verò accedit ipsi quamplurimum. Nā quemadmodū vegetatrici facultati non detrahitur, quum sensitiua perfectior aduenit, sed tota fit perfectioris; itemq; sensitiuę non detrahitur accedente intelligentia, sed tota fit animæ rationalis; vel quemadmodum paruę luci, accedente & assumente eam maxima, nō detrahitur, sed ea in vnā perfectionem transit, vt vna sit rei perfectio; sic humana illa natura Christi inde à primo conceptu non detractione minuta, sed perfectissimo existentiæ modo in vnitate personę λόγου donata est. Quę res neq; absurda esse potest, sed humano

generi

generi salutaris atq; gloriosa, neque sapit eiusmodi quidquā ac in fine dicis, *essentiā sine propria existentia a nobis esse suppositam.* Quod quum dicis, iniuriam facis tum capiti nostro, tum etiam corpori Ecclesiæ, in cōmunione hac capitis sui viuenti de Spiritu eius.

SAMOSATENVS. 20.

Porrò non minus absurda est ipsa hypostatica vnio, propter quam humana Christi natura sua hypostasi spoliata, in nihilum redigitur. Nā si humana natura hypostaticè vnita est diuinæ, proculdubio tota est coniuncta cum tota natura diuina, adeò vt nihil sit diuinitatis quod sibi copulatā non habeat humanitatem. Quòd si nihil prorsus est diuinæ naturæ sine humana, necessariò concluditur, vbicunque est diuina, ibidem esse & humanam: diuina autem est vbique: quare & humana in omni erit loco, omnesq; Trinitarij erunt vbiquitarij. Ad hoc quid responsuri sint, video: negabunt tanta necessitudine & tā naturali connexione, colligatam humanam naturā cum diuina, vt hæc alicubi sine illa non possit existere. Sed hoc qua fronte repudiabūt, datis ijs ex quibus, tamquā principijs & ipsis fontibus, istud necessariò deriuatur? Dant enim nobis diuinam naturā esse indiuisibilem; & rei indiuisibilis hoc esse ingenium, vt cum ea vel tota, vel nullo modo quippiam iungatur: dabunt igitur nobis etiam libenter, vel inuiti saltem, naturā humanam toti esse τῷ λόγῳ iunctam, ita vt nihil sit diuinitatis extra Christi humanitatem. Nondum cogimur, inquiunt, hoc ἄτοπον dare, qui docemus totam λόγȣ hypostasin vnitā quidem habere humanam naturam, sed tamen totam etiā extra naturam esse humanam; non secus ac toti animæ rationali iunctum est caput humanum, & nihilominus tamen eadem anima tota est extra caput in reliquis etiam corporis partibus. At hoc non est firmum perfugium: quoniam si tota hypostasis λόγȣ est cum humana, & tota etiam

extra humanam naturam; necessario fatendum erit, quòd diuina hypostasis, quatenus tota est extra humanam naturam, non habeat sibi hypostaticè vnitam humanitatem: sicque toti esset diuinitati vnita humanitas, & tamen toti non vnita: quod cùm verum esse non posit, ne illud quidem vnde hoc manat.

ORTHODOXVS.

Ad secundum absurdum venis, quod in hunc modum videris tibi conficere:

Id absurdum est propter quod natura sua hypostasi spoliata in nihilum redigitur:

Hypostatica vnio ea est propter quam natura humana Christi sua hypostasi spoliata, in nihilum redigitur:

Est itaque absurda.

Maior vera est: nam natura corporea spoliata eo in quo subsistit, id est, anima sua, in nihilum redigitur: sed minor est falsissima; idque tribus modis. Primùm enim negamus naturam humanam sua hypostasi spoliatam esse; cùm omnis substantia ἐνυπόστατος aut in natura subsistat, aut in persona: non autem in natura, vt antè ostendimus: ergo in persona. Persona autem est hîc Filius æternus Dei, æterna hypostasis. Secundò negamus naturam humanam perfectiori naturæ adunatam personaliter, & in ea subsistentem, in nihilum redigi: nam quo quid subsistit perfectius, eo longius ab eo abest vt in nihilum redigatur:
Psal. 16. Actor. 2. quapropter etiam nec caro Christi vidit corruptionem, vt perfectio subsistentiæ omnibus etiam materialiter innotesceret. Postremò negamus vnionem hypostaticam eius quod tu absurdum, Samosatene, dicis, esse in causa posse: nam est oppositum in apposito. Vnio hypostatica modus est subsistendi, non autem perdendi substantiam ἐνυπόστατον siue (vt vertis) inex-

inexiſtentem. Falſum igitur abſurdum tuum, eoque nihil abſurdius. Nunc ad firmamenta abſurdi tui: proſyllogiſmum ponis, quem vltro concedimus, *Si humana natura Chriſti hypoſtaticè diuinæ vnita eſt, tota cum tota vnita eſt.* Verum eſt, ſed quid tum? Arguis:

Si tota toti vnita eſt, vbicunque eſt diuina, ibidem eſt & humana: Diuina autem eſt vbique:

Humana ergo vbique eſt, & omnes Trinitarij ſunt vbiquitarij.

In maiore negatur conſequens, ſecundùm veritatem vnionis hypoſtaticæ, & naturarum in eam coëuntium. Vnio hypoſtatica non aliter fit, quàm ſeruatis naturæ cuiuſque proprietatibus, vt in corpore & anima noſtra videre eſt. Cur ergo aliud de Chriſto ſentiamus? qui naturam noſtram aſſumpſit non vt perderet, ſed vt ſeruaret eam. Tum naturarũ in Chriſto proprietates diuerſiſſimas eſſe ſi non vides, quid vides? Animæ noſtræ vnio cum corpore noſtro eſt metaphyſica: & animæ quidem eſſentiales proprietates ſunt metaphyſicæ, corporis phyſicæ; inter quas tamẽ conuenit, nec aliæ aliis deſtruuntur. Naturæ diuinæ Chriſti cum humana eſt ſupra quàm metaphyſica vnio: & non eſſet æqua in proprietatibus eorũ ſeruandis analogia? Fabulæ. Irrita ergo, & falſa concluſio.

Hoc autem paradoxum tuũ artificiosè, non verè, a nobis acceptum ferri dicis *vnionis illius infirmitati,* non autem naturarum hypoſtaticè vnitarũ veritati. Si hoc prudens dicis, malitiosè; ſi imprudẽs, ergo amplius cognoſce de naturis, & vnione earũ hypoſtatica. Naturæ quæ adunantur aut ſunt analogæ proportione quadam, aut non ſunt. Proportione quadã ſunt analogę, metaphyſica natura cum phyſica, anima cũ corpore. Analogæ non ſunt diuina cum phyſica aut

creata vlla: nam hæ ſi adunantur (adunantur autem in Chriſto) ex gratia Dei fit, nō ex naturæ ordine: quapropter optimè patres gratiam vnionis vocauerunt. Vnio autem hypoſtatica dicitur ea coniunctio, qua duæ naturæ, ſiue analogæ ſint, ſiue non ſint, coëunt in vnitatem eſſentialem vnius perſonæ. Atque in hac vnione hęc ſunt neceſſaria. 1. vt ſingulæ naturæ integrę ſint, non vnione corrumpantur mutentúrve. 2. vt inferior in ſuperiore ſubſiſtat, & vtraque (vt Scholaſticorum modo liceat dicere) in perſonalitate. 3. vt quēadmodum naturam ſingulę, ſic & proprietates eſſentiales integras, incorruptas, inconfuſas habeant in vnitate perſonæ. 4. vt in commune facultates ſuas cōferant naturæ, ex quibus ſuppoſitum vel perſona operetur: quia operationes ſuppoſiti, non huius aut illius naturæ dicuntur eſſe. Quum ergo dicimus naturam humanam ibi non eſſe, vbicunque diuina eſt, id naturæ, non vnionis eſt: neq; eo infirma eſt vnio, quòd non cōfundit aut mutat naturas; ſed eo ipſo vera eſt, quòd ſeruat integras. Nam integras ſi non ſeruaret, iam ex facto perſonalis vnio eſſe deſineret. Quòd ſi roges, cur vbicunque eſt anima humana, ibi & corpus, dum ſubſiſtit perſona? ratio facilis eſt, quia eſt quædam analogia quanta corporalis & ſpiritualis in toto, ſed non in parte; cùm animæ continuitas ſit impartibilis, vt lib. 2. de anima definit Ariſtoteles tuus; corporis non itē. Contrà autem, cur vbicunq; eſt diuina natura Chriſti, ibi negamus humanam eſſe ſecundùm eſſentiam ſuam? nempe quia hæ duæ naturæ nec in toto, nec in parte vllam habent inter ſe analogiam. Quapropter in nobis ſic naturæ vniuntur vt partes perſonæ: in Chriſto vnitæ ſunt propriè non vt partes, ſed vt principium & principiatum (vt ita dicam) quamuis numero

mero distinguantur substantiæ vnitæ & natura sua.

Addis confirmaturus sententiam tuam: *Si quid rei indiuisibili coniungi dicitur, id aut cum ea tota, aut nullo pacto coniunctũ est: Natura humana est coniuncta λόγῳ: Ergo toti.* Verissimum. *Quod si toti λόγῳ coniuncta est,* inquis, *ergo nihil est diuinitatis extra Christi humanitatem.* Negatur consequens: nã id quo medio vincas, obsecro? Non enim necesse est vt illud quod est totum totalitate essentiæ in aliquo, nullo modo sit extra illud. Nam etiam accidentales formæ, quæ secundùm accidens quantitatem habent, sunt extra subiectũ in superficie illius, vt albedo in pariete. Dices, Qua in persona duæ naturæ hypostaticè vnitæ sunt, earum vna ibi est vbicunque est altera. Conceditur de naturis ratione analogis & coniunctis naturaliter; etsi proprietate vtriusque seruata; nempe vt spiritalis natura continuitate spiritali & impartibili ibi sit, vbi est totũ corpus & singulæ partes illius; corporalis verò eodem loco sit tota; partes verò illius nõ secundùm totum suum, sed secundùm positionem ipsarum, vt modus est corporum. Ratio euidens, quia (vt dicam Scholasticè) incorporeis substantiis non est totalitas nisi secundùm perfectam rationem essentiæ; secundùm quantitatem minime: quumque hæ in corpore sunt, non tamen quantæ sunt, sed corpus quod sustinetur ab eis. Analogas autẽ esse has naturas quadam analogia, ex eo constat, quòd vtraque etiã disparata suo spatio vel loco definita est, quamuis hæc corporali, illa spirituali modo. De naturis verò quæ non sunt analogæ, negatur propositio: nã quæ naturæ per se non sunt analogę, vnione personali non fiũt analogę, cùm vnio non cõmutet naturas, sed cõiungat solùm. Infinitũ aũt & finitũ nõ sunt analoga:

proinde vnione personali neque infinitum finitur, neque finitum efficitur infinitum: sed infinitum capit naturam finitam, vbicunque ea est; finita verò natura capitur infinito in loco suo, nō in infinito loco. Solutionem quæ adfertur a simili naturæ humanę nostrę, non potes refellere: ideoque tergiuersaris responso tuo. Nam simile eò pertinet, vt intelligamus spiritalem essentiam finitam corpori adunatam personaliter, esse in toto corpore & toto corporis indiuisam, siue (vt expressius loquar) esse in toto & vnaquaq; totius parte totaliter: sic esse in toto corpore, vt singulę partes corporis habeāt totam: sic esse totā in vna parte, vt æquè sit tota in omnibus, non partibilis in substantia partibili & in singulis partibus illius: nam hæc illa est συνέχεια quā ipse Aristoteles definiuit; ne quid fortè a nobis confingi putes. Ex his autem sequitur per analogiā, si essentia spiritalis finita tota est in toto corpore, & tota in parte quaque totaliter propter naturam continuitatis spiritalis, eamdem quoq; infinitæ rationem esse, quà spiritalis est. Sed quia ratione infinitatis non est cum corpore ἀνάλογος, & duæ illæ proprietates in natura diuina concurrunt, quòd & spiritalis & infinita est simul, propterea etiam duo illa optimè & necessariò coniungi necesse est: vnum respectu spiritalis conditionis, quòd vbicunq; est, ibi tota est totaliter: alterum respectu infinitatis, quòd cùm vbique sit, tota sit vbique totaliter. Est autem in corpore sibi adunato, nimirum tota totaliter, vt spiritus: est etiam extra corpus sibi adunatū, nimirum tota totaliter æquè atque in corpore, vt infinita est. Alioquin proprietatem spiritalem tolleret infinitas: quod nemo homo, nedū philosophus, si sapit, sentiet.

Ais, *si tota est cum humana natura, & tota extra huma-*

humanam naturam,ergo quatenus tota est extra naturam humanam,non habet eam sibi vnitam hypostaticé. Falsum consequens: quandoquidem proprietatis spiritalis est totum esse totaliter vbicunque est spiritus, ex natura spiritalis continuitatis, quam antè ostendimus: sed diuinæ proprietatis est infinitum esse, ac proinde totum non solùm in corpore, aut in hoc illoq; loco, sed in toto partibusque singulis totius esse totaliter. Hîc tantum discrimen est,quòd natura illa diuina tota simul vbiq; est per modum causæ agentis siue principij,essentia,præsentia, & potentia sua primò & per se: in corpore autem Christi per vnionem gratiæ, qui modus in singulari & gratioso (vt ita dicam) essendi modo summè singularis est. Quemadmodum ergo de anima nostra nemo sanus dixerit; quatenus est in capite nō esse in pedibus, quia eatenus est in vtroque, quatenus est vna cōtinens substantia spirituali modo, tota in toto,tota in parte, & tota simul in vtroque,vt quæ essentia sua id proprietatis habeat, quòd non sit mensurabilis secundùm quantitatem:sic etiam de essentia diuina, quæ omnia etiam metaphysica transcendit, à nobis statui & credi necesse est. Nam in rebus partibilibus pars extra partem est: in spiritalibus verò quæ non sunt μεριστὰ, vt toto genere differt τοῦ εἶναι vel ὑπάρχειν, essendi; sic etiam differt τοῦ ἐνυπάρχειν siue inessendi modus. Quanto magis in diuinis discrimen tenendum est?

SAMOSATENVS. 21.

Verùm vt sit tota τοῦ λόγου diuinitas extra etiam naturam humanam:recipitne ea in suam quoque hypostasin aliquando ipsam humanitatē?si recipit,ergo hypostatica vnio toties dissoluitur & instauratur,quoties Christus ex vno in

alium locum mouetur: vt quum Christus ascenderet in cælos, hæc vnio dissoluta est in diuinitate, quatenus illa ipsa remansit in terris: eadẽ postea vnio instaurata est in diuinitate, quatenus hæc erat in cælis. Sin autẽ non recipit, ergo vel diuinitas, quatenus erat in terris, vnà cum humanitate subuolauit in cælum, vel humanitas ante ascensum iam hypostaticè vnita erat diuinitati quatenus esset in cælis. Si illud dederint, Deum volubilem habebimus: si hoc affirmauerint, vbiquitarii erunt. Et sanè mirum est doctißimos quosque Theologos Trinitarios videre, ipsa attributa diuina, vt esse omnipotentem, æternum, infinitum, &c. non posse humanæ communicari naturæ, quin ex creatura fiat creator, ex non Deo quidam exsurgat Deus: nolle tamẽ vel non posse videre, quòd eadem de causa nec ipsa hypostasis diuina cõmunicari poßit humanitati, ita vt hæc propria sua hypostasi priuata, sustentetur ab hypostasi diuina: & quidẽ multo magis quàm accidẽs à suo sustinetur subiecto, quamque subsistentia subiecti ipsi communicatur accidenti. Nam eorum quæ reipsa sunt idem & sola ratione distinguuntur, non potest vnum alicui communicari, vt non simul reliqua omnia eidem communicentur: vt totum aliquod corpus, quia realiter idem est cum suis partibus simul sumptis, non potest alicui dari sine partibus, nec omnes dari partes possunt sine toto. Atqui hypostasis diuina reipsa idẽ est cum attributis diuinis: ergo ea vel non est communicata naturæ humanæ, vel certè vnà cõmunicata omnipotentia, æternitas, vbique præsentia, &c. Ad hoc quid nostri Trinitarii? Ob rationis distinctionem quæ est inter hypostasin & proprietates Dei, non valere dicent consequentiam istam, Hypostasis diuina communicata est naturæ humanæ, ergo & omnipotentia, vbique præsentia, &c. eidem est tributa. Immo verò valet istiusmodi consequentia in omnibus iis quæ sola ratione differunt. Nam rationis distinctio hoc

tantùm

tantùm efficit, ne vna proprietas de altera dici queat, vt omnipotentia de æternitate, æternitas de ſapientia, hæc de ſubſiſtentia: non autem impedire poteſt, vt cui vnum ſola ratione differentium communicatur, eidem non cætera omnia tribuantur: vt de toto quouis perſpicuum eſt, quod cùm datur, omnes quoque ipſius dantur partes.

ORTHODOXVS.

Equidem te, Samoſatene, non arbitror euſq; veniſſe impudētiæ, vt dum naturæ propugnator haberi vis, ipſius principia & auctoris maieſtatē cupias euertere. Atq; hoc facis tamē in hac quæſtione & ventilatione tua. Vt autē res fiat euidentior, quia dum totus in toto eſſe vis, aberras totus, de toto me coges dicere. Eſt totū phyſicum ſiue corporeū & materiale, eſt totū metaphyſicū & ſpirituale. In reb. phyſicis totū dicitur reſpectu partiū. Pars autē duplex eſt; vna eſſentialis, vt materia & forma partes ſunt compoſiti: altera quanta, ſiue quātitatis, in quam aliqua ſolet quantitas diuidi. Atq; hæc quanta (vt vocant) totalitas commenſum habet cum loci proprii quantitate, nec aliud eſt quātitas locati quàm loci, etſi ratione differūt. Eſſentialis verò quātitas aliter ſe habet, vt ſegmēto *20.* antè oſtendimus. In rebus aūt ſpiritalibus & metaphyſicis nō eſt vlla totalitas nec per ſe, nec per accidens, niſi ſecūdùm perfectā rationē eſſentię, q̃ te ex tuo Ariſtotele in libris de anima & Metaphyſicis oportuerat didiciſſe. Et ideo tū anima noſtra eſt tota in qualibet parte ſui corporis, tùm verò maximè Deū totū eſſe in omnib. & ſingulis credamus neceſſe eſt; q̃ Selomo 1. Reg. & Paul. in Actis Apoſt. nō obſcurè docuerūt. Quòd ſi homo locū capit ꝓ quantitate ſui corporis, nō anima locū per ſe capit corporaliter, ſed perſona capit ſecūdùm corpus, q̃ corpꝰ anima cōtinere, nō cōtineri ab Actor. 14. & 17.

eo dicitur. Nunc ad quæstionem tuam veniemus. Queris primùm, vtrùm diuinitas τοῦ λόγου recipiat aliquando in suam hypostasin humanitatem suam? Respondeo (etsi vix te puto scire quid dicas, aut quid velis, respondeo tamen) non recipit, qui nunquam abiecit eam: Christus nunquã abiecit eam; ex quo semel facta est ἐνυπόστατος, nũquam fuit ἀνυπόστατος: quid ergo tibi vis hoc recipiendi verbo? Assumpsit carnem non abiiciendam, sed beandam in æternum. Hanc quæstionem velut feracem agrum, colis & recolis dilemmate: cuius falsum prius antecedens, falsa sunt consequentia. Prius antecedens, nempe *Christum recepisse in suam hypostasin humanitatem suam*, negauimus: nam quis sanus concedat? Consequentia autem vtraque nihil veri habent, pura Dei & rerum diuinarum spiritaliumq; ignoratione circumfluunt. Eadem hîc tua est cæcitas, ô Samosatene, quæ ante in loco de æternitate. Nesciebas quid sibi vellet illud Boëthii æternitatem esse simul totã: ostendi ex Aristotele: spero te fidem habiturum illi præceptori tuo. Iam nescis quid sit, spiritum esse totum simul, ignoras spiritalium rerum diuinarumque συνεχές: & hoc ostendi ex Aristotele, quia vel diuina præ illo tibi fœtet auctoritas. Quid illud est, quæso? quatenus diuinitas est in cælo, non est in terra, & contrà, & quascunq; restes ex arenaceo hoc principio nectis? In Deo, quum agitur de essentia & præsentia eius, nullum est quatenus: locis distinguis eum quem non capit locus: terminas interminabilem: partiris essentiam eius, cuius perfectio est vnica & simplicissima vnitas. Quin potiùs dicis? quatenus diuinitas est, tota simul est in cęlo, & tota simul in terra, non pars hîc & pars ibi. Et in hoc tamen ἀφιλοσόφων consequentiarum genere exsultat & trium-

phat

phat oratio tua. Ac mihi quidem videtur istud Quatenus, à te non dico de metaphysica, sed de diuina essentia sic pronunciari, tamquam si legibus Physicæ aut etiam Logicæ (quod angustius) illa essentia teneretur: quod tuæ conclusiones docent, totæ ad quantitatem illam prædicamentalem (vt vocant) pertinentes. Indignè factum: cùm Dialecticorum nemo aut Logicorum istas partes fermè sit ausus suscipere: Aristoteles quidem minimè omnium. Sunt igitur falsa, (vt vno verbo dicam) quæ ex hac determinatione adducis omnia. Subiicis, *vt attributa diuina humanæ naturæ non possunt communicari, ita nec hypostasis.* Ambiguè dictum: etsi quis ita loquitur? Si communicari accipis pro eo quod est vniri in personæ vnitatem, cõmunicatur hypostasis: sin autem pro eo quod est communem fieri realiter confusione, transfusione, aut exæquatione naturæ attributorumque quocunque modo, negamus. Etenim anima & corpus nostrum personam constituit cõmuniter, & vtrumq; in personam confert attributa sua; non autẽ substantia vna in alteram, id est, anima in corpus, vel contrà. Sic & natura vtraque in persona Christi nõ transfert, sed confert attributa sua: quæ si transferret, personalis vnio tum esse desineret. Quòd si pars in partem non transfert ad constitutionem personæ nostrę, quomodo natura assumens in assumptam transferre diceretur, id est, principium infinitum in terminum finitũ, & (vt ita dicam) principiatum suum? Si ergo accipere placet communicationem pro vnione personali qua hypostasis Filii naturam humanam assumpsit sibi, bene est: etsi loquutio ambigua, periculosa, mala, fugienda. Si ampliùs statuis, negamus, & falsissimum esse contendimus. Et tu tamẽ, Samosatene, subtiliter

hoc modo interpretaris contrà quàm dicimus: & ex hac hypothesi vel suppositione tua argumētaris strenué. Ergo tuas ipsius cogitationes & commenta (vt facis) oppugna: sequentia enim absurda non attingūt doctrinam nostram, sed interpretationem tuam. Et quod de distinctione inter hypostasin & proprietates adfers, etsi id suo loco est necessarium, in hoc tamen nihil ad rem: nam & hypostasin & proprietates eius vnitas naturæ humanæ in persona esse agnoscimus; communicatas, vt tu vis & falso de nobis asseris, sanctissimè pernegamus: Nec enim (vt antè diximus) quisquam de nobis hoc modo loquutus est: si fecit, error humanus est, & accipiendus humaniter.

SAMOSATENVS. 22.

Hac tria iam enumerata exagitataque ficta Trinitatis indicia quem non mouent, eum profectò mouebunt q[illegible] hic nunc subnectam, fortissima tria & in omnem mansura æternitatem inuictissima argumenta. Primum autem hoc sit argumentum. Vnitas & distinctio οὐσίας vel essentia magis dependet ab hypostasi, quàm accidentis a subiecto, & corporis locati à loco. Non enim tantùm inter se differunt rationalis substantia & persona, quantum accidens & subiectum, quantumque locus & corpus locatum. Atqui vnum numero accidens non posse in multis esse numero subiectis Pontificii Philosophi Theologiq; fatentur: & vnum numero corpus non posse in multis simul reperiri locis Caluiniani nunc pugnant: & quidem meritò; alioquin enim idem esset vnum & non vnum: vnum, propter suppositionem, vt in scholis loquuntur; ponitur enim vnū esse numero accidens, vel corpus: non vnum, quòd secundū multitudinē subiectorum & locorum, necesse sit multiplicari accidentia & corpora locata: esse autem vnum & non vnum, implicat cōtradictionem, quam nec ipse poßit Deus veram

face-

facere; cùm alterum contradictoriorum necessariò sit falsum, omni etiã Theologica consequutione necessaria. Pontificii ergo & Caluiniani vel suam non intelligunt doctrinam & religionem, vel nobiscum negabunt tres in vna οὐσίᾳ diuinas esse ὑποστάσεις seu personas.

ORTHODOXVS.

Hactenus tria illa κριτήρια siue indicia refellimus: quæ tu, Samosatene, præfidenter inuictissima esse gloriaris; nos infirmissima esse, ac potiùs nulla, euidẽter ostendimus: quam rem vt salutariter videre possis, faciat Deus salutis nostræ. Iam subdis argumenta tria: vsque adeo Trinitatem diuinam oppugnans, trinitate argumentorum (vt ita dicam) afficeris. Primo argumento Trinitatem ipsam, secundo Deitatẽ Filii, tertio mediationem eius aggrederis. Arcem ipsam fidei petis, & salutis nostræ, Dei veritatem. De primo antequam dicam, non possum satis mirari te, qui antè prædicabas religionem Christianam, tuam religionem esse hanc, nunc tantopere obliuisci tui, vt eam apertè abdices. Etenim quàm verè Deus est, tã verè de se loquutus est: & quàm verè de se ipse loquutus est, tam verè sermonem suum curauit per seruos suos, non idololatras (quod principio dixisti) exarandum. Huic sermoni si non credis & huic Scripturæ; nec Deo credis, nec Deum. Et Christianam voces religionem tuam? Sed his omissis, de argumento videamus.

Vnitas, inquis, *& distinctio οὐσίας vel essentiæ magis dependet ab hypostasi, quàm accidentis à subiecto, & corporis locati à loco. Vnum autem numero accidens non potest in multis numero subiectis esse: Ergo nec essentia vna numero in multis numero subiectis, siue hypostasibus.* In maiore primùm falleris, quum vnitatem

opponis distinctioni: nam si vnitatem de essentia dicis, non distinctio, sed dualitas aut pluralitas essentiæ opponitur: distinctio verò non ad essentiam propriè & per se, sed ad rationem in essentia respicit. Quare te hoc modo dicere oportuit, *vnitas & pluralitas essentiæ magis dependet ab hypostasi, &c.* id est, *vnius hypostaseos, vna est essentia, pluriũ hypostaseωn plures essentia.* (Hæc sententia tua, quam planis verbis & seposita comparatione visum est exponere) *in Deitate vna est essentia: ergo & vnica hypostasis.* Maiorẽ in rebus creatis concedimus: nam in eis essentia cõmunis, aut est species, aut genus substantiæ; ac propterea substantia secunda Logicis appellatur, quæ in subiecto est, & de subiecto dicitur: singularis verò dicitur hypostasis vel ὑφιςάμενον, Logicis substantia prima. Sed in vnica tamen siue essentia siue hypostasi creata suæ sunt essentiales partes, quæ ratione inter se distinguũtur: in spiritali verò & metaphysica non partes propriè (sunt enim simplices essentiæ) sed quasi partes ratione & mente sola discernuntur. Sic exempli causa, in spiritu nostro (qui subsistit per se, & dat corpori subsistere) vt qui simplex essentia est, primùm est essentia simplex subsistens; deinde à philosophis duo μόρια id est partes, abusiuè habere dicitur, intellectum, & voluntatem: quæ duo vnum sunt cum Spiritu, vt simplex est, essentia; ratione tamẽ ab eo distinguuntur, vt sunt in subiecto. Sed negamus Deitati maiorem competere posse.

Nam primùm Deus est essentia vniuocè, siue ens entium, transcendens transcendentium, quæ non solùm essentias metaphysicas tanto interuallo quanto hæ physicas atque corporeas, sed omnes infinitè omnibus modis superat. Quapropter ductę ab illis de

Deo

Deo argumentationes omnes infirmæ sunt, nisi aut necessitate principii naturalis, quaten⁹ natura potest secūdum Deum, aut scripturæ & verbi diuini auctoritate vincantur. Cùm autem tu, Samosatene, documenta naturæ tam pressè teneas, & tamen Christianam religionem appelles tuam, non iniquè feres si vtrumque librum; vnum imperfectum, naturæ nostræ, alterum perfectum, Scripturæ diuinæ & verbi (quo Christiana religio traditur) consulamus.

Secundò essentiam hanc cùm naturæ luce, tum Scripturæ veritate vnam esse inter nos conuenit. Natura enim & simplicitate eius perfectissima (quę semper eodem modo se habet in sese, nec vllo modo est extra communicabilis) & infinitate perfectionis eius (ad quam respicientes philosophi vnum tantùm infinitum principium idem posuerunt) & mundi, operū, operationumque eius vnitate, vnicam esse Dei essentiam confirmat. Scripturæ loci exstant innumeri, de quibus hîc nō sum dicturus; tum quia inter nos de eo conuenit, tum quia hoc ipsum breuitatis causa, iam antè in alium locum reiecimus. Tertiò & hoc constat, vnicam illam essentiam Dei simplicem esse totaliter, nec vllo pacto compositam in se, siue ex partibus quantis, siue ex materia & forma, siue ex natura & supposito, siue ex essentia & esse, siue ex genere & differentia, siue ex subiecto & accidente, siue alio vllo modo: quam rem naturæ documenta confirmāt ista: quòd omne compositum suis componentibus posterius est, posterius sua causa, ex potētia & actu constat, & in se habet aliquid quod non est ipsum: Deus autē est primum ens, summa & prima causa, actus purus & simplicissimus, denique suum ipsius esse: quò Apostolus respexit dicēs, Patrem esse luminum, apud quem Iacob. 1.

non inest transmutatio, aut cõuersionis obumbratio. Quartò vnicam illam essentiã Dei extra & supra omnia, q̃ vocant, prędicamẽta esse ęquè agnoscimus, natura & Scriptura duce: verũtamen æquiuocè duo solùm prędicamenta ex omnibus Deo conuenienter & analogicè aptari, substantiã & relationem: in Deo autem, vt essentia simplicissima, nihil nisi essentiale esse. Atq; hæc quidem sunt, de quibus inter nos ex natura Scripturaque est cõsensio. De sequentibus non item; quia in eis natura cęcutiuit, aut vidit minus; homines autẽ à natura ita sunt, vt & plus satis naturæ fidant, & minùs Scripturam quærant, intelligant, credantque. Quintò, Cùm Deus sit Spiritus vel Spiritalis essentia, ex analogia spiritalium essentiarũ simpliciũq; de natura eius (quamuis supra omnes sit) iudiciũ fieri dicimus oportere: spiritalẽ autẽ quamuis essentiam ita se habere naturaliter, vt in se habeat essẽtiales facultates duas, quarũ priorẽ, τὸν λόγον, spiritus in se & per se generat συναϊδίως, posterior à spiritali essẽtia procedit & λόγῳ ipsius, quã dicimus volũtatẽ: Essẽtiã itaq; diuinã tria in se habere distincta essentialia, nõ vt facultates inhærẽtes, sed ὑφιστάμενα siue ὑποστάσεις, quorum primum dicitur Pater generans & cõspirans; secũdũ, Filius genitus & conspirans; tertium, Spiritus S. procedens & spiratus ab vtroque. Hoc natura adumbrauit, Scriptura explicauit, narrauit & testificatur Deus. Sextò, In hac relatione & distinctione personarũ mysteriũ diuinũ esse eiusmodi cõfitemur, quòd partim natura rerũ creatarũ adumbretur, partimq; minimè. Creaturã corpoream gignere sibi simile: & à Deo Patre Filium similem semper genitũ; & à Patre Filioq; Spiritum similẽ productum. Creaturam incorporeã vel spiritualẽ, gignere in se λόγον, & per se ac λόγον voluntа-

lūtatem producere. ſic etiam in eſſentia Dei. ſed diſcrimina multa incidere propter ſimilium iſtorū inæqualitatem maximam. Gigni enim Filium & procedere Spiritum ſimilem, non eſſentiam ab eſſentia, vt gignūt res corporeæ (nam eſſentia vnica eſt & ſimpliciſſima) non facultatem à perſona, vt gignunt intelligentiæ (nam Deus eſt purus actus, & quicquid eſt in Deo Deus eſt) ſed perſonam diuinā à perſona; non extra eſſentiā (nam infinita eſt, eſſentia autē infinita extra ſe fundi nō poteſt) ſed in eſſētia, vt ſpiritualeis creaturas facere ſegmēto 9. oſtēdimus. Proinde eſſentiā vnā eſſe, ſi ad ſubſtantiæ prædicamentū ſpectes; in hac autē ſubſtātia ſiue eſſentia vnica realiter ſubſiſtere, & ſecundū relationes diuinas ratione ꝑ proprietates diſtingui tres illas hypoſtaſes ſiue perſonas, de quib. modò dicebamus; quarū perſonarū cōmunem eſſentiā Scriptura eſſentiali appellatione vnius Dei Iehouæ, ſingularē ſubſiſtētiā relatiuis nominib. vbiq; teſtatur, Patris, Filii, & Spiritus ſancti: Patrē enim referri ad Filium, quòd gignat: Filium referri ad Patrē, quòd gignatur ab eo: Spiritū ſanctū referri ad vtrumq;, quòd ſpiretur & procedat à Patre & Filio, ſecundùm proprietates, quas vocant, notionales ipſorum.

Ex his manifeſtū eſt q̄ falſa ſit in reb. diuinis ſentētia illa, vnitatē ὀσίας ex hypoſtaſi depēdêre. Nā in reb. finitis vera eſt propoſitio, quia aliæ extra alias ſubſiſtūt in ſe: in Deo autē, qui infinitus eſt, tres illæ hypoſtaſes (quas relationib. Scriptura variè determinat) ſubſiſtūt nō extra eſsētiā (nā extra infinitū ꝗd eſt?) ſed in eſſētia tota ſingulæ, totaq; eſſentia in ipſis diuino & ſingulari modo. Sic vniꝰ diuinę hypoſtaſeos, at nō ſolius, eſt tota eſſentia diuina, q̄ non niſi vna eſt: triū verò hypoſtaſεων ſiue perſonarū nō plures ſunt eſſentiæ; ſed vnica,

tota in tribus ſubſiſtẽs, tota in ſingulis, idque ſeruatis tum eſſentialibus eſſentiæ, tum relatiuis perſonarũ in vnitate eſſentiæ proprietatibus, quas ex Scriptura didicimus. Sed de his alio loco.

SAMOSATENVS. 23.

Alterum verò ſit huiuſmodi argumentum: Deus Pater præter eſſentiam diuinam, quam eamdem numero & ſibi reſeruauit, & λόγῳ communicauit, dediſſe dicitur diſtinctam hypoſtaſin ſeu ſubſiſtentiam: hæc autem τȣ̃ λόγȣ hypoſtaſis vel erat in Patre quum generaret λόγον, vel non erat. Si erat, ergo vna Patris perſona duæ erant perſonæ propter duas hypoſtaſes: non enim hypoſtaſis λόγȣ eſſe potuit δυνάμει in Deo generante, ſicuti in homine gignente eſt filii ſubſiſtentia; ſed ἐνεργείᾳ ſeu actu. Sin autem in Patre præter propriam hypoſtaſin non erat actu quoque λόγȣ hypoſtaſis, vnde eam λόγος accepit? Omnino autem neceſſe eſt, vt Deus Pater τȣ̃ λόγȣ hypoſtaſin vel ex diuina eſſentia, vel ex ſua ipſius ſubſiſtentia, vel ex nihilo produxerit. At nõ ex diuina eſſentia, quia hæc nec generat, nec generatur: alioqui in Patre etiam genita eſſet, λόγος autẽ genitus dicitur ob propriam hypoſtaſin. Neque ex ſua ipſius ſubſiſtentia eam Pater deſumpſit: cùm enim hæc ſit indiuiſibilis, tota data eſſet λόγῳ: ſicque λόγος cum Patre vna eſſet perſona propter vnam hypoſtaſin, ſicut vnus eſſe dicũtur Deus propter vnam eſſentiam. Si autem hypoſtaſis τȣ̃ λόγȣ, neque ex diuina eſt eſſentia deprompta, neq; ex ipſius Patris ſubſiſtentia deſumpta, nihil certè aliud relinquitur, niſi vt ipſa ſit ex nihilo procreata, ac proinde non verus ſit Deus, ſed quædam tantùm creatura.

ORTHODOXVS.

Quod ſecundo hoc argumento, Samoſatene, tentas expugnare perſonam Filii, eo eſt turpius, quòd nõ ſolùm

ſolùm in re peccas (nam in quē inuehis? vt olim Propheta dicebat) ſed etiam in modo. Dicis enim, *Deus Pater præter eſſentiam diuinā, quā eamdem numero & ſibi reſeruauit, & λόγῳ cōmunicauit, dediſſe dicitur diſtinctā hypoſtaſin.* Dicitur, inquis: & à quo dicitur, obſecro? certè nō à nobis: tuū ergo ſomniū, tuum gloſſema de cætero oppugnas, ac nō doctrinam Chriſtianam noſtrā. Nam quis vnquā fando audiuit inter nos, præter eſſentiam diuinam Patrem dediſſe Filio diſtinctā hypoſtaſin? Non præter eſſentiam dicimus, ô Samoſatene, dediſſe, ſed in eſſentia communi & communicata à Patre, tamquam principio? & in eſſentia dediſſe hypoſtaſin, non extra eſſentiam; non diuiſam, ſed diſtinctam hypoſtaſin tum ab eſſentia, tum à perſona Patris & Spiritus ſancti, non ſecundum eſſe, quod cōmune eſt, ſed ſecundum ſubſiſtere, quod perſonæ cuiuſque proprium & ſingulare. Nam quod in mentibus noſtris inexiſtit vt facultas, id in Deo ſubſiſtit vt Deus & ὑφιςάμενον.

Iam verò quid argumenteris, vide. *Hæc hypoſtaſis,* inquis, *τῦ λόγυ vel erat in Patre, quum generaret λόγον, vel non erat.* Diſiunctiuā agnoſcimus, & in ea prius membrum: poſterius improbamus. Itaque pergis, *Si erat, ergo vna Patris perſona duæ erant perſonæ propter duas hypoſtaſes.* Inconſequenter, mi homo, argumentaris, negamus conſequens: & vt errorem videas, confice maiorem συλλογιςικῶς. *Quum perſona eſt in perſona, duæ perſonæ ſunt vna perſona.* Falſum: nam etiam Angelus, diabolus erit in perſona altera, nec tamen diabolus & homo, Angelus & homo vna perſona futuri ſunt. Nonne vides oppoſitum eſſe in appoſito, quum ita loqueris, & ſubiectum prædicato tolli, ac contrà? Nam ſi perſona eſt in perſona, duæ ſunt per-

ſonæ, nō vna: contrà ſi duę ſunt perſonę in vna, omnino duæ ſunt perſonæ, quamuis in vna ſint. Atq; id nos dicimus, quod tu non intelligis, quia per modū creaturarum cupis res diuinas intelligere præpoſterè: nos inquam dicimus, perſonam quamq; in vnica illa eſſētia ſubſiſtere, & vnam in altera, non vt accidens inexiſtens, ſed vt perſonam ſubſiſtētem. Nam in principio erat ὁ λόγος, & ὁ λόγος erat apud Deum, & ὁ λόγος erat Deus: hic erat in principio apud Deū. Hoc poſito, velut re bene geſta, tranſis ad alterum diſiūctionis membrum, quod negauimus. Quamobrem & tu fruſtra laborem in eo conſumpſiſti; & nos quoque, ſi de eo laboraremus, poſito altero operam fruſtrà luderemus. Pergamus itaque.

Ioann. 1.

SAMOSATENVS. 24.

Tertio producam loco peruulgatum quidem, ſed inſigne prorſus ſemperq; triumphans illud argumentum quod Apoſtolus nobis ſuggerit, vnum eſſe ſcribens Deum, vnum & Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum. Nam ſi Mediator is eſt, quem & nomen & ratio cogit eſſe medium inter perſonam offenſam & perſonā quæ offendit, intercedentem apud partem offenſam pro parte quæ offendit: certè nō poteſt mediator eſſe perſona quæ offendit, neq; perſona quæ eſt offenſa. Idem enim intercederet apud ſeipſum, idemq; ſimul ſe & iratū oſtēderet & placatum: quo nihil cogitari ſtultius poteſt. At perſona offenſa eſt Deus Iſraël, qui vnus eſt: non igitur Chriſtus eſt ille Deus.

ORTHODOXVS.

Triumphalem coronam per ſomnium geras, Samoſatene, licet: experrectus videbis quòd ecce ſomniū. Duo in libello reliquo cōtra Mediatorem meditaris: vnum, perſonam diuinam non potuiſſe Mediato-

diatorem esse: alterum, non oportuisse. De priore sic argumentaris:

Mediator, inquis, *medius est inter personam offendentem & offensam, nec altera earum esse potest.*

Persona offensa est Deus Israël qui vnus est; & Mediator, Christus. Non igitur Christus est ille Deus. Maiorem, quia copulatiua est, partim distinguimus, partimque negamus. Prius membrum distinguimus: nam Mediatoris nomẽ supponit duo, personam mediantem, & actum mediationis. Persona medians ex parte alterutra ferè non sumitur, si extra partes inuenitur qui velit & possit. Sed tamen ex parte alterutra aut vtraque sumitur, si non est alibi qui possit commodè, si pars offensa gratiose de iure suo remiserit, si inter partes conuenerit. Hoc igitur respectu propositio non est necessariò vera. Actum verò mediationis qui negat ad partes pertinere, vix scit humanitatem, charitatem certè Christianam nescit: nam eum actum Christus partibus ipsis disertè imperat. Matth. 5.
Si munus tuum, inquit, attuleris ad altare, & illic memineris fratrem tuũ habere aliquid contra te, omitte illic munus tuum coram altari, & abi: primùm reconciliator fratri tuo, &c. Et alibi, Si peccauerit in Matth. 18.
te frater tuus, ito & argue eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus fueris fratrem tuum, &c. Prior actus parti offendenti, posterior offensæ imperatur, vterque verò mediationis est. Itaque posterius propositionis membrum falsissimum est: nam qui medius non est secundùm personam, is testimonio Christi, medius ratione officii & œconomiæ fieri potest, & iubetur esse quisquis potest. Huius officii quod imperauit Christus, idem exemplum præbuit. Itaq; ex falso antecedente conclusio falsa.

SAMOSATENVS. 25.

Hunc nodum Gordium duobus solēt modis incidere potius quàm dissoluere nostri Trinitarii. Plerique eorum ad diuersas confugiunt in Christo naturas, affirmantes Christum esse personam offensam ratione diuinæ, mediatorem verò ratione naturæ humanæ. Verùm hi non recordantur vnam cōstitui Christi personam ex natura humana & diuina, atque intercessionem omnemque aliam actionem non esse naturarū, sed ὑφισταμένων vel suppositorum: quare non humanam Christi naturam intercedere apud diuinam, sed ipsum Christum intercedere apud seipsum ratione naturæ humanæ & diuinæ, ita vt intercessio oriatur ex Christi humanitate, terminetur autem & desinat in ipsius diuinit... m: quapropter huiusmodi intercessionem non duas esse actiones, sed vnicam tantùm, duos tamen respectus habentem, vnum ad humanam, alterum ad naturam diuinam: diuersos verò in eodem supposito respectus efficere non posse, quo minùs idem reuera intercedat apud seipsum propter vnicam personam, vnicamque actionem. Quid multa? vel Christus mediator est secundùm naturam tantùm humanam, vel secundùm naturam etiam diuinam. Si secundùm humanam tantùm, quid opus erat Deum fieri Mediatorem? sin verò secundùm diuinam etiam est mediator, nullo profectò modo euitari potest, quin ipsa quoque diuina natura, ea parte qua mediatrix est, intercedat apud seipsam: quod quia absurdè dicitur, cùm nemo roget seipsū, fateamur etiam absurdè dici, mediatorem Dei & hominū esse illum ipsum, qui placandus erat, Deum.

ORTHODOXVS.

Etsi nodum illum tuum Gordium, Samosatene, iam modò soluimus: quia tamen pergis in imaginario triūpho tuo, paucis respondebimus ad sequentia.

Solutio-

Solutionem quam hîc adfers ex duabus naturis Christi, tueantur qui probant: nos quidē probamus minime. Hæc ergo nihil ad nos. Quod autem affirmas sub finē *absurdè dici, cùm nemo roget seipsum, ipsam quoque diuinam naturam apud seipsam intercedere*, bifariam peccas, re, & probatione. Re peccas; nam etiam apud se & apud nos Christus secundùm naturam intercessit, & partem vnam posse intercessionem præstare antè docuimus. Probatione peccas: non enim (opinor) es nescius in iusto argumentationum modo non nisi speciebus omnibus sublatis genus tolli posse. Sic autem argumentaris, neminem rogare seipsum; ergo neminē apud seipsum mediatorem esse. Quid? an nondum vides, patêre latiùs intercedendi quàm rogandi verbum? Si patet latiùs, falsa est conclusio tua: patet autem latiùs. Quòd si æquiualere ista verba putas, falsa est suppositio: nam multi etiam non rogantes intercedunt. Et falsum igitur consequens. Sed pergamus.

SAMOSATENVS. 26.

Quamobrem alii solent Theologi respondere, quando vnica tantùm est offensa persona, non posse eamdem esse Mediatorem: verùm quum multæ sunt simul personæ offensæ, tunc nihil obstare quin ex iis vna ipsarum cōsensu electa, officio Mediatoris fungatur: id quod illustrant exemplo Regis duos filios habentis: quem Regem si turbulenti offendant subditi, vnà etiam ipsius offendunt filios: & tamē fieri posse, vt de voluntate Patris & filiorum alteruter filius deligatur, qui inter Patrem & subditos fiat mediator. Sed isti non considerant, hominem offensum propterea fieri mediatorem inter offendentē & alium quempiā qui quoque fuit offensus, quòd is posita iam ira ignouerit ei à quo fuerat læsus, quodque ipse placatus alterum similiter placa-

tum cupiat. At in rebus diuinis non ita sese res habet: non enim antè placatus fuit λόγος quàm Pater, & Spiritus sanctus, si tres istæ personæ sunt ὁμοούσιοι. Deinde nõ attendunt, Regem humanum & ipsius filios ex se nunquam eligere mediatorem, nisi minùs offensi fuerint filii quàm Rex ipse: cui rei certissima fides sit ex eo, quòd nunquam ipse Rex, contra quem potissimùm excitata fuerat seditio, mediator fiat inter filios suos & seditiosos subditos. At verò omnes diuinæ personæ æqualiter offensæ hominum peccatis fuere, si omnes æquè diuinam participant naturã. non igitur vna magis quàm alia esse mediator potuit: vel si vna earum facta est mediator, ea certè non potuit ipsa sibi satisfacere; quandoquidem satisfactio, omnisque iustitiæ actus non sit ad seipsum, sed ad alium: ob quam rem non toti satisfactum Trinitati foret, sed Patri tantùm & Spiritui sancto: ideoque altero opus mediatore fuisset, q ipsi etiã λόγῳ satisfaceret.

ORTHODOXVS.

Etsi propositionẽ tuam, ô Samosatene, segmento 24. apertè cõfutauimus, quia tamen eadem chorda oberras, monebo paucis quod opus est. Primùm ergo negamus propositionẽ tuam simpliciter veram esse, vt ibi ostendimus. Secundò dicimus, si in causa sua agere quis Mediatorem potest, multo magis in causa quæ sibi & aliis personis communis est: quod illo exemplo Regis filiorumq; (est autem à Chrysostomo, aut etiam à Christo exemplum) confirmatur. Negas, & exemplum ais esse dissimile duobus argumentis: de quibus ordine dicturi sumus.

Matth. 21.

Primùm *si quis offensus*, inquis, *mediatorem agit, oportet eum posita iam ira ignouisse: hoc autem de persona diuina vlla rectè non potest affirmari.* Iam ergo das quod antè negauisti, hominem quamuis offensum Mediatorem esse posse. De sermone autẽ tuo, vtrumq; falsum

ſum eſt;ſic falſa cõcluſio. Falſum eſt eum qui fuit offenſus propterea mediatorẽ fieri inter offendentes & alios offenſos, quòd poſita ira ignouerit, ſi propterea ſolùm dixeris: nã fit etiam vt offenſus offenſionẽ diſſimulet, nõ quòd ignouerit, ſed quòd animũ habeat ignoſcendi,ſi res ſucceſſerit;aut quòd offendentes velit amplius reuincere omnibus officiis, & ſi qua ſunt eiuſmodi. Si ergo alię aliquę cauſę ſunt,nõ propterea ſolùm mediator fiet: quod ſi nõ propterea ſolùm, ex indefinita & particulari nihil efficitur.Et illud quoq; falſum eſt,hoc de perſona diuina non rectè affirmari poſſe. Contrà enim ſi hoc nõ dederis de eſſentia ipſa & de perſona diuina quaq;, totã Scripturã euerteris. Deus enim offenſus,inde à primo parentũ lapſu irã in peccatores nõ poſuit,ſed diſſimulauit;nõ ſimpliciter ignouit, ſed ſpẽ fecit cõdonationis, & ad eã rem media adhibuit ipſe innumera. Quin& Pater promiſit Filiũ,& Filius vltrò egit q̃ ad mediationẽ, diuinũ planè opus,pertinebãt. Diuini aũt operis quis auctor & effector,niſi Deus,futurus eſſet?Cùm enim mediationis duæ ſint partes, vna ad Deum & res diuinas, altera ad nos & res noſtras pertinens;vtraſq; à Deo diſponi ſiue præparari,procurari,perfici,contineri integras oportuit:quam ad rem Patriarchæ, Lex, ceremoniæ, Prophetæ Dei verbis fuerunt in Eccleſia duces. Quapropter ait Chriſtus, Deus tantopere dilexit mundum vt ſuum ipſius Filiũ tradiderit, &c. Et Apoſtolus, Deus erat in Chriſto reconcilians mundum ſibi,&c. Enimuerò (vt teſtimonia mittamus) vide quæſo quò euadas,quũ ita ſtatuis ex neutra parte,offendente aut offenſa,mediatorẽ fieri poſſe. Nemo inter Deum & homines potuit mediator eſſe, niſi à parte alterutra aut etiã vtraq;: ab hominib. nõ potuit,qui inde à peccato

Ioann. 3.
2. Cor. 4.

nec nouerunt, nec voluerunt, nec potuerunt nouisse Deum vtiliter: Igitur à Deo. Fuit autem mediator, Filius Dei: fuit ergo a Deo, qui potuit. Misertus enim nostri Deus mediatorem dedit, quum posset in æternum carere nobis, vt αὐταρκέστατος: nos verò de mediatore quî cogitauissemus, cùm à natura fugiamus Deum? Hoc quisquis ignorat, & se ignorat & Deum.

Alterum dissimile, quòd hîc comminisceris, planè est imaginarium. Nam quod ais *hunc aut illum plus aut minus offensum esse: qui minus fuerit offensus, mediatorem hunc fieri*: nihil ad causam hanc omnia. Nam in exemplo intelligitur omnes æquè offensos esse: deinde fieri potest, vt qui plus offensus fuerit, eius animo tamen offensa minus hæreat, & mediatoris officium deposcat sibi. video te qui de rebus diuinis supra omnes tibi videris sapere, peritiam rerum humanarum non vsque adeò magnam adeptum esse. Sed valeant ista. Subiicis, *Ex personis æqualiter offensis non potest vna magis quàm alia mediator esse: Personæ Trinitatis sunt æqualiter offensæ: Ergo.* Quid Lectoribus illudis, Samosatene? Maiorem enim sic struis, vt hærere nos oporteat vtro sensu neges, simpliciter, an comparatè. Simpliciter si negas, falsum: nam (vt antè dixi) potest persona ęqualiter offensa minus offensionis in animo continere: potest præterea (quod in hac quæstione verum est) persona vna magis esse decens, commoda, & meliùs disposita ad opus mediationis quàm altera, ex consensione iudicioque omnium. Certè personam Filii commodiorem fuisse, & ab æterno ad opus istud dispositam, Scriptura sacra ostendit passim. Sin autem comparatè neg[a]s, itidem falsum, eodemque iure. Addis; *Satisfactio mediationis, & omnis iustitiæ actus non est ad seipsum, sed ad alium: Ergo si Christus Deus mediator*

diator est, non satisfecit sibi. Pergis, *Si non satisfecit sibi, non satisfecit toti Trinitati, & altero Mediatore opus: At non satisfecit sibi: Ergo, &c.* Maiorem distinguimus, etiam auctore illo præceptore tuo ad Nicomachum scribente: Nam propriè quidem communiterque actus iustitiæ est ad alium; speciatim verò & per accommodationem analogicam, quam ille μεταφορὰν & ὁμοιότητα vocat, etiam ad ipsum agentem respicit ferturque. Ita est mediatio Christi respectu sui. Hoc igitur pacto & conclusionem illam tuam, & quæ inde eruis consectaria, simul ruere necesse est. Li. 5. Ethic. cap. 11.

SAMOSATENVS. 27.

Quid? quòd Deus non solùm non potuerit esse mediator, sed neque ulla causa fuerit cur ipse agere vellet mediatorē? Nam duæ potissimùm huius afferri solent rei causæ, quarum neutram veram esse demonstrabo. Scholastici aiunt, Deum potiùs quàm aut angelum, aut purum hominem fieri mediatorem debuisse, quòd hominum culpa læsum fuisset summum & infinitum bonum, ac propterea ipsa quoque culpa infinita euasisset; quæ vt deleretur, opus fuisse ἐνεργείᾳ virtuteque infinita: qua cùm solus Deus sit præditus, hunc solum suscepta carne oportuisse fieri mediatorem, & generis humani redemptorem. Itáne verò? peccatum infinitum hærere in homine potest finito? Non est, inquiunt, infinitum ratione subiecti, id est, hominis; sed ratione obiecti, id est, Dei. At sicut peccatum hominis infinitum est ratione Dei infiniti, ita etiam bonum opus hominis infinitum erit, relatū in Deum infinitum: cur igitur Deus, si infinitè potuit ab homine offendi, non infinitè ab eodem potuisset placari? Quia non est, inquiunt, par ratio boni, & mali operis: cùm homo ex se possit peccare, nō autem suapte

natura queat bonum opus Deo gratum facere. Sed potést ne saltem homo diuina adiutus gratia tale opus facere? nemo negabit: multo ergo magis id præstare potuit homo mediator, qui omnis esset originalis culpæ expers.

ORTHODOXVS.

Aliquamdiu perdidisti, Samosatene, operā, vt personam diuinam non posse Mediatorem esse ostenderes: Nunc alterū locum ingrederis, nempe non oportuisse, nec vllam causam fuisse cur mediatorē ageret. Nos fuisse affirmamus: & has duas causas affirmamus, quas disiungis callidè, salutem nostram, & gloriam Dei admirabiliter in bonitate, misericordia, iustitia, veritate, fideque illius explicandā. Hîc priorem locū inuadis, vt Ecclesiam Dei deturbes de possessione sua, salute nostra. Hæc autē salus nostra in duobus fuit posita, malorum abolitione, & positione vel cōstitutione æterni boni. Ex antecedente Scholastici consequens intellexerunt, & Ecclesia Christiana sic sensit inde ab Apostolorū temporibus. Tu verò antecedens quum occludis, à cōsequente bono excludis pios: nam bonorū perfectio ad nos sine abolitione malorum quę sunt in nobis peruenire quî possit? Ac primùm quidē quod adfers ex Scholasticis, aliquid est, sed tamen mutilum. Duo enim cōiunxerunt illi, quæ coniungi à te oportuit, hominis tenuitatē ἀδύνατον, & Dei maiestatē. Hominis puri satisfactio, inquiunt illi, sufficiens esse non potuit pro peccato: tum quia tota humana natura erat per peccatū corrupta, nec bonū alicuius personę vel etiam plurium, poterat per æquiparantiam totius naturæ detrimentum recompensare: tum etiā quia peccatū contra Deum commissum quamdā infinitatē habet ex infinitate diuinæ maiestatis. Tanto enim offensa est grauior, quanto maior

maior est ille in quẽ delinquitur: vnde oportuit, ad cõ dignã satisfactionem, vt actus satisfacientis haberet efficaciã infinitam, vtpote Dei & hominis exsistens. Hęc Thomas: En tibi duas causas, quarũ priorẽ omittis, posteriorẽ laceras: Nõ enim peccatũ habere infinitatẽ dicũt simpliciter, sed infinitatẽ quamdã, id est, secundũ quemdã respectũ & modũ. Atq; hoc tute cogeris agnoscere, infinitũ ab eis dici ratione obiecti, id est, Dei, quẽ offendit peccatũ. Quid? an negaturus es, atrociora effici peccata, ex eorũ qui offenduntur grauitate? Hoc natura docet: ne Stoici quidẽ ipsi id negare ausi sunt. Absurdũ obiicis ex cõtrario; *si peccato, velut infinito, ratione Dei, offenditur Deus, ergo & benefacto, velut infinito, placari potest.* Negãt Scholastici, negam' omnes, parẽ in his contrariis rationẽ esse. Quid tu ad hæc? regeris hypotheticè, *saltẽ homo diuina adiutus gratia potest tale opus facere.* Negamus de homine hîc agẽte in terris. Nã diuina gratia hîc inchoata est, illic pficitur: vt aũt est radix, ita fructus inchoati; ac proinde nõ boni in nobis, sed in Christo; non per se, sed per gratiosam Dei acceptationem. De homine verò in cælis agente, agnoscimus eũ posse bonũ & perfectum opus præstare, at nõ quo placetur Deus: antè placari Deum oportuit per mediatorẽ, quàm homo eò ascenderet; vbi qui viuunt, Deo viuunt reconciliati in sanguine Christi, & subsistũt perfecta cõmunione cum Mediatore suo. Falsum igitur cõsequens *id hominẽ mediatorẽ purũ præstare potuisse*, id est, hominẽ solùm: nã de Christo credimus & affirmamus. Alioquin homo finitus quo pacto sibi cõparet infinitũ bonum? Quòd si quis alter dari posset præditus potestate placandi Deum, (quod est falsissimum) nõ alii, præterquam sibi, placaturus esset placatione æterna Deum. Hanc Christus θεάνθρωπος, non homo solùm, comparauit.

Summm. p. 3. q. 1. art. 2.

SAMOSATENVS. 28.

Alii verò arbitrantur Deum non tam immensa hominum culpa, quàm infinito suo erga genus humanum amore commotum fuisse, vt ei mediatorem daret summum & infinitum bonum. Quasi verò Deus, qui ante peccatum non dederat mundo infinitum hoc bonum, per peccatum voluerit ipsi tale bonum largiri. Fatentur enim Theologi plerique, si Adam non peccasset, τὸν λόγον nunquam humanam fuisse suscepturum naturam. At sine peccato seu malo non haberi summum bonum, est contra summi rationem boni: quippe quod non ex peccato seu accidente, sed per se aliis communicatur, & communicari debet, si per se, id est verè, summum est bonum. Deinde cur nobis non maximæ agendæ essent gratiæ Adamo, quòd peccauerit, & peccato suo tantum bonũ elicuerit? Tantumdem enim, aut plus etiam Adami peccato mundus deberet, sine quo infinitum istud bonum non haberet, quàm ipsi Christo; qui nec sibi, quod ad humanam naturam; nec nobis profuturus fuisset, si Adam nec sibi nec nobis peccasset. Postremò si infiniti amoris instinctu Deus Pater filium sibi consubstantialem in hunc mundum misisset; is profectò, tantùm vt suum amorem declararet, maluisset sine precio omnia hominibus peccata remittere, quàm acerbißima innocentis Filii sui morte vllius peccati pœnam repetere. Experimur enim seruum aliquem ab eo magis amari domino, qui animaduersionem & supplicium, quo vsurus erat in ipsum, omnino remittit & condonat, quàm qui pœnas illius quoquo modo persequitur, non parcens innocenti, si ille ipse qui peccauerat non poßit satis pœnarum dare. Videmus quoque maiore accendi amore seruum erga eum dominum qui debitam pecuniã gratuitò remittit, quàm qui eam quocunque poßit modo exigit, nullam partẽ condonans amicis; si ipse debitor non poßit summam creditam soluere.

ORTHO-

ORTHODOXVS.

Hæc altera causa cum superiore coniungenda, vt in proximè præcedens segmentum diximus, nempe Dei bonitas, vt summi & infiniti boni. Hanc causam tribus argumentis, Samosatene, conaris euertere: quorum duo ex absurdo sumpta sunt, tertium ex simili. Primùm arguis absurdè dici; *Deum qui ante peccatum non dederat mundo infinitum hoc bonum, voluisse per peccatum ipsi tale bonum largiri*: & ita argumentaris: *Sine peccato non haberi summum bonum, est contra summi rationem boni: Ab homine autem docetis sine peccato habendum non fuisse summum bonum: Ergo docetis absurdum.* Maior vera est simpliciter: sed distinguenda, quia quicquid habetur a nobis, id habetur magis aut minus, aut habetur hoc & illo modo. Ergo sine peccato non haberi summum bonum ab iis obiectis quæ capacia sunt illius, falsum est: nam habent Angeli electi, habuit Adam in creatione imaginem Dei, id est, conuenientiam cum summo bono sibi a Deo communicatam in natura; quod tu, Samosatene, falsò negas. Sed istud summum bonum sic habuit Adam naturaliter, vt duo in isto, habere, tenenda sint: vnum, quòd habuit summum bonum in se, prout natura habere potuit, ea lege vt per se in eo subsisteret: alterum, quòd per se fuit mutabilis, potentiamque in alterutrum euentum habuit, in bono subsistendi, aut absistendi a bono. Ergo sine peccato habuit summum bonum: nunc autem ex quo peccauit, non sine peccato redhibet summum bonum, sed maiore beneficio, & ampliore modo: nam quisquis pius est atq; Christianus, habet summum bonum in Christo immutabile, & in se per Christum immutabiliter, non naturâ, sed gratiâ: deinde modum singu-

larem habet occasione peccati a Deo datum, puta Sermonem factum carnem, vel Deum manifestatum in carne, in quo nos, vt summo bono & summi boni vinculo æterno, consistimus. Sic minor omnino falsa est. Etsi bellè tibi vidêris probare eam, quum inquis, *si Adam non peccasset, τ̃ λόγον nunquam humanā fuisse suscepturum naturam.* Esto sane illud: sed argumentatio tua, non eo minus est inconsequens. Nam si carnem Christi diceremus summum esse bonum, rectè ex sermone nostro procederet tua argumentatio. Deus est summum bonum: caro est diuinæ personæ, in qua summum habemus bonum, essentiale instrumentum. Hoc bonum sine instrumento antè habuimus quàm homo peccasset: ex quo peccauit homo, & se orbauit bono; Deus non solùm, vt antè fuit, restituit bonum; sed voluit subsistere nobis in persona Filii, vt esset immutabile; & quidem in carne eius, vt esset a carne inseparabile in nobis, credentibus in Filium eius. Secundò arguis inepta ratiocinatione; *si ita est, plures a nobis Adamo gratias quàm Christo habendas esse:* quo genere argumētationis lusisse Q. Fabium narrant historici, quū impudenter gloriaretur legatus ipsius, opera sua factum vt Tarentinam arcem reciperet: Verè dicis, inquit ille: nam nisi amisisses, nunquam fuissem recepturus. Sic tu, Nisi Adam amisisset nos, nunquā Christus nos fuisset recepturus & firmaturus prę̨sidio suo. Annon vides esse quod tuus pręceptor vocat τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, nō causam vt causam? Et quàm multa supponis falsa in hac argumentatione tua? vt alia mittam, quî potuit illud tibi excidere? *Christum nec sibi quod ad humanam naturā, nec nobis profuturum fuisse, si Adam nec sibi, nec nobis peccasset,* id est, si Adam non obfuisset. Nā & antè profuit Christus, & pro-

prodesse postea non destitit, si Ioanni credis dicenti, Ioann. 1.
In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux ista in tenebris lucet,&c.quæ tu vtinam omissis præiudicatis rationis tuæ cæcæ, & submittens mentem veritati Dei,semel perlegeres. Tertium argumentum a natura infiniti amoris sic habet: *Si Deus infinito amore eò fuit adductus, maluit ex amore infinito omnem culpam & pœnam remittere gratis, quàm acerbissimam pœnam repetere: Non fecit autem: Non ergo infinito amore eò adductus est.* Huic argumento duo similia subnectis, eodem pertinentia, & quæ omnia solui eadem ratione possunt. Primùm ergo ex hoc ipso syllogismo connecto similem in hunc modum: *Si Deus infinito amore suo adductus est eo, maluit ex amore infinito nobis omnem culpam & pœnam remittere gratis, quàm acerbissimam pœnam a nobis (qui succubuissemus) repetere: Fecit autem: Ergo infinito amore fecit.* Fecisse negas? probabo paucis: *Qui omnem culpam & pœnam gratis remittit alteri & luendo de suo, is infinito amore facit: Deus hoc facit: Ergo infinito amore facit.*

Quòd autem exempla dominorum & seruorum adfers, ea sunt dissimilia: non enim est proportio seu analogia inter debitum pecuniæ, & debitum iustitiæ. Nam de pecunia condonari potest, & de toto mundo condonare potuit Adamo Deus, vt ita loquamur: sed de iustitia, quæ æterna est & immutabilis, nō condonatur sine iniustitia. Quid plura? Deus 2. Tim. 2.
seipsum non potest abnegare: nec iustitiam igitur, cùm iustitia sit Deus. Atque huc pertinet proximè sequens responsio.

SAMOSATENVS. 29.

Hic omnes obstrepent, non amicitiæ solùm, sed Dei

etiam iustitiæ habendam fuisse rationem: propterea quòd Deo iustißimo omnia persoluenda essent quæ ipsi debebantur. At si Deus summum suum ius persequatur, quis hominum ei poßit satisfacere? sin autem de iure remittat aliquid suo, eadem posset ratione totum suũ ius dimittere absq; suæ iustitiæ imminutione. Si denique ad summam suam firmandam iustitiam ablegare voluerit ὁμοούσιον sibi Filium, fatendum erit, Deum sibi ipsi satisfecisse. Aut enim diuina λόγου hypostasis adiuuit humanam naturam in cõplendo diuinæ iustitiæ opere, aut nihil adiuuit. Si iuuit, tãquam omnium radix & causa meritorum; hæc certè in ipsam λόγου hypostasin, vnde profecta fuerant, redundarũt; & ita ipsa Filii hypostasis sibimet satisfecisset. Sin autẽ hypostasis λόγου nihil humanæ largita est naturæ ad eam iustitiam perficiendam, cur humana natura ὑποστατικῶς assumpta esset a λόγῳ?

ORTHODOXVS.

Si tu tibi, Samosatene, in pietate & veritate cõstares, acquiesceres huic rationi, memor eorũ verborũ quibus antea segmento 12, vsus es. Non voluntas Dei, inquis, cum bonitatis suæ pugnare potest lege: nec voluntas esse potest regula bonitatis, sed bonitas potius regula diuinæ voluntatis. Nos enim eodem argumento dicturi sumus; non voluntas Dei cum iustitiæ suæ pugnare potest lege: nec voluntas esse potest regula iustitiæ, sed iustitia potius regula diuinæ voluntatis. Sed amplius dicimus ex tuis verbis ibidem, cùm iustitia diuina sit ipse Deus, imperitorum esse hominum ad nudam voluntatem Dei, tamquam in aram mutam confugere. Quid plura? Iustitiam naturalem negabat Dionysius Siculus a se conuelli: & Deus faceret? immò conuelleret suam? quæ nobis tamen plus quàm supernaturalis est. Vt verò hoc vin-

vincas, argumēto disiunctiuo vteris in hunc modum: *Aut summum ius suum Deus persequitur, aut de eo remittit, aut submittit vadem.* At hæc disiunctio propriè membris non constat oppositis, nec sufficientem enumerationem complectitur: proinde nihil ex ea conficitur. Ego verò facio copulatiuam, Et ius suum persequitur, nempe quod veritas iustitię ex necessitate postulat, cùm ea ipsa iustitia sit Deus: & de eo remittit, quod veritas misericordiæ postulat saluo ordine iustitiæ, cùm miserationum sit Pater: & submittit vadem sapientia sua, qui ea præstet ad gloriam ipsius & salutem nostrā, quę nemo homo pręstare potuisset. Itaque quod ad primum membrum subiicis, *quis hominum ei posßit satisfacere?* dictum benè: pro se enim nemo potest, minus pro aliis, pro toto mundo minime: propterea stitit se Christus in locum nostrū. Quod ad secūdum infers, *posse eadem ratione totum suum ius dimittere absque suæ iustitiæ imminutione,* satisne sapis, mi homo? hoc tuis idololatris persuade, qui flagitiosos Deos coluerunt. Nos quidem scimus, & luce naturę hoc scimus, cum totum ius Dei (vt Paulus vocat) sit ipsissima iustitia & perfectissima; quisquis totum ius Dei dimiserit, eum non posse facere absque iustitiæ diuinæ non solùm imminutione, sed etiam abolitione vniuersa. Sic idem Deus plenissima foret iustitia & iniustitia. Horreat cælum, moueat terra; si homines, quos testes & præcones iustitiæ Deo esse oportuit, ad hāc cogitationem & hæc dicta non possunt perhorrescere. Quod ad tertium pro absurdo infers, illud iam suprà segmento 24. & aliis aliquot confutauimus: nec absurdum id esse quod tua sapientia absurdum putat, iam olim Scriptura docuit, Patres viderunt, & credit Ecclesia sanctissimè.

2. Cor. 1.

Rom. 1.

SAMOSATENVS. 30.

Sed quid ego argumentor nullam fuisse causam, cur Deus vellet esse Mediator, cùm ipsemet Dei & hominũ testetur mediator se non esse ipsum Deum? Nam Christum disertis verbis se extremi iudicii diem ignorare affirmantem, ac proinde se Deum ipsum esse negantem, interpretari non possunt id respectu humanæ fuisse naturæ loquutum, quin eundem & mendacii & hæreseos coarguant atq; condemnent, si is quoq; Deus ipse est. Omnes enim docti agnoscunt, quòd quum duo sunt in aliqua persona principia, quorum altero quippiam agatur, altero nõ agatur, non verè de ipsa affirmari persona posit eam non agere, cùm ex altero saltem principio agat. Vt in homine duæ sunt naturæ, vna animalis, altera rationalis: quare si quispiam aliquid ignorans animali natura, cognoscens autem illud natura rationali, nihilominus tamen simpliciter pronunciaret se id ignorare, sentiens secundùm naturã animalem se id nescire, is profectò magnus nugator esset, & nõ verum, sed mendacium diceret: quoniam falsò negatur de persona quod ei per alterã saltem inest naturã. Sic planè si Christus vltimi iudicii diem præsciuit ex diuina natura, non potuit id de sua persona verè negare propter humanæ ignorantiã naturæ. Nõ enim, vt verè de toto affirmatur quod ei ex altera tantùm inest natura, ita verè de eodem negatur quod ipsi per alteram duntaxat non adest naturã. Etenim verè affirmatur Christum esse ipsum Deum, si diuinam ipse habet naturam: & falsum pronunciatur, Christum non esse ipsum Deum, nec per vllam dispensationem huiusmodi falsa propositio vera fieri potest, etiã si secundum humanitatem Christus nõ sit ipse Deus. Simili ergo ratione, si Christus secundũ diuinã naturã verè præcognouit extremi iudicii diẽ, falsò hoc de seipso negauit: nec minus errauit quàm is Trinitariis iudicibus erraret, qui sine vlla exceptione affirmaret Christum

Marci 13.

ſtum non eſſe conſubſtantialem Patri, non æternum, &c. Atq; hac eadem ratione omnis intercluditur ipſis via, qua ad humanam prolabi naturam ſolent, vbicunq; Chriſtus aliquid de ſe negat quod ſoli vero Deo conueniat.

ORTHODOXVS.

Reſtat poſtremum tuũ, o Samoſatene, argumentum: quod propterea ex auctoritate dicis, ne omnia planè rationi tuæ arrogare & ipſe tibi Suffenus eſſe videare. *Ipſe Mediator,* inquis, *teſtatur ſe nõ eſſe Deum.* Negamus. Contendis verum id eſſe duabus argumentationibus; quarum hæc prima eſt: *Quum duo ſunt principia in aliqua perſona, quorum altero quippiam agitur, altero non agitur, falsò negatur agere perſonam quod ſaltem per alterum principium agit: Chriſtus negat ſe ſcire diem extremi iudicii; quæ ſcientia Dei vel naturæ diuinæ eſt propria: Aut igitur Deus non eſt, aut falsò negat quod deitatis eſt.* Specioſum argumentum: atque hoc eo mox redditur ſpecioſius, quòd poſteà ſubiicis, *falſo negari de perſona quod ineſt ei per alteram ſaltem naturã.* Sic enim tacitè cupis eamdem rationem ſeruari in negandis operationibus atq; earum principiis; quod eſt falſiſſimum. Eſt quidem vtrumque eſſe, & operari, perſonæ a natura, ſed diuerſo modo. Nam eſſe pertinet ad conſtitutionem perſonæ, itaque habet rationem termini: vnitas verò perſonæ requirit vnitatẽ completi & perſonalis eſſe. Operatio autem eſt quidam effectus perſonæ ſecundùm aliquam formam vel naturam: ex quo fit vt pluralitas operationum non præiudicet vnitati perſonæ, & operationes liberius de eadem perſona affirmari aut negari poſſint. Verùm his omiſſis, maiorem 1. negamus veram eſſe, ſi ineſt expreſſa, aut etiam tacita naturarum

aut operationum naturalium oppoſitio: vt homo moritur, homo non moritur: homo dormit, homo non dormit,&c. id eſt non perſona tota, ſed corpus: quemadmodum Chriſtus dicebat Patri, non quod ego volo, ſed quod tu vis, Matth.26.11. negamus veram eſſe in figuratis loquutionibus,& iis quę non ſimpliciter, ſed potius ſecundum quid enunciantur, puta ex hypotheſi eorum quibuſcum agitur: quod genus in Scripturis eſt frequentiſſimum, vt quum iuueni diceret Chriſtus ex hypotheſi illius, cur me vocas bonum? nemo bonus, niſi vnus Deus: item ſedere ad dexteram meam, & ſiniſtram meam, non eſt meum dare, ſed dabitur quibus paratum eſt a Patre meo. Matth.19.& 20. Minor autem propoſitio de Chriſto ſecundùm hypotheſin diſcipulorum vera eſt. Cùm enim illi neque de Chriſto, neque de aduentu, neque de regno eius, neque de die ſubuerſionis Ieroſolymorum, neque de die iudicii (quæ omnia inſcite confundebant) quicquam fermè niſi humano & carnali modo, tum adhuc cogitarent, reſpondit Chriſtus ſecundùm opinationem pręſentem ipſorũ de perſona ſua. Tu verò, Samoſatene, an nondum animaduertis inconſequentem concluſionem eſſe a dicto ſecundùm quid (vt vocant) ad dictũ ſimpliciter? Probatur iſtud cùm ex Apoſtolorum interrogationibus confuſis (vt ex Matthæo inprimis conſtat) tum ex reſponſione Chriſti, ſeſe ad confuſa illorum poſtulata accommodantis, & petitionis capita ἐν τύπῳ percurrentis. Filium ergo quum dicit, tacita latet oppoſitio inter veritatem perſonæ,& infirmam opinionem Apoſtolorum de perſona eius: quę perſona ſecundùm veritatem vnũ eſt cũ Patre, qui ſcit diem illum: ſecundùm opinionem illorum, qua tũ erãt imbu-

imbuti, non vnum, ſed aliud a Patre eſſe videbatur, nempe homo diuinus, ac non Deus: vt etiam poſtea Chriſtus eos amplius docuit, Ioan. 14. & 15. Patrē verò quum opponit, non dicit ὑποστατικῶς de perſona Patris, ſed οὐσιωδῶς de Deo Patre, Filio, & Spiritu ſancto, eſſentia illa vna creatrice omnium, vt appellatur Deut. 32. Matth. 23. Alter ſequitur argumentationis locus: *Nō vt verè de tota perſona aliqua affirmatur quod ei ex altera tantùm natura ineſt, ita verè de eodē negatur quod ipſi per alteram duntaxat naturam non ineſt: Id autem verè de natura diuina Chriſti affirmatur: Ergo falſo negatur de perſona.* Sed huius argumenti eadē planè eſt cum ſuperiore ratio. Maiorē negamus eſſe perpetuam: nam falſa eſt in oppoſitis, in figuratis, vt ſi quid dicitur ſynecdochicè; & in hypotheticis ſiue ſermonibus qui habentur ex ſuppoſitione aliena: vt antè diximus. Falſa igitur concluſio, qua Chriſtus veritas a te accuſatur falſi, & qui niſi reſipueris, a te repoſciturus eſt peccatum iſtud. Huius autem rei exempla ſunt innumera in Euangelijs: quæ pia mens commodè ex analogia fidei debet exponere, nō prauè detorquere in ſuam & aliorum perniciē. Quod itaque concludis hîc, Samoſatene, *omnē nobis intercludi viam ad humanam naturam recurrendi, vbicunq; Chriſtus aliquid de ſe negat quod ſoli vero Deo conueniat,* id vides eſſe falſiſſimū: ſi non vides, eo non vides quòd non vis: Deus quidem nobis per gratiam ſuam dedit videre, & videre velle: quod vt porrò faciat in nobis atque in ſuis omnibus ad participationem ſalutis æternæ, oramus ſanctam æternumq; adorandam Trinitatem, illum Deum vnicum, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctū: Amen.

Ioann. 1.

32 *Ioannes testatus est dicens, Conspexi Spiritum descen-
dentem quasi columbam de cælo, qui etiam mansit
super eum.*
33 *Et ego non noueram eum: sed qui misit me vt baptiza-
rem aqua, ille mihi dixerat, Super quem videris Spi-
ritum descendentem ac manentem super eum, hic est
qui baptizat Spiritu sancto.*
34 *Ego igitur vidi, & testor hunc esse Filium illum Dei.*

1. Ioann. 5.

5 *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit Iesum esse
Filium Dei?*
6 *Hic ille est qui venit per aquam & sanguinem, Iesus
Christus: non in aqua solùm, sed in aqua & sangui-
ne: & Spiritus is est qui testificatur spiritum veri-
tatem esse.*
7 *Nam tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, & Ser-
mo, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.*
8 *Et tres sunt qui testificantur in terra, Spiritus, & aqua,
& sanguis: & hi tres in vnum sunt.*

FINIS.

Pag. 4, versu 1, lege expressam. *80, 1,* subsistens.

II.

DEFENSIO CATHOLICAE DOCTRINAE

DE S. TRINITATE PERSONARVM IN VNITATE ESSENTIAE DEI, ADuerſus Samoſatenicos & alios errores ſpecie auctoritatum Scripturæ falſò adductarum in Polonia exundantes, & epiſtola quadam comprehenſos, quam abhinc paucos annos diſcipulus (vt vocant) Arianus ſcripſit præceptori orthodoxo, & diſperſit in vulgi manus.

Opera FRANCISCI IVNII *Biturigis.*



HEIDELBERGÆ,

cIↄ Iↄ LXXXXI.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO, Dn. CHRISTOPHORO MONIVVIDO DOROHOSTAISKI, INCISORI magni Ducatus Lituaniæ, Capitaneo Vuolkovviensi, &c. Domino summè obseruando Franciscus Iunius S. P.

Qvum proximo superiore annno, Illustris & magnifice Domine, libellus quidam qui Præcipuarum enumeratio causarum, &c. *inscribitur*, ἀπροφάσιστος *allatus esset, mihiq; legendus datus, perhorrueram tantopere ad lectionem illius, vt sepeliẽdum potiùs æternis tenebris obliuionis atque silentij iudicarem eum, quàm committendum, vt in lucem vnquam aut in ora hominum ampliùs dimanaret. Videbam enim sic à natura fere comparatum esse, vt plerique omnes magis ea quæ praua quàm quæ recta sunt amplectantur, & ex bonis etiam suauibusq; floribus materiam veneni potiùs vt araneæ imbibant, quàm mellis salutaris, vt apes, alimentum exsugant ad vtilitatem suã. Sed vbi contrà intellexi vestram illam Poloniam vtramque & Lituaniam fautoribus studiosissimis cultoribusq; accerrimis horrendi illius dogmatis abundare, quorum opera scriptum illud adhuc impressum exstet, prostet, defendatur, promoueatúrq;, & imperitis etiam qui aliud ab eo sentiunt obtrudatur: passim vagari, occurrere, atque obtinere illud doctrinæ genus, quo certissima arx pietatis, veritatis, fideiq; nostræ à Deo in Ecclesia traditæ funditus euertitur: non esse positam in manu nostra facultatem supprimendi illius scripti quod tot miseræ & veri inscientes animæ tanta contentione retinent, seruãt, coluntq;, etiamsi quamplurima istius mali exemplaria tolli de medio curaremus: denique hoc si fieret, fore vt istorum hominum redardescerent animi suo illo præpostero ze-*

lo cum ignorantia miserabili coniuncto, itáq; accensi vehementius, velut ex equo Troiano (quod aiunt) recoctum malorum examen, vt solent, & auctum profunderent, imperitorum verò mentes, vt quæ nullo singulari amuleto instructæ & fulcro confirmatæ essent, in eandem perniciem raperentur: equidem fui paulatim in sententiam diuersam perductus: præsertim cùm me afficeret iustissima ouiū Christi commiseratio, quæ numero (vt mihi quidem narrabatur) maximo tum sua ipsarū culpa, tum etiam forte nostrorum hominum quorumdam ignauia & inscientia (vt fit) tum denique præstigijs fallacibus istorum pereunt. Quapropter virum aliquem bonum, pium, eruditū, fortem, & accuratum inde ab eo tempore optaui exsistere, qui istam Lernam malorum, fretus ope diuina, instrumentisque ad istud tantum opus necessarijs commodè instructus, debellandam & expugnandam susciperet. Accedebat eodem quoque bonorū quorumdam iudicium: qui quum sese ante aliquod tempus dedissent in familiaritatem meam, idem suum iudicium & optatum esse non obscurè ostendebant. Suorum enim ciuium Christiana misericordia miserebat eos, & germanis Christi membris Ecclesiæq; catholicæ & orthodoxæ alumnis studebant religiosissimé. Ita factum est tandem, vt quod sanctum opus officiúmque ab alio aliquo instructiore viro desideraueram, id illi a me tamquam amico flagitarent, de cuius fide diligentiaque confirmati sibi iam satis videbantur. Ac mihi quidem pergraue illud susceptu fuit, qui tum occupationes alias quibus distinebar inuitus, tum amplitudinē illius argumenti cum animo meo expenderem. Sed postquam ex officio charitatis, qua constricti in Christo sumus, quamplurimas ex isto velut communi incendio animas eripi statui oportere, nec oblatum mihi laborem molliter refugere: præterea vbi certò intellexi eumdem qui auctor est impuri ac impij libelli istius, argumenta illa in Mosem & creationis

tionū

tionis historiam nefariè vomuisse quæ ante biennium cõfutaueram: victus monitis precibúsq; illorum, ad propugnationem diuinæ veritatis cõmunisq; salutis nostræ, adeoque vestrorum inprimis popularium (quos hoc malum infestat) ædificationem, primum illum Defensionis locum aduersus rationes humanæ mentis ἀσόφους exaraui: id omnino futurum sperans, vt Deus opt. max. tum illi instituto meo, tũ sanctis illorũ precib. votisq; benediceret. Ecce autem, sub idem tempus, quũ vixdum è manibus meis scriptum illud effugisset, duo alia scripta non dissimili consilio, sed argumento dissimili ad me fuerunt perlata: quorum vnum satis recens ortu & νεοπάτακτον est: alterum paulo vetustius, & ab auctore non obscuro profectum, cuius nomen de industria dissimulare malo planè, quàm macula nominis illius chartam inficere, aut memoria hominis (vixit enim) piorum mentes verberare. Ac huius quidem vtriusque scripti cõmune hoc consilium est vt orthodoxa fides euertatur de sancta Trinitate personarum in vnitate essentiæ Dei, quam fidem olim a Deo traditam & sanctè in Ecclesia seruatam constãter retinemus. Miscella in vtroque est cunctorum errorum accumulatio, quibus Samosatenus, Photinus, Arius, Macedonius, Sabellius, & alij id genus adorandæ Trinitatis hostes in Ecclesiam Christi exundarunt. Sed in argumentorum genere differunt, & scriptionis modo. Nam prius orthodoxam de Trinitate doctrinam oppugnat rationibus interdum, plurimùm auctoritatibus è sacra Scriptura ductis, posterius sanctißimi illius primi capitis in Euangelio Ioannis interpretationem: prius per epistolam populariter, posterius scholasticè per modum commentarij. Postquàm itaque humanas illas rationes & philosophicas ad sanctißimum illud augustißimúmq; Trinitatis mysteriũ demõstrauimus nihil attinere, ordo visus est & commoditas docendi postulare, vt priore loco epistolicum illud scriptũ excuteremus ex Dei verbo, quia

paulo plus coniunctionis habet cum antecedēte scripto quod superiore anno confutauimus: vt quicquid humana ratio cæcitatem suam tenebrasq; anteponens luci & veritati Dei in medium protulerit, id continente quodam contextu destringatur: & videāt imperitiores quique, vtut bellè rationis lumine res diuinas isti peruestigare se putent, iniquißimè tamen facere qui res spirituales, summas, ὑπερουσίους nec spiritualiter diiudicare poßint præ infirmitate naturæ, nec poßint discere præ erroribus consiliorum & cæcæ voluntatis suæ. Id autē vt assequeremur & fidem nostrā in retexendis epistolæ istius argumentis cū apud omneis, tū apud eos maximè qui aliud sentiūt probaremus, eūdē modū & ordinē, quē precedēte scripto institueramus, sequuti sumus. Nā primùm epistolæ illius verba suo loco, fide optima posuimus: deinde sermonibus eius ad syllogismū vnum aut alterū contractis breuitatis causa & euidentiæ, prout ex verbo Dei edocti sumus & sanctè docemus in Domino, ad singulas propositi & argumentationis partes respōdimus: & si qua illustrationis egere videbantur (vt inter disputādum vsuuenit frequentißimè) ad rei euidentiam plus operæ occupauimus quàm solemus. Atque hoc totum eo cōsilio feci, vt veritatem Christi Domini & Seruatoris nostri propugnarem, & saluti eorū præcipuè consulerem qui tum in medio omniū doctrinarum æstuario miserè fluctuant, tum ventis doctrinæ falsæ agitati eam pro vera amplectuntur & in fiducia inani sua conquiescunt. Ad hanc salutis viam si qui Deo auctore (vt spero) facem præferēte me cōtenderint, si auersi ab ea reuerterint, si aliud agentes aduerterint, si denique serui Dei & pastores gregis Christi aliquid fructus ex hoc labore meo industriáq; perceperint, quem suis proponant fruendum in Domino, bene erit, Deo gratias agam auctori salutis nostræ & veritatis suæ vindici potētißimo: si nō (quod gratiosè auertat Deus) saltē animum meum in omneis, pietatem in Deum, charitatem

tatem in miseras illas animas quæ veritatem non tenent ostendero, officiumq́ meum Deo, cui seruio ex animo, Ecclesiæ, & bonis omnibus in quibus reuelatur Dei veritas, probauero. Cùm autem ad sanctißimum hoc Dei opus, Illustris & magnifice Domine, animus tuus per Dei gratiam informatus feratur atq; cōtendat religiosißimè, qui apud gentes etiam exteras pietatis, zeli, constantiæq; sanctæ & inuictæ documenta præclara edidisti, causa huius orthodoxæ religionis nostræ res aduersas fortiter superans, secundis moderatè vtens, in omnibus denique re ipsa demonstrans quàm altè radices in corde T. M. egerit inculpata illa & nunquam satis laudata θεοσέβεια: qui nunc apud tuos etiam fidelißimè ὀρθοποδῶν cœlestem illam veritatem sic tueris, ornas, colis, & promoues, vt isthinc ad nos vsque fama tuæ pietatis, fidei, constantiæ, virtutis celebretur magno bonorum gaudio: officij mei esse duxi, quod tua pietas iubet, exempla virtutum in publicum ponenda flagitant, & mos receptus obtinet, vt T. Ill. M. nomen in huius mei operis limine appellarem: quod Deo sit gloriæ, Ecclesiæ commodo, & T. M. ornamento. Itaq; oro T. M. vt tenuē hunc laborē meū sibi inscriptū accipiat æquo animo, & hac mea προσφωνήσει ac velut acclamatione communi bonorum omnium laudem tua virtute meritisq́ amplißimis partā apud omneis statuas & sentias eodem labore tuo, subsidioq; piarum precum & orationum nostrarum, hac præcipuè in causa (quæ Dei causa est Patris nostri) apud gentem tuam (quam hoc tempore venti doctrinarum infestant aduersißimi) conseruatum iri. De me hoc polliceor me omni tempore, omni studio labore atque industria Ill. M. T. commodis apud Deum prece, apud homines officio & opere adlaboraturum in Domino.

SECVNDA DEFENSIO

CATHOLICAE DOCTRINAE DE S. TRINITATE PERSONARVM IN VNITATE ESSENTIÆ DEI.

SVPERIORE libro mysterium illud augustissimum sanctæ & adorandæ Trinitatis a rationibus humanis defendentes, hæc duo capita summatim docuimus: neq; a natura Dei alienam esse hanc sententiam nostram, quam freti veritate & Dei præsidio defendimus, neq; in hac rerum natura quicquam existere, quo Trinitas illa personarum in veritate essentiæ conuelli possit, vt quæ res omneis infinitè transcendat per omnia. Exposita igitur ratione documentorum illorum quæ ex natura ad labefactandam veritatem doctrinæ huius depromuntur, euictaque eorum vanitate, alter iam nobis assurgit labor, vt de locis Scripturæ videamus: quorum alios Samosateniani solent obducere vt diuinum dogma de Trinitate oppugnent vnitatis essentialis argumento, alios e manibus nostris tentant eripere suarum interpretationum fuco, vt illudant imperitorum mentibus. Vtrumq; enim opus est, prout a nobis videmus postulari: tum arma de manibus illorum extorqueri quibus ad suam & aliorum perniciem abutuntur miserè, tum adimi eis & discuti præstigias interpretationum. Atq; hoc quidem consilium illi cùm varijs & multiplicibus scriptis iam olim aggressi sunt, tum hoc tempore maximè, subiectis & obtrusis in manus multorum epistolis & libellis clanculùm perfecerunt. Cùm autem Epistolarum istarum vnam, de qua maximè exultant atq; gloriantur, sub idem tempus quo priorem libellum conscripseram

vir bonus mihi exhibuerit, & alij quoq; libelli eodem argumento ad me ſint perlati, quibus ſimplex in Polonia, Lituania, Tranſsiluania, alijsq; locis vulgus plurimùm faſcinatur, aut certè in dubio hæret, & paulo momento huc illuc impellitur: viſum eſt hac ſecunda opera ad Dei gloriam, commune Eccleſiæ bonum, & fratrum laborantium ædificationem, ſalutemque omnium, alterum iſtud opuſculum eodem quaſi ſpiritu contexere, & vanitatem interpretationum quas illi adferunt, quàm ſimpliciſſimè fieri a nobis poterit, demonſtrare. Illius verò Epiſtolæ etſi non præfatio ſolùm, ſed pars quoque non parua in ijs rebus conſumitur quæ ad veritatem doctrinæ confirmandam aut etiam infirmandam nihil per ſe faciũt: placuit tamen ſingula quæ in ea ſunt exprimere bona fide, ne quid a me diſſimulatum aut hominum noſtrorum cauſa, aut odio ſui ipſorum Samoſateniani criminẽtur. Itaq; τὰ ἠθικὰ vno aut altero verbo, quum opus videbitur, ſobriè deſtringemus: τὰ δογματικὰ accuratiore opera induſtriáq; refellemus. Nam quòd illi in ſuis ſcriptis ſolent triumphare de mundi huius abnegatione, de ſingulari Dei gratia cum ipſis cõmunicata, de noſtrorũ cæcitate, de vitijs indignis, quibus (proh dolor) Eccleſia Dei plus ſatis hoc tempore, vt quum maximè, circumfluit: quòd deniq; de his omnibus ſic agunt & ſeſe ipſi venditant, vt ſi penes ipſos veritas, charitas, ſanctitas, religio ipſa rediuiua exſiſteret, a nobis depoſita, exſtincta, & ſepulta eſſet: ſemper equidem gloriationem iſtam ſum relicturus illis, ac lubens, vt glorier in Domino: pios verò omneis, qui de veritate diuina nobiſcum ſentiunt, confido adlaboraturos diligentiſsimè, vt vitam ſuam inſtituant ſecundum Deum, ne propter ipſos blaſphemetur nomen illius: & perfacilè

iſtis

istis permissuros, vt suam hîc gloriolam quam tantopere affectant metant, dum nos optatissimum illum exspectamus diem quo vita nostra patefiet cum Christo in gloria. Hæc igitur omnia, & si qua sunt eiusmodi ad personas, non ad rem doctrinámque fidei pertinentia, faciemus missa plurimùm: & de rebus simpliciter, quemadmodum fuerunt in ea epistola comprehensæ, videbimus, easque ex verbo veritatis, quod falsò sibi in hac causa Samosateniani & Ariani arrogant, expendemus.

EPISTOLA

Discipuli Samosateni ad præceptorem Orthodoxum. 1.

PAVCIS, *mi præceptor, causas, cur potius priuatim domi quàm in istis impijs aulis viuere malim (qua etiam in re totum me submittam iudicio tuo) tibi aperiam. Nam Deus optimus immensa sua misericordia oculos intereà aperuit mihi, & ostendit quàm lubrico in loco fuerim constitutus: maximè quum praui istius mundi cupiditatibus indulgerem, & lata via ad exitium (vt nosti) contenderem, immemor omnium comminationum eius: quibus ille in omneis ita delinquentes, horrendas verbo suo pœnas denunciat, vt contrà qui rectè faciunt & custodiunt mandata ipsius, ijs è diuerso præmia æterna pollicetur. Horum ergo immemor non perpendebam apud me verum finem propter quem a Deo fueram conditus: non (prout tum putabam) fuisse conditum, vt me voluptatibus darem, aut hanc mortalem vitam hîc pro arbitrio degerem, sed vt incederem secundum mandata eius, & in omnibus ei obsequerer. His ego in rebus quamuis securè in aurem vtramq; dormirem; voce tamen diuina, qua ille totum mundum appellat, excitatus, Quam-*

primùm audieritis vocem meam , nolite obdurare corda vestra: horrendum enim est incidere in manus Dei viuentis: hac inquam voce illius quasi ex somno excitatus & perterrefactus, animaduerti me hucusq; sine Deo, sine fide, sine vlla conscientia, vt brutam pecudem, hîc vitam transegisse, maioremq; curam rerum terrestium quàm cœlestium & æternarum, gratiæ deniq; humanæ & beneuolentiæ captandæ quàm retinendæ diuinæ habuisse. Verùm Dominus ille meus qui omnino me noluit perire in ista dementia mea, commonefecit me per doctrinam puram Euangelij de Filio suo: cui contradicere me & recalcitrare diutius nefas esse ducens, iugo eius me totum submisi. Spretis itaq; & neglectis omnibus ijs quæ corpus & animum titillabant stimulabantq; meum, perpendens apud me perbreue huius vitæ curriculum, aliam viam hac ipsa vita multo certiorem malui deligere. Non enim qui dicunt, Domine Domine, nónne in nomine tuo, &c. sed qui audiunt & faciunt voluntatem Patris cœlestis, ij hæreditatem regni cœlorum obtinebunt. Altera verò ex parte, perterrefactus terrore cruciatuum qui impijs sunt præparati, cœpi diligentiùs inquirere de voluntate Dei: qui eam mihi indigno satis abundanter in conscientia mea demonstrauit, & ostendit mihi nullam me adhuc cognitionem eius, ac ne fundamentum quidem vllum vel scintillulam aliquam veræ fidei habuisse: immò sine vero Deo vixisse me, & tantopere fallacem hunc mundum adamauisse, vt æterna eius mandata floccifecerim, nihilq; de illis fuerim sollicitus, idq; adeò vt me ad veram resipiscentiam testimonia Spiritus sancti non possent commouere. Quæ res quàm per se horrenda sit atq; terribilis, homo quilibet (qui modo in se micam timoris Dei habeat) potest animaduertere.

ORTHODOXVS.

SI mihi tecum solummodò, Samosatene aut Ariane, quisquis es (nam de nomine non admodum laboro)

boro) res esset, aliam omnino viam putarem ineundam esse, & priuatim animum tum ad meliorem frugem & resipiscentiam dignam Christiano homine reuocandum, vt hac charitatis via meum erga te studium & charitatem verè Christianam, qua ad scribendum adducor, ostenderem. Sed quia epistolam inscribens præceptori tuo, tam longè latéq; differri eam & spargi curauisti, vt in Polonia vtraque (vnde huc allata est) exempla volitent quamplurima, id te in bonam partem opus est accipere, si hoc meo facto veritati simul & charitati cupio consulere. Veritati consulemus, demonstrato & discusso falso quod palàm sparsum est: charitati verò, procurata salute communi, & tuo dissimulato nomine, cuius memoriam esse malumus benedictam, nisi proteruè ipse voles obsistere.

Si ex breuitate exordij de simplicitate mentis tuæ licet concludere, quis te non statuat esse omnium hominum quos hæc nostra fert ætas simplicissimum? sin autem ex veritate, mihi quidem videris a simplicitate illa quàm longissimè abscedere. Nam neque *priuatam domi vitam agis*, neque te (quod sermone dicis) *totum submittis iudicio præceptoris tui*. Qui enim publicè docet, ecquî agat vitam priuatam domi? Qui in manus omnium, quàm longè latéq; vtraque Polonia patet, submittit hanc ipsam epistolam, & imperitis insultans dissseminat, ecquî se totum, totum inquam, submittit iudicio vnius præceptoris sui? De priore, fortasse futura est in promptu excusatio, te priuatim egisse domi quo tempore hanc epistolam dedisti ad præceptorem tuum: quod facilè credo. Et si vtrùm verum sit, necne, aliorum iudicium esto. At nullo certè mantili maculam illam absterfurus es, quòd quam rem modestè iudicio vnius videris submittere, eam sibi dem

tempus transmittis in manus omnium, sine iudicij illius cui te submittere fingis, exspectatione. Nihil dicam de eo quòd *aulas* appellas *impias*: nam mihi quidem vnquam non placuit suscipere aularum prætoriorúmque patrocinium. Sed tu videris. Misso exordio ad narrationem, quam de te prædicas, veniamus.

Animaduerto, Samosatene, duo de te à te prædicari, abdicationem anteactæ vitæ ac infidelitatis tuæ, & præsentem sensum voluntatis Dei cui obsequaris. Vtrumque factum bene, si factum: est enim graue, múltumque laudabile, si verum, si sanctum. Nam alioquin putaresne hominem esse quemquam adeo hebetem, adeo dementem, qui eadem verba non occinat, quum mutationem institutæ vitæ fideique suæ cupit defendere? Hæc communis est defensio omnium qui vitam in vtramuis partem mutauerint, bonam vel malam: hæc communia tela quibus alios appetunt. Alij ergo, si sapiunt, non verbis habent fidem, sed prudentem rerum probationem & explorationem adhibent: si non sapiunt, quis homo seruet hominem, qui nec sibi, nec alijs didicit sapere? Ne ergo desipiamus, Samosatene, rogo sinas bona pace tua excuti a nobis duo illa breuia dicta quæ antè posuimus, si verum est, si sanctũ, quod dicis. Ac verũ quidem esse quod de abdicatione adfers anteactæ vitæ, facile crediderim: dicenti credo: maxime si in aulis impijs diu versatus es, & abreptus malorum omnium, quæ regnum in eis obtinent, consuetudine. Hæc qui discunt perhorrescere, *non procul absunt a regno Dei*, vt verbis vtamur Christi: sed nondũ tamẽ in eo regno sunt, nisi aliud pręterea accesserit. Video quid dicas, inquies: nempe quod dicebat Christus, *abi, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Ne hoc quidem satis. Clausula, clausula illa postrema opus

opus est, *& sequere me*: sine qua non recta itur, sed ab errore vno in alterum deflectitur. Posteriores autem errores plurimùm eo sunt grauiores, quo magis qui errant eos a se videri bellissime in vita anteacta putant. Errauisse te antè confiteris: factum benè: omnes enim oues errantes sumus. Sed nisi Christum sequeris, si quid aliud pro Christo sequeris, adhuc erras, & erras grauiùs. Sequor, inquies. Si sequeris, duobus modis sequaris necesse est, fide, & obsequio fidei. De vtroq; videamus. Is Christũ fide sequitur, qui abdicata ignorãtia, errore, infidelitate sua, integrè (id autem est, in fide & bona conscientia) Christo se docenti credit, & doctrinam eius certam certa persuasione fidei amplectitur. Certam dico, quam Spiritu & verbo suo reuelauit Dominus. Nam quicquid in causa salutis præter hanc reuelationem est, id non doctrina certa, sed opinio incerta, commentum incertum est. In hac igitur affirmatione tua de te, hæc duo quærenda sunt: vnum, in præcedente sententia tua vtrum fuerit, necne, infidelitatis error: alterũ, in hac quam modò tueris, vtrùm certa doctrina Christi compareat. In priore si dogma illud de Trinitate personarum in vnitate essentiæ Dei, quem colimus, fidem non veram & errorem putas; pro eo quod non errabas, erras, & certæ illius doctrinæ luce deficeris: in posteriore, itidem erras, & eodem argumenro. Vtrumque negas: at nos affirmamus: & quia opinionis tuæ firmamenta posteà accumulas, probationem dicti huius nostri, refellendo adferemus.

Is Christum sequitur obsequio fidei, qui cor purificatus fide, vitam suam instituit eadem fide ex præscripto Christi Domini & imperatoris nostri. Illam fidem fuisse negas, hanc adseueras esse quam nunc doces: nos contrà. Ex probationum ergo tuarum qualitate re-

cognoſcemus deinceps tum narrationis tuæ veritatem, quam effers magnificè, tum facti tui ſanctimoniam, remque habere ſe aliter quàm dicis, ex definitione huius controuerſię oſtendemus, volente Domino. Alioqui credo ego te, Samoſatene, quod hîc dicis de rebus tuis & conſtitutione tua, ita dicere vt ſentis: ſed alius eſt ſenſus iudicij, alius morbi. Nos autẽ ex animo intimisque præcordijs, tui ipſius & morbi tui miſeret: qua miſeria affectus patiéris hebetatum & deprauatum ſenſum tuum demonſtrari a nobis ſecundùm Deum, & a Deo (ſperamus) corrigi: & vtrinque exerceri erga te in hac miſeria tua ſalutarem miſericordiam. Faxit ille miſerationum Pater, vt animum aduertas ſeriò ad hanc veritatem ipſius, & alij exemplo tuo: vt tanquam verè diſcipuli Chriſti cognoſcatis veritatem, voſque liberos efficiat veritas. Etſi autem cum in narratione hac, tum in ſequente diſputatione tota multi ſermones incidunt, quos meritò debemus improbare, & poſſumus refellere: dabimus tamen operam in hac ſcriptione, vt minutias iſtas ſingulas (quoad eius fieri poteſt) tranſſiliamus, & in capite ſolùm controuerſiæ recognoſcendo occupemur, ne morbo aliquo potius animi, in hominem odio, in res curioſitate, in ſcriptum faſtidio putemur abripi, quàm certo iudicio & compaſſione miſeriæ cum ægrotantibus agere.

SAMOSATENVS. 2

SECVNDO vnicum illud & præcipuum fidei meæ fundamentum præ omnibus alijs agnoui mihi ſine dubitatione vlla amplectendum eſſe: non plus hominum opinionibus quàm doctrinæ Prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum tribui oportere: maximè autem cum de illo trino Deo, ab

Anti-

Antichristo confičto, nusquam, ac ne minima quidem in sacris literis mentio facta sit. Quòd si tibi videtur secus, facilè me submittam iudicio tuo. Vnum tamen hoc excipio, vt omni seposito odio, quod Satanas in doctrinam Christi & Apostolorum excitare solet, æquum te mihi præbeas iudicem, & quæ proferam, fideli aure animi excipias. Nec dubito, si diuinum auxilium imploraueris, quin facilè in hoc dogmate præstigias sis animaduersurus: nempe, hoc figmentum cùm ab hominibus ex Antichristi semine profectis dimanasse, nec a pura doctrina duxisse suam originem, tum verò a Concilijs Constantinopolitano, Nicæno, alijsq́; initium suum habuisse. Deinde pleraq́; vetustißimorum Patrum scripta ipsam euertunt Trinitatem: vtpote quæ prius auctoritatem suam in Ecclesia non poterat obtinere, quàm Euangelij puritas laborare cœpisset vehementiùs. Denique cordatus quisquis est per se animaduertit hoc dogma Antichristi (Trinitatis dico) omnino esse doctrinæ Christi, Apostolorum Prophetarumq́; aduersum, quorum tamen ore Deus ipse loquutus est. Cuius rei, si placet, pauca hic producam exempla, vt eo modo falsitas doctrinæ istius fiat manifesta.

ORTHODOXVS.

COGITANS ista, audiens, legens, animo totus perhorresco. Sed memor æquanimitatis illius qua nos erga ægrotantem animam tuam vsuros spopōdimus, dissimulato affectu animi nostri, rei veritatem explicabimus, vt tibi medicina sit a Deo salutaris.

Ac primùm quidem, Samosatene, non possum non probare & laudare illud, quod vocas *fidei tuæ fundamentum*. De eo optimè sanè inter nos conuenit, si quidem tibi conuenit cum hoc fundamento, *non plus hominum opinionibus quàm doctrinæ Christi, Prophetica*

& Apostolicæ tribui oportere. Amplius dico,& tu (opinor) suffragaberis, in cognitione vtili rerum diuinarum nihil hominum opinionibus, omnia soli Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ (hæc autem est Christi) tribui oportere. Constat enim, æternúmq; constabit illud Pauli dictum, Etiamsi nos, aut Angelus e cœlo euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto. Deinde verò& illud probo, quòd doctrinę Christi, Propheticæ, & Apostolicæ oppositionem instituis cum hominum opinionibus. Sic enim apertè id nobis videris & vltrò dare, quod athei quamplurimi in controuersiam vocant: nempe doctrinam Christi in scriptis Prophetarum & Apostolorum comprehensam non humanam dici, sed potius diuinam haberi agnosciq; oportere. Quo nomine & Deo gratias ago, quòd persuasionem hāc animo tuo indiderit, & tibi ex animo gratulor, si modo quod vna manu das (vt aiunt) altera non adimas. Quid? me hoc facere? inquies. Ego verò vt de te hoc affirmem, absit: neque ita sum in iudicando inconsideratus, neque in pronunciando præceps, vt tibi hoc, siquidem peccatum alienum est a te, velim adscribere. Sed quia vidi & audiui nonnullos ex eodem hominum genere tam bellè simulantes, vt doctrinam quidem Christi Propheticam, & Apostolicam esse diuinam plenis buccis prædicarent, hanc verò scripturam, quam Ecclesiæ Christus, Prophetæ, & Apostoli per manus tradiderunt, quámque vocamus canonicam, hanc ergo negarent eam ipsam doctrinam esse: propterea cautionem hanc principio visum est addere, non animo criminandi (a quo absum quàm longissime) sed optimo studio, te ab ijs impuris hominibus, qui adhuc in corpore vestro latēt, discernendi. Quam cautionem, si vir

Galat. 1.

bonus

bonus es, certè probabis: si non, eo ipso latebras ostendes, ac non simplicitatem Christi, a te procurari. Sed hæc ita accipio, mihi crede, hoc dici abs te in meliorem partem: propterea deinceps tecum sic statui agere, vt cum eo homine qui Scripturam sacram communiter nobiscum, velut fundamentum fidei suæ (quod ais) verè profitetur sese agnoscere.

Iam igitur (vt ad rem ipsam aggrediar) principio sermonis tui sic mihi visus es argumentari:

Non plus oportet hominum opinionibus, quàm doctrinæ Christi, Propheticæ, Apostolicæq́ tribuere: In hac autem, id est, in Scripturis sacris, ne minima quidem est vsquam Trinitatis mentio: Doctrinæ ergo de Trinitate non oportet quicquam tribuere. Si putarem te, Samosatene, a iusta differendi & docendi via aut propter certum animi institutum, aut propter inscientiam abhorrere, non essem dicturus ea quæ iam adferre in medium statui, sed tecum agerem crassè, ruditer, populariter. Cùm autem ipse alios cupias instituere, tentes, audeas, profitearis: non feres indignè, si tanquam cum homine alios erudiente egero tecum, vt ita dicam, λογικώτερον. Tuam igitur istam argumentationem video tribus modis esse vitiosam: itaque si ad formam respexeris, nihil: si ad materiam, falsum concludere. Primum vitium est in forma ipsius, vt vocant, quod ex puris negantibus videris bellè tibi argumentationem conficere. ἀτέχνως, ἀλογίστως. Quis enim sic argumentatur? obsecro. Secundum vitium est, maioris tuæ propositionis imperfectio. Nam siue negatiuam oppositionem institueris, siue affirmatiuam, vtrumuis egeris, tamen imperfecta est propositio. Neque enim hoc dictum est satis, *non plus hominum opinionibus quàm doctrinæ Christi tribuendum esse:*

neque illud satis, si dixeris, *plus tribuendum esse doctrinæ Christi quàm hominum opinionibus.* Cur autem? primùm quia rerum toto genere differentium nulla bene institui potest oppositio aut comparatio ἀνάλογος, id est, conueniens & proportionata, vt loquuntur scholæ. quæ autem differentia maior, quàm doctrinæ Dei & opinionum humanarum, potest exsistere? deinde quia de materia diuina agitur, quam humana opinio non potest attingere, Natura & Scriptura teste.

Ioan. 6. Natura: quia scientiam diuinam aut Deum docere necesse est, aut diuinum hominem, quem Christus vocat θεοδίδακτον, vt in antecedente Defensione ex Aristotele ipso in tuum illum philosophantem probauimus.

1. Cor. 2. Scriptura: quia *vt nemo hominum nouit ea quæ sunt hominis, præterquàm Spiritus hominis qui est in ipso: ita etiam ea quæ sunt Dei nemo nouit nisi Spiritus Dei.* Itaque vt demus plus alijs in rebus doctrinæ Christi, Propheticæ, & Apostolicæ tribui oportere quàm hominum opinionibus: in diuinis tamen rebus illud ipsum minimè sufficit, aut satisfacit iustę pietatis legi. Soli enim, soli inquam doctrinæ Christi Propheticæ & Apostolicæ in diuinis rebus omnia tribui & ferri accepta necesse est, opiniones hominum hinc omnino explodendæ. Quòd si hanc partem, vt adfertur a me, placet accipere, vide quàm tibi sim futurus facilis. Refundas per me licet illam argumentationem tuam: non impediam, quominùs hanc eamdem propositionem adhibeas institutæ argumentationi tuæ, hoc modo: *In rebus diuinis omnia soli doctrinæ Christi, Propheticæ, & Apostolicæ oportet tribuere: Doctrina de Trinitate non est doctrina Christi Prophetica & Apostolica: Ergo doctrinæ de Trinitate nihil oportet tribuere.* Hîc iam quidem purgata fuerit maior propositio tua: sed vitiosa est

sa est assumtio, quia falsum dicit; ac proinde falsum ex falso concluditur. Dices fortasse, probationem mihi incumbere: agnosco id quidem. Sed ne me fortè in hac quæstione tergiuersari putes, optionem tibi & tuis daturus sum, vtrùm ex vetere, an ex Nouo testamento velis probationem dari. Id enim optima fide confirmare ausim, vix vllam paginam, præterquàm in narrationibus quibusdam historicis, deprehendi posse, vbi valde luculenta sanctæ illius & adorandæ Trinitatis non exstent testimonia. En tibi apud Mosem, *In principio creauit Elohim*, id est, Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus: pòst, *& Spiritus Elohim*, id est, Dei Patris & Filij, *incubabat aquis*. Deinde, *faciamus hominem ad imaginem nostram, secundùm nostram similitudinem*, &c. Posteà, *ecce homo tanquã vnus ex nobis*, & alia innumera, quæ mox de sancta Trinitate personarum dici demonstrabimus. De nouo Testamento æquè multa & luculentiora, si voles, spondeo. Quid dico, si voles? Spondeo verò, etiamsi nolis & nolit cœtus tuus, me tamen breui (annuente & adspirante Domino) effecturum, vt comparata exstent luculentissima grauissimáque sanctæ huius doctrinæ in corpus vnum testimonia, quibus freti ex certissima Dei veritate negamus assumtionem & totam argumentationem tuam.

Gen. 1.

Gen. 3.

Illam verò præfidentem propositionem tuam optimè videris tibi in tua hac Epistola tribus argumentis constabiliuisse: quorum hæc summa est: *doctrinam de Trinitate a semine Antichristi, ab hominibus, a Concilijs esse: a priscis Patribus euerti: & ipsi Scripturæ sacræ Prophetarum & Apostolorum aduersari.* Quæ omnia si vera essent, væ docentibus doctrinam illam Trinitatis, proclamarem vltrò: sin falsa, (vt sunt) eripe te, quæso, ab illa maledictione quam in effractores suæ veritatis

pronunciat Deus. Mitto quæ ad hanc rem assequendã ῥητορικῶς adfers tuis literis, vt seponatur odium, æquitas animi adhibeatur, inuocetur Deus. Speciosa quidem monita & bona, sed quæ prudenter in tantis rebus vtenda sunt, nec apud omneis, vt apud tuum præceptorem facis (quem odio vacantem, quem æquanimum, quem Dei timentem noueras) occupanda. Nos doctrinam falsam, vt tua est, Samosatene, odimus, non hominem falsum & errantem, cuius nos in veritate miseret coram Domino: æquo animo errantem, vt morbo animi iudiciique laborantem ferimus, expectantes si quando eum Dominus det resipiscere; et si erratum eius quo grauius, eo ampliùs exsecramur: denique oramus religiosè Deum & Patrem luminis, vt tollat malum, hominem seruet liberétque a malo. Quid magis alienum ab odio & perturbatione animi desideras? quam aliam æquanimitatem adferri iubes? quod genus orationis putas magis præceptis Dei, pietati, & charitati, quam a nobis oportet coli, respondere? Hac nos charitate, hoc animo, his precibus expugnamus errorem tuũ: & salutem tuam, dum adhuc es in via, propugnamus. Ad probationes ordine transeo. Doctrinam de Trinitate contendis *non esse a Deo; cùm a semine Antichristi, ab hominibus, atque a Concilijs profecta sit.* Nos eam contrà asseueramus, a Deo esse, ac non ab Antichristi semine, neque ab hominibus, neque Concilijs. Prius illud quod affirmamus, iam modò demonstrauimus, & certo ac singulari opere, si Deus dabit, ex puris putis Scripturæ locis euincemus. Posterius tuum, in quo te delectat valde ῥητορεύειν, ex priore falsum esse quis homo non videt? “Est a Deo, non ergo ab Antichristo, aut a semine illius mediatè aut immediatè, vt loquuntur vulgo:

est

est a Deo, non ergo ab hominibus, non a priuata hominum auctoritate vlla, non a publica, non a ciuili, non ab Ecclesiastica, ne Conciliorum quidem illorum quæ ad auctoritatem ampliorem Oecumenica appellãtur.

Immo verò, inquis, *a Concilio Constantinopolitano est, Nicano, alijs: inde sumsit initium suum.* Falsum: nam quod ante hæc Concilia fuit in Ecclesia receptum, id non potest ab ijsdem sumsisse initium suum. Antè fuit autem doctrina Trinitatis, quam Ecclesiæ nostræ profitentur: quî ergo principium suum ab eis duxisse potest? Antè fuisse, ex Scripturis sacris iã olim probatũ est satis, & a nobis suo loco adhuc probabitur, volente Domino: ex antiquioribus Patribus probare, facillimum. De multis itaque paucos locos adferam, idque ex ijs auctoribus & libris, quorum non fuit controuersa vnquam apud bonos auctoritas, & quos ante memoriam Conciliorum illorum constat exstitisse.

Iustinus Martyr Apologia ad Antoninum, *Profitemur*, inquit, *nos talium qui habentur Deorum expertes esse, & alienos a dijs: sed non a verissimo illo Deo Patre iustitiæ, & castitatis, & virtutum aliarum. Verùm hunc ipsum, & Filium qui ab eo venit, & Spiritum propheticum colimus & adoramus cum ratione & veritate venerantes*, &c. Et libro de recta fidei explicatione inquit, *Vnus reuera est huius vniuersitatis Deus, qui in Patre, Filio, & Spiritu sancto agnoscitur. Nam cùm ex substãtia sua Pater Filium genuerit, atque ex eadem Spiritum produxerit, iure optimo quæ vnam habent eamdémque essentiam vna atque eadem dignantur diuinitate.* Vnam Dei patris, Filij, & Spirtus sancti essentiam, vnam diuinitatem audis.

Athenagoras in Apologia ad Antoninum, *Quis non obmutescat, si Atheos vocari nos audiat, qui dicimus Deum Patrem, & Filium Deum, & Spiritum sanctum Deum.*

illorum & in vnione virtutem, & in ordine distinctionem demonstrantes? Et longè post illa verba, *vt æquali honore & potestate cognoscamus Deum, & Verbum eius, & Spiritum sanctum.* Quæ verba confessionem habent sanctæ Trinitatis in vnitate essentiæ Dei euidentissimam.

Irenæus libro 1. aduersus hæreses, cap. 2. *Ecclesia,* inquit, *per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis & a discipulis eorum accepit eam fidem quæ est in vnum Deum, Patrem omnipotentem qui fecit cælum, maria, & omnia quæ in eis sunt, & in vnum Christum Iesum Filium Dei incarnatum pro salute nostra, & in Spiritum sanctum, qui per Prophetas prædicauit dispositiones Dei, & aduentus, & eam quæ est ex virgine generationem,* &c. Nam illa verba, *vnum Deum,* communiter ad sequentia quoque membra, quamuis distincta, pertinere ostendit idem Irenæus, tum ab eo quòd fidem Ecclesiæ tradit esse in Filium Dei & in Spiritum sanctum æquè ac in Patrem, tum verò luculentissimè ex aliorum locorum comparatione, vt cap. 1. eiusdem libri: itémque lib. 3. cap. 6. quum ait, *Neque Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli eum qui non est Deus, definitiuè & absolutè Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus: neque Dominum appellassent aliquem ex persona sua, nisi qui dominetur omnium Deum Patrem & Filium eius.* Et capite 12. *Annunciauerunt Apostoli hunc esse Christum Filium Dei æternum eorum Regem.* Sic etiam cap. 16. & 20. & alibi. Clemens Alexandrinus libro 1. Pædagogi, cap. 6. *Annon vel inuiti fatebuntur, verbum perfectum ex perfecto Patre natum?* & in fine libri 3. euidentissimè: *Laudemus vnum Patrem & Filium vnà cum sancto Spiritu, qui vnus est omnia, in quo omnia, per quem omnia, qui est vndequaque bonus, vndequaque pulcher, vndequaque sapiens, vndequaque iustus,*

cui

cui gloria nunc & in secula seculorum. Amen. Origenes lib. 7. in epistolam ad Rom. *Miror*, inquit, *quomodo quidam legentes quòd Apostolus dicit, vnus Deus Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, negent Filium Dei Deum debere profiteri, ne duos Deos dicere videantur. Et quid de hoc loco Apostoli facient, in quo apertè Christus super omnia Deus esse perscribitur? Sed non aduertunt qui hæc ita sentiunt, quòd sicut Dominũ Iesum Christum nõ ita vnum esse dominum dixit vt ex hoc Deus Pater non esse dominus dicatur, ita etiam Deũ Patrem non ita vnum Deũ esse dixit vt Dei filius non credatur Deus. Vnus autem vterque est Deus.* Iterum aliquãto pòst, *Qui autem est super omnes, supra se neminem habet: non enim post Patrem Filius, sed de Patre.* Tandem verò subijcit, *manifestò ostenditur natura Trinitatis & substantia vna, quæ est super omnia.* Gregorius Neocæsariensis, *Trinitas perfecta*, inquit, *maiestate, æternitate, & regno minimè diuiditur.* Theognosti, & vtriusque Dionysij, Romani puta & Alexandrini, addo etiã Origenis verba euidentissima quisquis volet cognoscere, is apud Athanasium plurima cõperturus est in epistola quæ est de sententia Dionysij Alexandrini, & in altera epistola de decretis Nicænæ Synodi contra hæresin Arianam: & apud Eusebium libro 7. histor. Eccles. cap. 6. exstat non obscura eiusdem Alexandrini Dionysij de hac re testificatio. Quid de Tertulliano & Cypriano dicam? nam & horum fides iamdiu ante Nicænę Synodi tempora perscripta fuit, qua Deum constanter essentiam vnam, treis personas in vnitate essentiæ fatebantur. Quid de Eusebio? cuius verba pòst in segmentum 25. sumus relaturi. Sed iam horum Patrum aliorúmque testimonia in hac re omnino consonantia, studio breuitatis missuri sumus. His ita constitutis, præ-

fidentem iſtam tuam, Samoſatene, audaciam mirari ſatis non poſſum: qui non dubites affirmare, ſanctum illud dogma, quod ex Scriptura credimus & ex animo profitemur, quódque ex eadem Scriptura creditum a Patribus orthodoxis fuiſſe ſcripta ſingulorũ clamant, illud inquam a Concilijs Conſtantinopolitano, Nicæno, aliíſque ſuum initium ſumſiſſe. Quam rem vel vnico Theodoriti loco (vt alia taceam) facile eſt confutare, dicentis, *Nam ij veteres Epiſcopi erãt tum magnæ Romæ, tum etiam ciuitatis noſtræ, ante annos fermè centum triginta, qui criminati ſunt eos a quibus Filius factura dicebatur, ac non conſubſtantialis Patri. Atque hoc agnouit Euſebius qui Epiſcopus fuit Cæſareæ. Is quamquam deflexerat antè ad Arianam hæreſin, poſteà tamen Concilio Nicæno ſubſcripſit, & ſuæ Eccleſiæ rem per literas confirmauit dicens, Comperimus a quibuſdam veteribus Epiſcopis ſcriptoribúſque diſertis & illuſtribus de Patris & Filij deitate nomen* ὁμοέσιον, *ſiue conſubſtantiale vſurpatum eſſe.*

Lib. 1. hiſt. Eccleſ. c. 8.

Quòd ſi hæc tamdiu, Samoſatene, contrà quàm dicis, ante Nicænum Concilium inualuerunt in Eccleſia Dei: nemo certè, niſi qui planè ſit ἀνήςωρ, hiſtoriæ expers, aut malitioſus, infitiabitur eadem quoq; diu ante Conſtantinopolitanum Concilium obtinuiſſe, cùm huic Nicænum anteceſſerit, ampliúſq; ab hoc doctrina Nicænæ Synodi fuerit illuſtrata: prout tum adiectione facta ad Symbolum Nicænæ illius Synodi, tum verbis ipſis Patrum qui interfuerunt Conſtantinopoli oſtenditur. *Nos enim,* aiunt illi, *ſiue perſecutiones afflictionéſque, ſiue Imperatorum minas magiſtratuúmque feritatem, ſiue etiam aliam tentationem quampiam & periculum ab hæreticis ſuſtinuimus, pro Euangelica fide Nicææ apud Bithynos a ccc.xviij. Patribus confirmata, quicquid id fuit, pertulimus. Eam enim & nobis; & vobis, adeóq; alijs omnibus,*

In epiſt. ad Concil. Rom.

omnibus, qui veræ fidei verbum non peruertunt, simul placere necesse est: quippe quæ antiquissima sit & baptismi consectaria, credere nos docens in nomen Patris & Filij & Spiritus sancti: videlicet vt diuinitas & potestas vna Patris & Filij & Spiritus sancti, & eiusdem honoris dignitas, & coæternum regnum in tribus perfectis subsistentijs, siue tribus perfectis personis credatur, &c. Quòd itaque Constantinopolitanum prius quàm Nicænum Concilium obijcis, vtrum sit ἀνιστορησίας, an verò consilij certi, tu videris: omnino tamen factum est pręposterū, & ab hoc loco alienissimum. Et hoc tibi, mi homo, semen Antichristi, figmentum Antichristi, nouitius Cōciliorum partus, impura doctrina futurum est, quod Christus, Prophetæ, Apostoli, Euangelistæ tradiderunt, quod viri Apostolici ab illis hauserunt, crediderunt, quod denique Orthodoxi Patres, & prisca Ecclesia ante horum Conciliorum tempora fide perceptum, instituto vitæ, perpessionibus, sanguine, morte confirmarunt, literarúmque monimentis in posteritatē obsignarunt? Bona verba, quęso. Secunda quā adfers ratio eodem telo confixa atque deiecta est. Dicis, *Quæ doctrina prius auctoritatem suam nō potuit obtinere in Ecclesia, quàm Euangelij puritas laborare cœpisset vehementiùs, ea ipsa vetustissimorū Patrum scriptis euertitur: Eiusmodi est doctrina Trinitatis: Ergo euertitur illis auctoribus.*

Maiorem tuam vltrò concedimus. Etsi aliqua latet æquiuocatio (vt loquuntur) in euertendi verbo. Nam aliæ doctrinæ siue dogmata euertuntur expressis verbis, aliæ vel solo Patrum orthodoxorum silentio euersæ intelliguntur. Horum autē neutrum de hac doctrina sacra, quam profitemur, verè affirmari potest: quā Christus, Prophetæ, Apostoli, & Euangelistæ docuerunt, quam Ecclesia Apostolica credidit & tradidit, &

quam ſancti quique & orthodoxi Patres conſtantiſſimè expoſuerunt, & ſine diſſimulatione aut tergiuerſatione vlla teſtificati ſunt. Vel vnum de ſanctis illis & orthodoxis Patribus, Samoſatene, producas velim, qui Apoſtolos proximè ſequuti ſunt; ſi quem fortè noſti qui ſanctum hoc Trinitatis diuinæ myſterium diſſimulauerit eo quòd non crederet ipſum, ac non apertè oſtenderit ſe credere, fortitérque propugnauerit hoc communis noſtrę religionis caput. Secunda verò propoſitio tua negatur planè, quia cum vero pugnat, vt antè oſtendimus. Nam hæc doctrina inde a principio auctoritatem ſuam obtinuit in Eccleſia Dei: Prophetæ, Apoſtoli, Euangeliſtæ, Patres eam Eccleſię tradiderunt, prout a Chriſto acceperant, quemadmodum ex ſingulorum ſcriptis a nobis poteſt confirmari: non autem ſolùm inualuit ab eo tempore, quo Eccleſia ex varijs erroribus vehementiùs cœpit laborare, vt tu, Samoſatene, ſine probatione vlla, ſine ſpecie veriſimili audes affirmare. Sed de his poſteá. Quandoquidē verò ſic placuit argumentari, age, hanc ipſius argumentationem in Samoſatenum, & iure optimo, torqueamus. Quæ doctrina priùs auctoritatem in Eccleſia non potuit obtinere quàm Euangelij puritas vehementiùs cœpiſſet laborare, ea ipſa vetuſtiſſimorum Patrum ſcriptis euertitur: Doctrina Samoſateni & Arij, quam vos compingitis, non priùs auctoritatem in Eccleſia potuit obtinere, quàm Euangelij puritas apud multos vehementiùs cœpiſſet laborare: nam (vt ex Theodoriti & Euſebij verbis antè demonſtrauimus) per annos amplius centū ſexaginta fuit inaudita: poſt autem annos fermè centum quinquaginta clàm ante Nicænam Synodum inſinuata eſt per fautores ſuos irrepentes ad cōturbandum ouile Chriſti, & per ſanctos

Patres

Patres diligentissimè confutata. Quapropter illi vocē ὁμοούσιος religiosè soliti sunt obseruare, & serpenti huic Samosatenicæ Arianæque nouitati eam vno cō-sensu opponere. Vestra igitur doctrina, Samosatene, ea ipsa doctrina est quæ sanctorum Patrum vetustissi-morúmq; scriptis euertitur, & quæ priùs auctoritatem vllam in Ecclesia non potuit obtinere quàm Euange-lij puritas cœperit labascere. Sic dictum illud tuum at-tribui falsissimè orthodoxæ doctrinæ, quam profite-mur, vides: de ista autem vestra doctrina quàm verissi-mè hæc singula prædicari; non habuisse auctoritatem in Ecclesia: si fortè, siquando, sicubi habuit, non antè habuisse, quàm quum, & vbi collapsa erat plurimùm veritas Euangelij: omni tempore, ex quo emersit pri-mùm, a sanctis illis & orthodoxis Patribus eam fuisse euersam atque expugnatam: annos verò ad centum septuaginta fuisse inauditam in prisca illa & Apostoli-ca Ecclesia. Nunc venio ad probationem tertiam, quæ est huiusmodi: *Quod dogma doctrinæ Christi, Pro-pheticæ, & Apostolicæ omnino est contrarium, id dogma est Antichristi: Hoc autem est dogma Trinitatis: Igitur Anti-christi est.* Maiorem damus, si rectè distinctéque intelligitur. Etenim tum demum vera est, quū enun-ciatur de eo dogmate quod est (vt loquuntur vulgo) in gradu excellenti contrarium, vel summo gradui ex aduerso oppositum, & quod ad summam rei pertinet: id est, si & contradictoria affirmatio aut negatio aper-tè propugnatur, & præcipuum caput summúsque fi-dei articulus (vt hîc fit) inter contendentes agitur. Dogma falsum, quo arx fidei oppugnatur, dogma An-tichristi est propriè & necessarió. Si quod autem infe-rius dogma, nec ita ad fidem propriè simpliciterque necessarium, ab vllo homine oppugnatur, etsi hic error

abAntichristo est secundùm communem significationem appellato; nunquam tamen committemus, vt hominem propterea anathema, Antichristum, &c. aut eius dogma Antichristi dogma præcisè appellemus. Hic enim error est hominis miseri in via a via aberrantis, sed retinentis caput; ac proinde cadentis suo domino (vt loquitur Paulus) & suo domino surrecturi: potest enim Deus eum stabilire. Hunc ergo hominem nec veritas Antichristum vocat, nec debet charitas, nec Domini iubet auctoritas. Minorem propositionem tuam, Samosatene, contestante Dei veritate in mentibus nostris, negamus quàm simplicissimé. Sed quia exempla (id autem est testimonia) te allaturum spondes manifesta, quænam ea sint, deinceps videamus.

Colos. 2.
Rom. 6.

Samosatenus. 3

Ac primum quidem locum de vno Deo habes inuictum Deuteronomij 6. Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est. & alterum 1. Corinth 8. Scimus non esse Deum alium, nisi vnum. Et hæc est confeßio Prophetarum Christi, & Apostolorum. Quid autem ad hæc Antichristus? (vnus autem est Romæ, Caluinus Geneuæ, Musculus Bernæ) Qui ita senserint, eos igne gladioque tollit ac perimit, omnibus minatur qui ab illa sua confeßione vellent recedere, & seuerè mandat vt non modò vnum confiteantur Deum, verumetiam trinum: & quamuis vnum Deum verum reipsa neget, verbisque duntaxat (ne eius puta animaduertatur impietas) vnum fateatur Deum, loco tamen illius treis distinctos Deos reuera ponit, eiusdem æternitatis, potentiæ, maiestatis: atque hoc efficit vna voce simplici Trinitatis, *cuius vocis auctor & fautor Antichristus ipse est. Quum autem quis dicit, Deus vnus & trinus est, non aliter hæc sonant atque*

quæ conueniunt inter se, quàm si quis diceret Deum esse spiritum & corpus, esse æternum & terrenum, esse bonum & malum.

ORTHODOXVS.

PROXIMA argumentatione tua, Samosatene, quum Trinitatis dogma planè contrarium esse sacris Scripturis affirmasses, id a nobis negari diximus quàm simplicissimé. Iam verò vt probes, niteris, ac non eniteris. Duo igitur hîc adferuntur loci; vnus ex Testamento vetere, & alter ex Nouo, vt Trinitatis dogma conuellatur. Atq; hi quidem loci omnino inuicti sunt (diuini enim) sed non inuicta istorum hominum, qui abutuntur locis, interpretatio. Vtrumque locum accipimus: Deum vnum esse credimus, id est, vnam diuinam essentiam, ac non plureis. Sed non sequitur inde, ergo treis non esse personas in vnitate essentiæ. Agitur enim his locis de esse vel essentia Dei in hac prædicatione, Iehoua vnus est, & de personis subsistentibus quà sunt vnum esse, vt ita loquamur. Sed de vtroque loco præstat suo ordine videamus. De loco Deuteronomij, ne longè abeamus, ex eo ipso demonstraturus sum duobus modis veritatem doctrinæ nostræ. Nam primùm cum nomine *Iehoua*, quod essentiale est, hîc semper alterum iungitur, *Elohim*, quod personarum est διακριτικόν. Secundò præcessit eodem in loco personarum distinctio euidentissimè, quum Moses diceret principio capitis, *Atque hoc præceptum, statuta, & iura, quæ præcepit Iehoua Elohim vester vt doceatis, ad faciendum ea in terra quò vos transitis possessuri eam iure hæreditario: vt reuerearis Iehouam Elohim tuum*, &c. huic verò distinctioni commodè Moses subijcit cautionem illam pernecessariam de vnitate essentiæ, di-

cens, *Audi Iſraël, Iehoua Elohim noſter, Iehoua vnus eſt:* quaſi dicat, nobis quidem in tribus perſonis diſtinctè reuelatus, at in eſſentia tamen Deus vnicus, non tres eſſentiæ. Priorem noſtræ demonſtrationis, Samoſatene, locum eo fortaſſe reiecturus es, quòd voces pluralis numeri (plurale autem eſt *Elohim* Hebræa forma) de ſingularibus enunciantur honoris cauſa, vt Hebræi tradunt, & multis exemplis poteſt cõfirmari. Sed figurata loquutio illa eſt, quum ita plurale de ſingulari dicitur: ſiue honoris cauſa, vt fit vulgo, ſiue per ſyllepſin, vt vocant, omnibus propè linguis frequentatam.

Eſai. 1. Nam quum Eſaias dicit, *Nouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe dominorum ſuorum*, id nõ eſt honoris cauſa dictum, ſed ratione ſylleptica; pro eo quod eſt aſinus quiſque nouit præſepe cuiuſque domini ſui, nullus non cognouit aſinus: & ſexcenta alia. Non ſequitur autem, Samoſatene, ſi illic figuratum eſt loquendi genus, ergo & hîc figuratũ dici oportere: argumentans in hunc modum, principium petis. Dices, nos quoque principium petere, ſiquidem loquutio ex cõmuni linguæ Hebrææ vſu propria vel figurata eſt. Ego verò, mi homo, agnoſco alijs in ſermonibus vel propriam vel figuratam eſſe, ídque pro ratione locorum de quibus agitur diſtingui oportere: ſed in hoc loco atque argumento faciendum nego. At ſimilium, inquies, ratio eſt ſimilis. Negamus eſſe ſimile: nam hîc propriè de vna eſſentia ſingulare dicitur, & plurale de perſonis pluribus, propriè inquam, conuenienter naturæ & veritati rei; illa autem alia dicuntur figuratè: non ergo ſimile. Quòd ſi probari a nobis dictum petiueris, eodem axiomate illo tuo probaturi ſumus; Similium ſimilis eſt ratio, diſſimiliúmque diſſimilis. Ex indubitato hoc axiomate ſic argumẽtabor: *Plurale de ſingulari Hebraicè in pri-*

in prima persona dici nunquam potest, in alijs personis potest, elegantérque dicitur: Plurale autem de Deo etiam in prima persona dicitur Hebraicè: hoc ergo non simile sed dissimile est: ac proinde ratio dissimilis. Priorem propositionem cùm Hebræi confirmant, tum Hebræorũ Grammaticorum facilè princeps Abben Hezra docet luculentissimé: & loci quoque Scripturæ euincunt manifestó. Primus huic certissimę exploratissimęque regulę est aduersatus R. Dauid Kimchi, abreptus sanctæ Trinitatis odio: nam & Trinitatem passim negat oppugnátque, & ad infirmandum hanc regulam nonnullis exemplis in suo Miclol abutitur. Exempla autē quæcunque adducit in hanc sententiam, falsò accommodantur huic argumento: nam aut dicuntur ab vno (vt vocant) indiuiduo communiter, id est, secundùm rationem communis: aut dicuntur tamquam ab vno sylleptice: hæc ratio locorum omnium. Verbi gratia, quum Bildad in libro Iobi diceret, *intelligentiam adhibete, ac posteà eloquar:* & paulo pòst, *reputamur vt iumentum, immundi videmur in oculis nostris*: quum item Absalom, *date consilium quid simus facturi*: quum Daniel similiter ait, *interpretationem eius dicemus coram Rege:* hæc ergo singuli quidem illi dicunt, aut dicuntur singulis; sed qui dicunt, ij de se dicunt & socijs suis; & quibus dicitur, ijs pari ratione dicitur, vt res ipsa ostendit. Nam Bildado amici quoque alij præter Iobu aderant, Absalomo consiliarij & copiæ, Danieli socij, qui coniunctis cum eo precibus reuelationem a Deo exorauerunt. Hæc igitur, Samosatene, propria, non figurata sunt. Quum autem in Cantico illo Canticorum scriberet Selomo, *trahe nos, curremus post te: exsultabimus & lætabimur: recordabimur amorum tuorum præ vino*, & similia multa: hæc dicuntur quidem a pijs singulis, sed

Iob.18. 2.Sam.16. Dan.2. Cant.1.

tamquam in vno atq; ab vno corpore syllepticè, quod corpus est Ecclesia Dei. Quicquid ergo audacter affirmet Kimchi (nam hæc exempla sunt omnia, quę summo studio diligentiáque potuit ex Testamento veteri corradere) certè ex dissimilibus exemplis nunquam certissimam hanc verissimámque regulam labefactaturus est: sed axioma illud immotū permanet, plurale Hebręis nunquā de singulari indiuiduo in prima persona loquutione propria prædicari. Plurale autē hoc nomen aliáq; in persona prima ab ipso Deo enunciari o-
Genes. 1. mnino constat: vt quū Deus diceret *faciamus hominem*
Genes. 3. *ad imaginē nostram, secundùm nostram similitudinē. Ecce homo sicut vnus e nobis: agite descendamus, vt cōfundamus*
Genes. 11. *linguam eorum*, &c. *Ego sum Iehoua Elohim tuus*, &c.
Exod. 20. nónne vides, Samosatene, loquutionem esse dissimilem, eámque ex dissimili ratione profectam? Quæ autem dissimilitudo est, obsecro? Non est hæc dissimilitudo loquutionis solùm (nam etiam in loquutione si qua interuenerit dissimilitudo, ei rationē suam inesse opus est dissimilem) sed dissimilitudo hæc rei & rationis est, quia vnica illa essentia Dei substat in tribus personis, & tres personæ subsistunt in vnitate essentiæ. Ac propterea plurale de singulari, & singulare de plurali verè atque propriè enunciatur: quæ res in cæteris τοῖς λεγομένοις non potest obseruari, quia eorum omnium quæ sunt, aut quæ dicuntur, nihil est cū hoc argumento simile. Posterior demonstrationis locus, quem antè diximus, est illa ipsa distinctio a Mose posita duobus versibus euidentissimè, quum inquit, *Hæc sunt quæ præcepit Iehoua Elohim vester*, &c. *vt reuerearis Iehouam Elohim tuum*. Nō enim dicit Moses, vt reuerearis ipsum; sed repetitis vocibus ijsdem vtitur, ac non earum vnica, vt mysterium istud ostenderet. Dixeris fortasse: ita

mos

mos Hebræorum eſt antecedens vſurpantium pro relatiuo ipſius, & vocem eamdem hoc modo repetentium. Verum eſt: ſed hoc tamen nihil ad rem facit. Nō enim promiſcuè apud Hebræos vſus iſte repetitionis eſt, quemadmodum Iudęi inſcienter & malitiosè narrant: ſed quatuor omnino ſunt, non plures (ſi bene obſeruaui) cauſæ, cur figuratè voces eædem in ſcripturis ſacris repetuntur, nempe vehementia, ἀναμφίϐολον, diſtributio, & hyperbaton, quod poſtremū cauſarum genus etiam τῷ ἀναμφιϐόλῳ coniungi poteſt. Extra has cauſas ſemper quamlibet repetitionē propriè oportet accipi. Vehemētia: vt quū Propheta inquit *Cōſolamini,* Eſai.40.
cōſolamini populū meum; & alter, *o terra, terra, terra:* quū Ierem.22
Deus vocat *Abraham Abraham, Iacob Iacob, Moſe Mo-* Geneſ.22
ſe: & quum illi gloriabundi occinerent, *templum Ieho* & 46.
uæ, templum Iehouæ, &c. Vitatio amphiboliæ: vt quum Exod. 3.
diceret Moſes, *Adamo non adſuit auxilium ſecundùm* Ierem. 7.
ipſum: item, *ad imaginem Dei creauit ipſum*; & ſimilia Gen. 2.
Gen 9.
multa, in quib. ſi relatiuū ſimpliciter fuiſſet poſitū, ambigua fuiſſet futura oratio, & præ obſcuritate ambigui etiam aliquo modo vitioſa. Atque huc pertinent ij Scripturæ loci, in quibus rei generatim dictæ fit ſingularis aliqua circumſcriptio: vt quum dicitur, *alloquutus* Gen.22.
eſt Iſaac Abrahamum patrem ſuū, & dixit, pater mi: item,
& abierunt tres filij Iſai maximi, abierunt poſt Saulum, &c. 1.Sam.17.
Diſtributio: vt quum Propheta dicit, *& omnes hoſtes* Ierem.30
tui, omnes ipſi (id autem eſt, quotquot ſunt) *in captiuitatem abituri ſunt:* itémque Iſraëlitæ, *in via, in via ituri* Deut.2.
ſumus, &c. Hyperbaton denique, vt in omnibus fermè linguis ſolet obſeruari. Quemadmodum Iotham Sichemitis, *Similiter nunc*, inquit, *ſi ſeriò & integrè feci-* Iudic.9.
ſtis, quod conſtituiſtis Regem Abimelecum, &c. deinde tertio pòſt verſu, *Si igitur ſeriò & integrè feciſtis erga Ie-*

rubbabalem & erga familiam eius in hoc tempore, &c. similitérque Nehemias, *Ac minimè ego*, inquit, *& cognati mei, puerique mei, & viri custodiæ qui prosequebantur me, minimè inquam nos exuturi sumus vestes nostras*, &c. Iam ergo, vt paucis rem totam complectamur, Omnis repetitio in Scripturis aut propria, aut figurata est: Quæ autē figurata est, propter vnam aliquam ex quatuor hisce causis adhibetur: Si qua ergo vnam harum causarum non habet, ea propria est repetitio. In hoc autem loco nulla planè harum causarum commodè adtexi potest: restat igitur, vt propriam repetitionem hanc dicamus esse, & propriè accipi oportere. Quomodo autem propriè, si placet, videamus. Duplex est interpretationis modus, vt ampliùs segmento 5. pòst demonstrabimus: vnus, quo persona vna sanctæ Trinitatis de personis duabus alijs, vt de sua ipsius, testari dicitur: alter, quo personæ singulæ idem dicuntur facere communi operatione. Secundùm priorem modum Christus, vt Sermo æternus Dei Patris, præcipere & docere dicitur: secundùm posteriorem verò Pater, Filius, & Spiritus sanctus in vnitate essentiæ operationísque præcipere dicitur & docere, *vt reverearis Iehouam Elohim tuum*, &c. nam in vna eademque operatione Pater nos docet iura sua, vt reuereamur Filium & Spiritum sanctum, sicut personam suam: Filius item, vt reuereamur Patrem & Spiritum sanctum, vt personam suam: Spiritus sanctus denique, vt reuereamur Patrem & Filium eodem modo, tum in vnitate essentiæ, vt Iehoua est, tum in trinitate personarum, vt est *Elohim* Deus noster communis omnium, & singularis propriúsque fidelium electorúmque singulorū ex fœdere. Atque hic posterior est interpretationis modus, quem & Moses videtur sensisse, & hac ipsa repetitione

Nehe. 4.

tione expreſſit conuenientiſſimé. Cur ergo, inquies, nō dixit Moſes ſimpliciter, vt reuerearis ipſum? Nempe vt hanc ipſam diſtinctionem perſonarum & œconomiam ſeu diſpoſitionem diuinam inculcaret: quia Deus non ſolùm vt eſſentia vnus pręcipit & docet iura ſua vt reuereamur ipſum; ſed Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, vt perſonæ diſtinctæ ſunt, iura diuinæ eſſentiæ perſonarúmque docet, quò reuereamur perſonas ipſas in vnitate eſſentiæ. Sinę hac autem repetitione quam adhibuit Moſes, tota hæc diſtinctio, quamuis pernecessaria, vix animaduerſa a pijs eſſet: quanto minus ab impijs & contradicentibus credita? vt contrà, niſi mox ſapientiſſimè ἐπιθεραπείαν adhibuiſſet cōprehenſam illis verbis quæ proximè ſequuntur, dicens, *Audi Iſraël, Iehoua Deus tuus, Deus vnus eſt*, procliuis fuiſſet imperitiorum lapſus in trium Deorum & eſſentiarum cogitationem, & periculoſa aduerſantium ſanæ huic doctrinæ (vt tu Samoſatene facis) criminatio. His verò coniunctis in hunc modum, & optimè vera doctrina de vno illo vero Deo ſtatuitur, & ſplendidiſſimè tres perſonæ circumfulgent in vnitate eſſentiæ Dei. Quòd itaque, Samoſatene, ex illo Moſis ſerui Dei loco vnitatem eſſentiæ diuinæ aſſeris, rectè eſt, & nos facimus: quòd autem ex eſſentiæ illius vnitate Trinitatem perſonarum tentas conuellere, indignam iniuriam facis Moſi, veritati, & Deo ipſi auctori veritatis: qui ſcribenti Moſi iſta inſpirauit dictauítque, tamquam ſeruo publico a ſe & ab Eccleſia Iſraëlitarum conſpirantibus animis inſtituto, quum diſcerpis tam euidētem locum illius, & res diuidis coniunctiſſimas, contra iuſtas interpretationis leges. Nam quicquid hoc argumentationis genere & fallacia hac adſtruitur, id eſſe inconſequens omnes ſentiunt qui luce rationis vel minimùm

vti possunt. Atque hæc de priore loco. Secundus locus e Nouo testamento productus non dissimili est argumento. Id solùm interest, quòd de essentia diuina duntaxat agit, non autem de personarum distinctione in vnitate essentiæ. Demonstrat illud sermo Apostoli: docet enim Corinthios ex natura idolorum, quidnam iudicari de idolothytis oporteat. *Scimus*, inquit, *idolum nihil esse in mundo, & nullum esse Deum alium nisi vnum*. Sensus est, quod nihil est in mundo per se, nimirum secundùm essentiam, potentiam, & operationẽ ipsius, id rei sibi (vt putatur) applicatæ naturam non potest ratione vlla (quantò minùs diuina?) afficere: etenim (vt loquuntur vulgo) non entis non sunt accidentia: Idolum autem nihil est in mundo, secundùm ea quæ modò perstrinximus: Idolum erga idolothyta sibi applicata nequit vel ratione minima afficere. Si nulla, quanto minùs diuinâ afficere, siue diuinitus, id est, ea sanctificare, vt Deus, ex quo sunt oblata? Quis ergo res sibi oblatas afficiat diuinitus, si cupis cognoscere, *nullus est Deus alius nisi vnus*, inquit Apostolus, qui hoc efficiat: vnica illa essentia diuina est, quæ hanc proprietatem diuinam, id est, potentiam operationémque per se habeat aut habere possit. Atq; hoc nos quidem sanctissimè cum Paulo affirmamus: quod tu, Samosatene, euertis imprudens, quum Dominum nostrum & Seruatorem Iesum Christum non Deum genitum, sed Deum factum vocas, id est, non essentialiter Deum, sed Deum accidentaliter: hoc enim pacto, alius sit Deus necesse est. Tu verò, Samosatene, iam vide quid ex hoc loco efficias. *Vnus est Deus*, inquis; *ergo vna solùm persona deitatis est*. Negamus consequens. Est quidem antecedens tuum confessio Prophetarum Christi, & Apostolorum; consequens verò minimé.

Hi enim

Hi enim confitentur personas esse treis vnius essentiæ, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: hæc autem tria sunt nomina trium personarum ὁμοουσίων, id est, cõsubstantialium siue coëssentialium, quarum personarum vnaquæque est coæterna, est vna apud alteram, & est Deus (vt de filio loquitur Ioannes) in vnitate essentiæ. Ioan.1.
Consequens verò illud tuum vnde eruis, obsecro? Si fallax enthymema tuum iustis partib. instruatur, quas syllogismorum ratio postulat, sibi profectò constare non potest. Nam si dicas, *Quorum vna est essentia, vna est persona*, falsa propositio est: cum omnium hominũ sit vna essentia, personæ quàm multæ? Si dicas, *Quod vnum est essentia, vnum est persona*, æquè falsum: natura enim humana est vnum essentia, personis seu indiuiduis multiplex. Si dicas, *Qui vnum sunt essentia, vnum sunt persona*, itidem falsum: nam eo ipso quod plurali numero vtéris, *qui sunt vnum*, singularia subiecta siue indiuidua pones, de quibus vnum commune prædicatur: qua ratione dicebat Christus, *Ego & Pater vnum sumus*. Ioan.10.
Si denique tibi placeat dicere, *Qui vnus essentia est, vnus est persona*, aut illudis, mi homo, aut inscientiâ tuâ tibi illuditur. Quum enim dicis *vnus*, vel *qui vnus est*, indiuiduum notas atque suppositum, vel personam aliquam indiuidualem vnam; sic nomẽ essentiæ, quod communius est per se, restringis atque determinas (vt ita loquar) personalitate vna. Ergo subiectum & prædicatum huius enunciationis tuæ sic adæquas, vt res vna sit, & idem per idem exponatur: sed ratione peccas, & eo in vitium incidis, quòd angustiorem vocem in prædicato quàm in subiecto ponis, pro eo quod te oporteret dicere, qui vnus est persona, vnus est essentia. Vidésne, Samosatene, vtcunque maiorem formes statuminando enthymemati quod obtrudis, meras

præstigias, mera monstra esse? De minore, quæ prior pars est enthymematis, videamus. *Vnus est*, inquis, *Deus*. Verissimum: sed rectè intelligendum: nam & in subiecto & in prædicato positæ sunt aduersus imprudentiores tendiculæ, nisi attenderint: & ex ijs falsa conclusio adstruitur. *Deus* enim aut absolutè & indeterminatè dicitur, aut etiam determinaté. Priore modo de essentia, posteriore de aliqua vna persona dicitur.
Ioan. 4. Secundùm priorem modum Christus dicebat, *Deus*
Ephes. 4. *est spiritus*: secundùm posteriorem Paulus, *vnus Deus Pater omnium*, &c. Hîc autem *Deum* absolutè & indeterminatè enuncias: de essentia igitur prædicatio est, & ita accipimus: tu de persona accipis æquiuocè, & idē concludis, contra prædicationum & argumentationū leges. Quòd si de persona negas a te accipi, sed potiùs te ab vnitate essentiæ de vnitate personæ affirmas concludere, rursum imperitos circumuenis prędicationis modo, quia non distinguis rem, sed de industria dissimulas mentem tuam. Tibi ergo dicendum fuerat, *Deus vnus est essentia, igitur & persona vnus*. Atque hæc tua mens, quam nullo pacto confirmaturus es, siue auctoritates Scripturę, siue naturę vsum peruestigaueris. Hoc enim vt assequaris, necesse est probes paradoxum istud, *vnum essentia* & *vnum persona* idem esse, & terminos esse (vt vocant) conuertibiles. Si non, alterum necesse est vincas, nempe vnum personâ latiùs patêre quàm vnum essentia, quia de hoc illud enuncias. Alioquin, Samosatene, quis vnquam fando audiuit angustius de latiore iustè prædicari posse? Posterius, opinor, non dices: prius quomodo efficias, si placet, circumspice. Omnino aut idem sunt essentia & persona, aut non sunt. Si idē sunt (vt certè quodammodo sunt) aut genere sunt idē, aut specie, quæ vocant synonyma,

aut

aut numero, quæ polyonyma. Numero autem essentia & persona idem solùm esse possunt in ijs rebus, quæ secundùm essentiam & hypostasin suã (hypostasis autem in ijs quæ ratione prædita sunt persona dicitur) singulares sunt in natura rerũ. Exempli causa, in mundi primordio, quum Adam primùm a Deo fuisset cõditus, vna fuit essentia & persona numero, donec cõiux Eua ipsi adiecta est. Rursum essentia & persona inter se, secundùm rationem communem, specie & genere sunt idem, nimirum quatenus essentia de persona dicitur, vt homo de Petro, Ioanne, Paulo, cæteris: at secundùm rationem subsistẽtiæ, vel singularem illam, quam indiuidualem vocant, idem dici non possunt. Nam vocabulum essentiæ latiùs patet, & de personis seu hyphistamenis dicitur numero differentibus: personæ verò seu hypostaseos vocabulum est angustius, & rem numero vnam significat. Nec essentia igitur est hypostasis: nec vna essentia est vna hypostasis: nec vnũ essentia est vnum hypostasi propriè, solùm, semper, atque simpliciter: sed ea solùm essentia est hypostasis quã circumscribunt determinántque suæ differentiæ, non dico specificæ, sed idiomaticæ, quas Græci characteras siue proprietates characteristicas, nos etiam indiuiduales noue, & in ijs quæ ratione instructa sunt personales proprietates appellamus. Contrà verò & hypostasis siue persona est essentia, & vna hypostasis vna essentia est, & quod vnum est hypostasi, idem essentia vnum. Vides igitur essentiam aut vnius esse hypostaseos, vt Solis est, vt fuit Adami in principio creationis, aut pluriũ hypostaseon sub vno genere aut specie vna conuenientium. Quod autem in Adamo fuit potentia, vt plures videlicet hypostases ab eo in essentia vna exsisterent, id in Deo Patre est natura (licet non extra

ſe producat, vt homo producit extra ſe) quia eſt actus purus & ſimpliciſſimus. Sunt itaque tres perſonæ in vnitate eſſentiæ: Pater, qui eſt principium & origo ſine tēpore: Filius, qui eſt genitus & ortus a Patre ſine tempore: & Spiritus ſanctus, qui procedit a Patre & Filio ſine tempore: id autē eſt, genitura & proceſſione ſempiterna. *Ergo*, inquies, *diuiſæ ſunt hæ tres perſonæ inter ſe futuræ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: quemadmodum homines, quos eſſe dicis eſſentia vnum, diuiſi ſunt perſonaliter*: ex quo propterea ſingulæ perſonæ indiuidua ſingula vel ſuppoſita appellantur. Negamus conſequens: nam eſt quidem communis ratio, qua eſſentiam a perſona diſtingui neceſſe eſt, ad res diuinas & humanas pertinens: ſed non continuò per omnia ratio communis in rebus ipſis colligenda & cōfirmanda eſt. Suæ enim propriæ ſpeciei cuique, ſuę indiuiduis ſingulares ſunt differentiæ. Sic vnaquæq; eſſentialis vel ſubſtantialis ſpecies ratione diuerſa eſt ab altera ſpecie per differentiam ſpecificam ipſius, indiuidualis verò per differentiam indiuidualem ſiue characteriſticam. Hæ autem communes voces, quæ λογικῶς de omnib. quæ ſunt a nobis prædicantur, non tollunt ſingularem earū rerum veritatem de quibus prædicantur. Sed tamen in rebus naturalibus Phyſicè, in ſupernaturalibus Metaphyſicè, in diuinis autem diuino quodam modo accipiendæ ſunt, quia res ſunt toto genere differentes. Itaque propriè quidem voces prædicamentales (vt vocant) ſiue κατηγορίαι ad res corporeas & materiatas pertinent, quarum cauſa fuerunt inſtitutæ: ſed per quamdam communicationem, licet impropriè, ad metaphyſicas etiam analogicè transferuntur, & inde ad diuinas καταχρηστικῶς. Quamobrem inconſequens illud dictum eſt, ſi perſona humana eſt vna extra alteram

(vt eſt) ergo & perſonam diuinam vnam cum altera eodem ſe habere modo, vnámque extra alteram ſubſiſtere: niſi duo hæc primùm ſtatuantur probentúrque a te: nempe cùm eſſentiæ, tum perſonæ eamdem rationem in rebus diuinis eſſe quæ in humanis eſt. Non eſt autem eadem ratio: quis enim eſſentiam Dei cum humana compareti? quòd ſi eſſentiam nefas eſt comparari (vt tota Scriptura clamat, ipſáque adeò natura reluctatur) quis perſonam cōparet, cui tota ineſt eſſentia? Eſt autem infinita eſſentia Dei: quod autem infinitum, id ſecundùm eſſe vnicum eſt: non ergo perſona extra perſonam eſt, ſed altera eſt in altera, vel apud alteram infinitate eſſentiæ. Ac proinde in diuinis perſonæ ex facto diuidi non poſſunt, ſed ratione & re in vnitate eſſentiæ diſtingui debent: nam Deus eſt apud Ioan.1.
Deum, & vnaquæque perſona Deus. Dices fortaſſe, *Ergo Deus eſt ſpecies, perſonæ autem ſunt indiuidua, quæ comprehenduntur Deo tamquam ſpecie ſua.* Negatur vtrumque: nam in rebus creatis, ſiue Phyſicis ſiue Metaphyſicis, quarum altera extra alteram eſt aut eſſe poteſt, & in quibus ſuum ſingulare & proprium eſſe diſparatum habent ſingula ὑφιστάμενα, certè vera eſt hæc conſequutio. Sed alia eſt omnino diuinitatis ratio, & ſupra omneis res creatas ſummè admirabilis. Deus enim, vt ſecundùm eſſentiam vnus eſt numero, eſt, loquitur, agit per ſe: ſpecies autē non eſt aut ſubſiſtit per ſe, (ideóque ſecunda ſubſtantia Logicis appellatur) nō loquitur, non agit per ſe: Deus igitur non eſt ſpecies. Secundùm rationem verò atque realiter (vt loquuntur vulgo) tres ſunt perſonæ ſubſiſtentes in vnitate eſſentiæ Dei, non tamquam in ſpecie, ſed potiùs tamquam in toto eſſentiali, cuius eſſentia tota eſt in qualibet perſona deitatis ſecundùm perfectionem ſuam,

prout se habet ratio totius siue totalitas in incorporeis & spiritualibus substantijs. Itaque & vnaquæque persona deitatis subsistit ipsa, loquitur, & agit per se (persona enim) & tres personæ singulariter communitérue, pro ratione operis quod efficiunt, in vnitate essentiæ; quia vna infinita & indiuisa est, quamuis personis distincta essentia. Quòd si sententiæ huius nostræ, Samosatene, exemplum desideras, illudis Deo: nam quē parem faciamus Deo? aut quē cōparemus ipsi? Deum non ab exemplis credimus, sed ex auctoritate ipsius. Quisquis autem exempla essentiæ diuinæ aut proprietatum petit, is alios Deos sibi dari petit: quod nulla pietatis aut etiam naturæ lege permittitur. Vides igitur vtrumque verum esse, & verè a nobis ex Dei verbo adfirmari: nempe & vnum Deū esse essentiam vnam, quod tu vis, & treis personas diuinas in vna illa essentia Dei subsistere, quod negas. Et te, Samosatene, non pudet Antichristos appellare eos, qui sacram hāc doctrinam a Deo acceptam tradunt tuentúrque? non varia hominum genera arte veteratoria permiscere, vt omnib. communiter eamdem adspergas labem? Romanum Pontificem cum Caluino, Musculo componere? Humana quidem iudicia sunt hæc, a fidelib. Dei seruis contemnenda: quę tamen a te non miror fieri de illis hominibus quorum spectata est fides, nec labor inanis in Domino: cùm etiam de essentia & veritate Dei præter Scripturam audeas statuere, ponens quod negat, quod affirmat negans. Sed hæc nos faciemus missa quæ ad homines spectant: nam omnino illud fore confidimus, vt re & veritate Dei a criminationibus tuis vindicata facilè omnes videant hos pios viros, in eo ipso quod reprehendis, ab omni culpa alienos esse. Quæ communia sunt, ea solùm quàm breuissimè perstringe-

stringemus. In his ergo omnibus cõmuniter duo habes quæ reprehendas, factum, & causam illius. De vtroque verò respondebo paucis, quantum quidem ad hanc causam iudico pertinere. De Pontifice Rom. nihil dicam, cuius factum apud bonos est odiosius, & qui redemtas operas habet quàmplurimas, quæ patrocinentur strenuè ipsius tyrannidi. De Caluini & Musculi facto aliquid sum dicturus, quia propter singulare factum eos non dubitas Antichristos appellare. Sic ergo ratiocinaris: *Qui secus sentientes igne gladióque perimit, omnibus minatur recedentibus ab hac confeßione, & hanc vnam seuerè coli mandat, is Antichristus est: Ista Caluinus Geneuæ facit, Musculus Bernæ: Est igitur Antichristus.*

Maiorem propositionem, vt indefinita est, tibi concedere non dubitauerim, si rectè intelligatur: nam etiã confirmari potest Ioannis Apostoli in Apocalypsi testimonio. Sed tamen dissimulari bona fide a nobis non potest, Antichristum dici æquiuocé. Nam aut singulariter & καὶ' ἐξοχὴν appellatur filius ille perditionis, de quo plurib. ad Thessalonicenses scribit Apostolus: aut communiter significatur quisquis aduersatur doctrinæ Christi, personæ, & officio eius: quemadmodum a teipso hæc distinctio segmento 27. posteà adducitur. A te verò, Samosatene, in posteriore significato potiùs accipi confidimus Antichristi nomen: præsertim quia duo iungis hominũ genera plurimùm inter se discrepantia, & Caluino Musculóque adaptas Rom. Pontificem: & hoc tu ipse non obscurè eodem in loco pronuncias. Minore autem propositione tua quod affirmas, id certè falsò Caluino, Musculóque tribuis. Nã primùm *eos perimere, minari, mandare*, aut vnquam fecisse, falsum est: id magistratus politici est officiũ, quod neuter vnquam sibi vsurpauit, nec pius Dei seruus vl- 2. Thess. 2.

lus, si sapit, sibi arrogaturus est: hæc iam triplex est criminatio. Secundò ne id quidem verum est, *eos curare aut curauisse vt perimerentur secus sentientes, minæq; intenderentur ijs, & mandata seuerè in eos confecisse:* hæc quoque falsò pariter & odiosè dicta. Tertiò si id etiam dicas, docuisse illos quòd qui secus senserint eos igne gladióque perimi, & minis mandatísque obrui oporteat, id quoque a vero est alienissimum, nisi distinxeris. Scilicet hoc illud est: tibi, Samosatene, ita placuit (quod animi exulcerati solent, aut incompositi) inuidiosè omnia in illas innocenteis animas producere. Hi autem nunquam profectò omneis aliud a se sentientes morte, minis, aut mandatis acerbis vexari voluerunt (nam plurimæ sunt oues) sed eos demum qui docent: neque docentes omneis, sed eos qui incurrunt in ouile Christi, vt fascinent & corrumpant ipsum: neq; promiscuè omneis qui Ecclesiam Dei fundatam in veritate & suo ordine educatã turbant falsis suis dogmatibus, quæ imperiti nesciunt & periti horrent, sed cognita causa legitimè, auditos, monitos, euictos, quando pertinaciter cùm omnia monita cõtemnunt, tum contra salutem ordinémque publicum obnituntur, omnem operam occupantes vt omnes oues Christi, quoad eius fieri potest, fermento impuro suæ exitialis doctrinæ corrumpantur. Hoc ergo genus hominum in societate humana pestilentissimum, non veritati diuinæ solùm in grauissimis & substantialibus fidei articulis, sed ordini quoque humano in mundo & Ecclesia pernecessario cõtra omnia monita, euictiones, preces, interdicta obnitens peruicacissimè, hoc inquam tandem supplicio afficiendum esse tradiderunt: neque hoc illi tamquam de principali solio pro auctoritate pronunciauerunt, sed consulti de iure diuino in hac

causa,

causa, simul suffragium suum cum alijs viris bonis, & Ecclesijs quamplurimis iunxerunt religiosissimè, ne constitutæ in Christo Ecclesiæ iamdiu, & pij in eas collecti detrimentũ a malis operarijs in alienam messem & Dei hæreditatem irruentibus acciperent. Sunt enim ἄτακτοι homines eiusmodi, a quibus diuinus pariter & humanus ordo, potestatésque contemnuntur: ac proinde omni iudicio, diuino, humano, & suo ipsorum sunt damnabiles. Eos verò qui a fide aberrauerint, si tamen in ordine contineant sese, nec alienas mentes in exitium sollicitauerint, nec suas vltrò pertinacitérque proiecerint, eos in quã ab illis repulsam passos, nedum adiudicatos morti, nunquam quisquam ex sermonib. aut scriptis illorum probaturus est. *At hoc*, inquies, *Antichristi opus est, propter causam fidei homines perdere*. Si hoc simpliciter, Samosatene, tibi velis, iniustum esse, Antichristi esse, propter fidem homines perdere, tibi profectò Deus iniustus & Antichristus est (horrendum dictu) nam Dei opus proprium est, vt homines ea causa perdat, vt qui solus sit fidei atque infidelitatis cognitor certissimus & iudex optimus. Sed quod Deus certo iudicio facit, id Antichristus arrogat impio & nefario studio, conatu (si voles) Giganteo. Quum verò operibus infidelitatis ipsum pietatis mysterium, omnis diuinus & humanus ordo, alienáque salus peruicaciter oppugnantur, reum istius sceleris hominem reprimi, & vbi repagula omnia perrumpit contumacissimè, etiam morte affici, non propter infidelitatem ipsam, sed propter importunæ & cõtumacis istius infidelitatis opera, id verò non est opus Antichristi (vtcunque videatur tibi) sed germanum Christi: qui per Apostolum suum pios his verbis alloquutus est, *Magistratus non sunt terrori bonis operibus, sed* Rom.13.

malus. Vis autem non metuere potestatem? quod bonum est facito, & laudem ab ipsa obtinebis: Dei enim est minister tuo bono. Quòd si feceris quod malum est, metue: non enim temere gladium gestat: nam Dei minister est, vltor ad iram ei qui fecerit quod malum est. Non quia crediderunt malum (nam hoc nouit & punit Deus) sed quia fecerunt malum, idque grauissimum, impiè importunéq; pias animas & piorum cœtus sollicitãdo; propterea in manus Dei viuentis, qui humanas potestates suo mandato instruxit, & auctoritate armauit, inciderunt. Cur enim hoc ego non dicerem de ijs ad quos tu, Samosatene, tacitè respexisti, quum ista scriberes? Michaëlem Seruetum Senatus Geneuensis, ac non Caluinus; Valentinum Gentilem Senatus Bernensis, non autem Musculus, sententia lata e medio sustulerunt, postquã omnia quæ ad priuatam ipsorum correctionem salutémque, & quæ ad commune Ecclesiæ bonum iudicauerunt pertinere, experti essent diligentissimé. Iudiciũ exagitas, quo sunt damnati: causam, cur sunt damnati, dissimulas. De vtraque re Magistratus vidit, cuius ante oculos dies noctésque obuersari legem suam præ-
Deut.17. cepit Deus, & qui lege ipsius cognouit hæc mandari si-
Deut.13. bi, *Quum exsistet in medio tui Propheta aut somniorũ artifex, qui edat tibi signum aut prodigium: Etiamsi euenerit signum & prodigium illud quum alloquetur te dicendo, eamus post Deos alios quos non cognouistis vt colamus eos, Non es auscultaturus verbis Prophetæ illius,* &c. Et paulo pòst, *Post Iehouam Elohim vestrum itote, eúmque reueremini: & præcepta eius seruate, & auscultate voci eius, eúmque colite, & ei adhærescite. Propheta verò ille aut somniorum artifex ille morte afficitor, quia loquutus fuerit apostasiam contra Iehouam Elohim vestrum, qui eduxit vos e terra Ægypti, vósque redemit e domo seruorum, ad depellendum vos a via*

illa

illa in qua praecepit tibi Iehoua Elohim tuus ambulare te: ita exemeris malum e medio tui: & quæ ſequuntur. Neque verò moueri nos veſtris illis rationibus conuenit quæ in vulgus adferuntur, vt vſum illum gladij eripiamus poteſtati, quem iubet Deus: nempe *hæc veteris Teſtamenti eſſe; cauſam diſsimilem: non hæc imperauiſſe Chriſtum: contrarium ab eo fuiſſe factum.* Primùm enim *vetus Teſtamentum* accipitis ipſi, & eius auctoritatem maximè in neganda perſonarum Trinitate ſoletis obtendere: quod autem iuris eſt in vna cauſa, idem quoque in altera opus eſt obtinere. Tum ſi dicitis antiquatum, iniqua eſt ſanè a parte ad totum argumentatio, reſponſum falſum. Antiquata ſunt quidem ea vmbracula rerum futurarum, quarum corpus & veritas eſt in Chriſto: ſed ratio earum ſubſtantiáq; integra permanet. Quarum verò legum communis in ſe ac conſtans ratiocinatio & fundamentum eſt, eæ licet forma externa tenus mutationem aliquam in circumſtantijs nonnullis ſubeant, re tamen ipſa permanent iure & veritate in omne ęuum immutabiles ſecundùm ſubſtantiam ipſarum. Atque eiuſmodi eſt lex de non audiendis auctoribus apoſtaſeos, & ijs, ſi pertinaciter Eccleſiā Dei infeſtauerint moniti, deterrendis etiam (vt cum Apoſtolo Iuda loquar) atque puniendis. *Cauſam diſsimilem* negamus eſſe. Nam qui negat id quod Deus eſt & ſe declarat eſſe, auctor eſt apoſtaſiæ, ſiquidem ſeſe in Eccleſiam infert & piorum animos in ea verſantium ſollicitat obfirmatè: Deus autem eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, tres perſonæ, eſſentia vna, & ita Deus ſe declarat eſſe: Hoc ergo qui negat in Eccleſia Chriſti (nam eorum qui apud ſuos agunt, alia eſt ratio) & fidem Eccleſiæ fideliúmque membrorum eius pertinaciter contendit labefacere, quod Seruetus &

Gentilis fecerunt palàm, is auctor est apostasiæ. Quod si est, manet profectò sententia a Deo lata. *Non hoc imperauisse Christum* qui dicit, falsum dicit. Nam
Ioan.5. quicquid facit Pater, id Filius facit consimiliter: Hoc ergo si imperauit Pater (imperauit autem lege) quis
Galat.3. probet non imperauisse itidem Filium? Quid, quòd Filij manu vel Mediatoris (si ita mauis) lex ordinata est? Ergo & hoc mandatum eiusdem manu fuit ordinatũ. At *non imperauit*, fortasse dixeris, *in Testamento nouo.* Verum id quidem: nam imperauerat semel in vetere, quod fuit satis: actúmne agi a Christo propter omneis qui contrà sentiunt oportuit? Deinde non imperauit disertis verbis: at imperatum tamen satis confirmauit
Rom.13. verbis Apostoli dicentis, *Magistratum Dei ministrum esse, vltorem ad iram ei qui fecerit quod malum est,* vt antè adduximus. Itaque duplex a te, Samosatene, peccatum committitur in hoc argumentationis genere: vnum, quòd concludis ab auctoritate negatiuè (vt loquuntur vulgo) qua ratione nihil omnino confici aut probari potest: alterum, quòd hæc ipsa auctoritas particularis est, & ex ea tamen cõcludis vniuersè hoc modo: *non imperauit Christus in Testamento nouo, non ergo imperauit.* Nam Christus imperandi officio vsus est etiam in vetere, vt antè docuimus. *Contrarium a Christo fuisse factum quàm Lege præcipitur,* constanter nego. Lex præcipit suasorem apostasiæ non audiri, & contumacem vltimo supplicio affici: huic cõtrarium est audiri suasorem apostasiæ, & defendi aduersus eos qui vitam ipsius petunt. Hoc non fecit Christus, nec vsquam fecisse aut docuisse legitur, qui væ grauissimum hypocritis & seductoribus passim pronunciat. Atqui non damnauit scortum, vt in Euangelio narratur. No-
Ioan.8. uimus: sed aliud est de scorto agere, aliud de apostata

& prin-

& principe apoſtaſiæ: neque ſolùm aliud, ſed etiam diſſimile, ex quo nihil poſſis concludere. Prętereà ne in hoc quidem exemplo contraria ſunt hæc, damnare, & non damnare. Etenim damnare, eſt iudicum; non damnare, eſt omnium, quamuis non ſint iudices: ſed abſoluere, quod iudicum eſt, id contrarium damnandi verbo. Damnat igitur vel abſoluit iudex, quia ciuiliter eius eſt damnare vel abſoluere: hîc iuſta demum eſt cōtrariorum ratio, quum damnationem & abſolutionē dicimus. Quiſquis autem non eſt ciuilis iudex, nec damnat, nec abſoluit reum iudicialiter: hîc iuſta eſt priuantium ratio, non autem contrarietas. Atq; hoc pacto Chriſtus, dum hîc in forma ſerui ambulauit, nec damnauit ſcortum, nec abſoluit etiam ciuiliter (non enim ad hoc miſſus aut vocatus fuerat, neq; ad hoc faciendum venerat) ſed abſtinuit a iudiciali cognitione iſta, fœminámque peccatricem (prout erat vocatio & officium Chriſti) a peccato ipſius ad ſanctam reſipiſcentiam gratioſè reuocauit. Quinetiam vt eſſet hoc exemplum aliquo modo ſimile, eo ſaltem foret diſſimile, quòd de fœmina quidem peccatrice agitur, ſed quæ primùm deprehenditur, quæque ad reſipiſcētiam reuocatur primùm: nulla fit contumaciæ illius mentio. Quæ autem exempla obijciuntur, Serueti & Gentilis, ea ſunt exempla hominum tam contumacium quàm qui maximè: quibus hominibus ſi fuiſſet parcitum, verè illud Ciceronis dictum fuiſſent dicturi boni, *Salutaris ſeueritas vincit inanem ſpeciem clementiæ.* Epiſt. 2. ad Brutum.

Quapropter tuæ illius, Samoſatene, argumētationis loco duas alias a nobis hoc in loco oportet ſuccedere; quarum altera bonorum virorum operam, quamuis immeritò a multis vellicatam, iudiciúmque probaturi ſumus, altera ſententiam aduerſam labefactaturi.

Prior: *Quicunque parent legi Chriſti, ij aguntur Spiritu Chriſti: Quicunque autem eos homines qui ſanctam Trinitatem perſonarum in vnitate eſſentiæ Dei negant, & oppugnant, & contumaciter fidem imperitiorum in Eccleſia cōtra publicum ordinem, quamuis moniti, euicti, vetiti, αὐτο-κατάκριτοι, conantur euertere, eos inquam morte plectendos omnibus remedijs tentatis ſtatuunt, parent legi Chriſti: Hi ergo aguntur Spiritu Chriſti:* ac proinde nullo iure, adeóque nulla ſpecie iuris Antichriſti dici poſſunt. Nam penes hos ſeueritas illa ſalutaris eſt, de qua modò dicebamus. Poſterior ex contrario, in eumdem modū: *Quicunque non parent legi Chriſti, aguntur ſpiritu Antichriſti: Quicunq; autem iſtos homines, quos modò circumſcripſimus, non eſſe tandem morte afficiendos ſtatuunt, non parent legi Chriſti: Hi ergo aguntur ſpiritu Antichriſti.* Sed hæc alibi a viris doctis copiosè fuerunt expoſita, quæ ſermones tui nobis extorſerunt, libentius in alio exercitationis genere operam conſumturis. Subijcis, *vnum verum Deum reipſa negari a nobis, verbíſque duntaxat agnoſci, cùm loco illius reuera tres diſtincti ponātur Dij.* Ergo, vir bone, ſic argumentaris, vt verè dicamus omnia, & euidenter ad omnia: *Quod vnum eſt, id trinum eſſe non poteſt: Deus vnus eſt: Deus igitur trinus eſſe non poteſt.* Hic ſenſus mentis tuæ: quem miror a te eſſe, qui alios doces: a Deo certè nō eſſe, optimè noui. Iam quid reſpondeamus, attende. Tua iſta, Samoſatene, argumentatio multis modis fallit, & falſa eſt. Illudis enim, tum æquiuocatione (vt vulgo dicitur) tum etiam elenchi ignoratione: quæ vitia quum incidunt, inconſequenti concluſioni ſimplice negatione tu ipſe, ſcio, reſponſurus eſſes. Æquiuocationem committis, quum dicis, *vnum*. Vnum? inquies: ecquid minùs æquiuocum eſſe quàm vnum poteſt? Tibi fortè non videtur:

detur: sed tamen, si veritati credis, me demonstrantem audies. Vnum duobus modis dicitur, absolutè, & relaté. Vnum absolutè dicitur, quod simplicem negationem vel remotionem omnis diuisionis statuit, & nihil aliud significat quã ens indiuisum, vt loquuntur Scholæ: ac propterea vnum hoc cum ente conuertitur, quia videlicet vnumquodque ens tamdiu conseruat suum esse, quamdiu conseruat vnitatem suam. Relatè verò appellatur vnum, quod est principiũ numeri, & respicit additionem ad ens, de quo modò loquuti sumus, per multiplicationem vnitatum. Itaque vnum quod cum ente conuertitur, siue absolutè dictum, multitudini opponitur per modum priuationis seu remotionis, vt indiuisum diuiso: vnum verò relatè dictum multitudini opponitur per modum adiectionis, quæ adiectio nihil est aliud quã numerus: & numerus ipse nihil nisi multitudo per vnum vnitatémve mensurata. Deo autem prior modus maximè propriè; posterior non nisi figuratè & catachresticè tribuitur, si ad essentiam respexeris: ausim etiam dicere, nunquam bene, si ad excellentiã diuinæ illius essentiæ aliquid contuleris, cùm omnino transcendat omnia. Quid enim iusta analogia per numeros componas cum Deo? Sed metuo vt hæc tuus fortè popellus intelligat, quem certè (vt mos est tuorum hominum) appellabis. Aliter itaque hoc idem mysterium tentemus dicere. Quodcunque vnum est, aut secundùm essentiam est, aut secundùm rationem vnum: nec vlla ratione id vnquam fieri potest, vt res eadem vna simpliciter secundùm essentiam aut rationem ipsius sit vnum & multa, nisi alium modum respexeris. Vnũ secundùm rationem, mathematicè in numeris obseruatur, & numeri in rebus numeratis. Quod autem secundùm essentiam vnum est, id

aut singulare indiuiduum est, quod subiectum vocant Logici: aut vnum commune, vt sunt totum, species, & genus: aut communissimum, vt est processio eorum quæ sunt ab vno. Hæc autem quæ in rerum natura sunt & dicuntur vnum, siue indiuisa, siue diuisa sint, hæc alio modo dicuntur multa. Nam ex eo quod subiecto vnum est, pro modo accidentium constituuntur multa: quod toto vnum est, secundùm partes in multa diuiditur: quæ specie sunt vnum, differunt numero: quæ vnum genere, differunt specie: quæ vnum principio vel causa (vt Græci olim dixerunt) multa sunt processionibus. Quid? nonne adhuc vides (si homo natus es) ea quę reipsa sunt vnum, esse & dici ratione multa & multiplicia? qui hoc nescit, naturam nescit. Nihil enim est in rerum natura, quod a lege ista possis eximere. Atq; hæc Physica sunt: quibus non secundùm idem, quia toto genere hæc ab illis differunt, sed potiùs secundùm analogiam respondent Metaphysica. Spiritales enim intelligentiæ, si ad singulas respexeris, singulæ vnum subiecto sunt: si ad commune, suum illis totum, suæ species, sua genera, sui processus tribuuntur iure: sed omnia spiritali ac supernaturali, non materiato, corporeo, & naturali modo. Iam verò cùm res diuinæ nō solùm Physicas, verumetiam metaphysicas omnibus modis superent, profectò deitas non genere aut specie cum re creata vlla conuenit (nam vnum absolutè est illius esse, infinitum vnum; non ergo vnum genere aut specie cum re creata vlla) sed esse illius est deitas, & totum infinitas simplicissima, quæ ratione solùm secundùm processiones, siue in ipsa, siue extra ipsam sint, vnitate integra permanente, distinguitur: vnitate autem prorsus indiuisa est secundùm essentiam & totam perfectionē eius. Hoc igitur pacto essentia Deus vnus

esse,

esse; processionis verò ratione trinus vel ternus dicitur creditúrque in Ecclesia Dei. Iámne vides, mi homo, propositionem tuam partim æquiuocatione vocis, *vnum*, partimque ignoratione elenchi laborare? subiectum enim & prædicatum quis iam non videat alio modo dici, cùm prius de essentia sit, posterius de ratione secundùm processum, quæ in essentia distinguitur? Dixeris fortasse, *Atqui vnum hoc est simplicissimum: quod autem est simplicissimum, id neque compositionem, neque processionem habere potest: nam quod compositionem aut processum habet, id non est simplicissimum.* Respōdeo, omnino quidem verum axioma esse, quicquid est aut simplex esse, aut compositum: prætereà quicquid est simplex, id & actu & potentia indiuisum esse; & quo simplicius, eo plus indiuisum dici oportere: postremò Deum esse simplicissimum simplicitate perfectissima atque incomparabili. Sed propositio ista de natura simplicium, quòd neque compositionem, neque processum habeant, ex parte vera est, ex parte falsa: plura enim habet interrogata (vt cum Logicis loquar) & differentia. Prius membrū verum est, quod vnum est simplicissimum, id esse compositionis expers actu & potentia: simplicissimum enim est illud, quod semper ita est vt est, nec aliter se habere potest: quæ proprietas rebus compositis non potest cōpetere. Posterius falsum, quod vnum est simplicissimum, id processionibus distingui non posse. Nam simplices sunt intelligentiæ seu spirituales formæ: hæ tamen processibus essentialibus distinguuntur, quos processus, quia essentiales sunt, ipsi etiam philosophi per abusionē partes ipsarum, Græci μόρια, appellarunt. Sic de esse illarum (vt ita loquamur) procedit intellectus agens, & ab eo gignitur actione (vt vocant) immanente, nec ad

res exteras transeunte: de vtroque verò, id est, de esse & intelligere, procedit velle secundùm processus spiritualis modum. Quis autem ita desipit, vt propter hos processus simplicitatem intelligentiarum spiritualiũ audeat tollere, aut contrà processiones istas ab ipsis & in ipsis fieri negare propter simplicitatem illarum? Idẽ ergo simul & simplex esse sua essentia potest, & processione multiplex, tamquam a principio vno. Iam de Deo vtrumq; videamus. Simplicissimũ esse Deum in æternum, & omnis compositionis expertem, piè agnoscimus atque confitemur, nec in eo deprehendi vllum posse compositionis modum: non compositionem partium quę quantitate finiantur (nõ enim corpus est) non formę & materiæ; non generis & differentiæ; non subiecti & accidentis; non naturarum inter se differentium, ex quibus aliud natura sit, aliud suppositum in ipso; non denique essentiæ & esse ipsius, quę tamen in formis intelligentibus & Metaphysica materia (vt ita loquamur) distingui solent. Atque hi omnes sunt compositionis modi, qui in rebus creatis obseruantur, & quorum nullus in Deo exsistit: simplicissimus igitur. Deum verò, qui est simplicissimus, nihil de sua simplicitate illa deperdere per processionem ipsius, ratio euincit manifestissimè. Nam cùm omnis processio sit secundùm aliquam actionem, certè secundùm actionem quæ fertur ad res exteras, processio aliqua est ad extera: secundùm actionem verò quę manet in agente, processio quædam interna est, nihil de simplicitate agentis minuens, vt iam exemplo formarum intelligentium ostendimus. Hac autem processione, quę fit secundùm agentis modum, Deum essentia vnum distinguimus. Est enim in illa vnica essentia subsistẽs principium, Pater; subsistens intelligere apud princi-

principium, Filius; & ſubſiſtens velle a Patre & Filio, Spiritus ſanctus, tres perſonæ, Deus vnus benedictus in ſecula. Amen. Sed *non eſt*, inquies, *eiuſdem modi proceßio, cùm hîc proceſſus æquè dicas ſubſiſtere ac principium ipſorum, in illis verò formis intelligentibus non item.* Atqui, mi homo, ſatis eſt in vno aliquo conuenire, vt ſit proceſſio: nam ſi per omnia conuenirent, eædem eſſent. Non ſunt autem eædem, ſed in vno aliquo conueniunt tamen, ſecundùm quod proceſſiones ſunt atque appellantur. Etenim exempli cauſa, in rebus creatis proceſſionum aliæ feruntur extrà, aliæ fiunt intus in agente & proceſſionis effectore: an tibi propterea hæc aut illa minùs digna eſt proceſſionis nomine? Ergo quid commune inter ipſas, quid ſingulare, videndū eſt, non rerum & verborum proprietas propter ignorationem oppugnanda. Ac proceſſio quidem ad extera, corporum eſt, nec ad hunc locum propriè pertinet: quod enim ſecundùm eam procedit extrà, ab eo a quo procedit diuerſum eſt. Altera verò proceſſio formarū intelligentium eſt propria: a quib. quicquid procedit, intelligibili emanatione procedit, nec procedit foras, nec ab eo a quo procedit diuerſum eſt; ſed cōtrà quantò perfectiùs procedit, tanto magis cum eo a quo procedit vnum eſt. Id tantùm intereſt, quòd in illis ea quæ procedunt non ſubſiſtunt per ſe: quia neque intelligere, neque velle illarum eſt ſubſtantia ipſarum, ſed manet in ea tamquam in principio ſuo. In diuinis verò ea quæ procedunt, ſubſiſtunt per ſe: ſubſiſtit intelligere, ſubſiſtit velle, quia intelligere & velle diuinum eſt ipſa ſubſtantia intelligētis & volētis Patris. Alioquin ſi Dei intelligere aliud eſſet quàm ſubſtantia eius, oporteret aliquid aliud eſſe actum & perfectionem ſubſtantiæ diuinæ, ad quod ſe ita haberet diuina ſubſtantia vt poten-

tia ad actum: quod impium est & blasphemum dicere. Est igitur in rebus creatis suus processionis modus, est in diuinis suus: sed cùm vterque ita sit contemperatus naturæ agentis, vt processio tota & quæ procedunt ei a quo procedunt respōdeant, nemini certè qui cum ratione iudicaturus est mirum videbitur, si creati spiritus simile quid & conueniens sibi, sed diuersum tamen, dicuntur producere: Deus verò Pater simile & idē planè, vt certa fide ex sacris Scripturis confitemur.

Atque hæc de maiore propositione tua (vt finem faciamus) satis. Ex his autem quid iudicij sit de minore tua faciendum, vides. *Deus vnus est*, inquis. Est certè essentia vnus, sed processione trinus, vt modò ostendimus: vnus absolutè, vt Ens indiuisum & simplicissimū, & ab omni diuisione & numeratione alienissimū: trinus verò, relatè, secundùm suum processionis modū, in vnitate essentiæ, Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Quamobrem conclusionis tuæ inanitatem vides: quam si cupis assequi (quod frustra cupias) alia tibi, mi homo, principia, aliud medium quærendum est.

Quæ pòst in vocem Trinitatis (vt antè) euomis, dissimulabo misertus tui, nec porrò exagitaturus sum: quia certum est mihi de rebus, nō de verbis audacter & licentiosè (ne quid grauius dicam) profusis agere. Veniam itaque ad ratiunculam illam humanā tuam, qua affirmas satis pro auctoritate, *Quum quis dicit, Deus vnus & trinus, non aliter hæc sonare atque concordare, quàm si quis diceret Deum esse spiritum & corpus*, &c. Nempe concludis hoc corollarium ex præcedentibus, quæ modò falsi reuicimus. Sed vt de hoc auctario tuo seorsim dicamus, negamus similia adferri a te in hac affirmatione. Et quia te; hominem in disputando acerrimum, video æstu animi abreptum nō satis atten-

disse ad contrariorum modum, quum æterno terrenum opponeres, vt ἐν κεφαλαίῳ complectar omnia, hoc esto argumentum tuum: *Non possunt contraria gradibus excellentibus in eodem subiecto simul exsistere: Deum autem vnum & trinum esse tam sunt contraria, quàm spiritum esse & corpus, æternum & non æternum, bonum & malum: Deus ergo vnus & trinus simul esse non potest.* Tu verò, Samosatene, replica quæso, memoriam earum rerum quas modò respondimus: & actum esse de tuo argumento senties. Maiorem vt negemus absit: Sed assumtio tua æquiuocatione, & elenchi ignoratione fallit eadem planè quam in superiore tua argumentatione reteximus. Quid ergo est quod ita posis concludere? Dicerem etiam in similibus adferri dissimilia. Sed nunquam mihi placuit esse in alienis rebus curiosum. Quamobrem ad alia contendamus.

SAMOSATENVS. 4.

VERVM *his omissis aduersus Antichristum probationibus, producam verba ipsius Athanasij in celebri illo (si Deo placet) symbolo Nicæno: fides catholica hæc est, vt vnũ Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Similiter testantur libri Hieronymi Zanchij de tribus Elohim. Iam quæso ipse animaduerte, an non hîc ipso titulo profiteantur tres Deos, cùm tres Elohim nihil sit aliud quàm tres Dij. Dijudica iam, quæso, apud te, num hæc conueniant cum sacra Scriptura: quæ multo veriùs nos docet 1. Corinth. 8. Etiamsi sint qui dicantur dij & in cælo, & in terra (sicut dij multi, & domini multi) Nobis tamen vnus est Deus (nota) Pater ille, a quo omnia, & nos in ipso. item Ioan. 17. Pater, hæc est vita æterna, vt te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hæc duo Noui te-*

ſtamenti loca longè omnium clariſsima nónne euidenter ac velut in ſpecie declarăt, quis ſit vnus ille Deus Iſraëlis, quem Moſes & Prophetæ veteris Teſtamenti, itémque Chriſtus & Apoſtoli in Teſtamento nouo annunciarunt? Quapropter ego iam ingentes ago gratias Deo ſeruatori meo, quòd me pro ſua ineffabili bonitate ab huiuſmodi erroribus liberarit & eripuerit, atque ad veram cognitionem ſui voluerit pertrahere.

ORTHODOXVS.

EADEM chorda oberrat Samoſatenus, quũ binos locos inter ſe comparat, vt hac confirmatione antecedentium ſermonum ſuorum, veritatem Dei, quæ eſt a nobis, arietet. Symbolum Nicænum adfert, & inſcriptionem Zanchiani operis: atque hæc contendit cum duobus Scripturæ locis. Athanaſij & Nicænorum patrum, ſanctiſsimorum hominum, auctoritatem ſuggillat exagitans ſymboli de Trinitate verba. Nos autẽ proximè præcedente loco ſatis oſtendimus & vanitatem obiectionis iſtius, & orthodoxæ affirmationis illius a Nicæna Synodo veritatem. Non illudens, Samoſatene, ſed credens veritati, viceris: quin potiùs vicerit Veritas. De Zanchiano opere, dic bona fide, mi homo, legiſti aliquando librum? Si legiſti, quid verba vellicas? quid aucuparis? nam mentem ſuam aperit euidentiſsimè contra mentem tuam. Si non legiſti (quod ego quidem magis putem) quo tandem iure ex nuda inſcriptione de opere viri eruditiſsimi iudicium facis? Sed vt miſſo libro, in quo ex profeſſo errores tui euertuntur, ad tua veniam, ſic argumentaris. *Qui tres Elohim dicit, nihil aliud dicit quàm tres Deos: Zanchius dicit tres Elohim: tres Deos igitur.* Sed heus tu, Samoſatene, quid ſi e diuerſo regeram? *Qui tres Deos negat & religiosè*

ligiosè oppugnat certißima auctoritate Scripturæ, is alia mente dixisse tres Elohim putandus est; Zanchius treis Deos negat: Ergo alia mente treis Elohim dixerit Zanchius. Negat autem operosissimè in eo ipso opere, & oppugnat doctrinam istam πολυθεότητ☉ diligentissimè: adeò vt quisquis tres Deos a Zanchio affirmari dicit, eum hominem aut non legisse, aut non meminisse oporteat, aut denique mente non esse integra. Quia verò tam bellè, Samosatene, tendiculas verborum didicisti ponere, age, loquutionem istam expendamus. *Elohim* nomen esse commune, ac non Dei proprium, significatione docemur & terminatione ipsius. Principem, magistratúmque significat, cui iureiurando & exsecratione populares obstricti sunt, vt ipse Paulus non paulo melior Hebræus quàm ego aut tu, interpretatus est Act. 23. sed κατ' ἐξοχὴν propter officium dignitatémq; Deo tribuitur. Plurale est terminatione, vt antè principio proximè præcedentis loci docuimus, numero plurali commune aliquid denotãs inter personas plureis, quarũ hæc principatum æquè ac illa obtinet. Sed essentia vna, majestas vna, principatus vnus & idem harum personarum, quæ distinctæ sunt inter se in vnitate essentiæ, vbique fermè in Testamento vetere appositione adiuncti nominis, verbi, aut vtriusque, demonstratur. Exempli causa, *in principio creauit Elohim cœlum & terram:* Genes. 1. *qua die Iehoua Elohim fecit terram & cœlum:* Genes. 2. *præiturus est vobis Iehoua, & extrema acies vestra erit Elohim Israëlis:* Esai. 52. & similia. Cùm igitur voce *Elohim* officium essentię proprium, personarúmque commune in vnitate essentiæ denotetur: quid est, cur tantopere inscriptionem istam, *de tribus Elohim*, exagites? *Elohim* vnus si dicitur, ad vnitatem essentiæ reducuntur personę: si tres, personę distinguũtur, vt interdũ etiam

Genes.20 in vetere Testamento factũ. Sic enim Abraham, *quum*
Iosuæ 24. *facerent Elohim vt errarem e domo patris mei.* Sic etiam
Esai.54. Iosue, *non potestis*, inquit, *colere Iehouam: quia Elohim*
Ierem.10 *sancti est.* sic Esaias, *Coniuges tui erunt opifices tui, cuius nomen Iehoua exercituum: & vindex tuus Sanctus Israëlis, Elohim totius terræ vocabitur.* & Ieremias quoque, *Iehoua Elohim veritatis, Elohim viuentes, & rex sempiternus*: & alia non pauca in eundem modum. Noli, quæso, Samosatene, tam fastidiosus esse, vt in alienis verbis curiosus, in interpretamentis morosus, in iudicijs durior videare, & in aliena scriptione, tamquam in mensa, μαϑυολιχός. Ego certè non statui is esse erga te, quem te in alios exhibes: vt in tuo illo errore, quem video, horreo, & lugeo, æquitatem animi mei experiaris, & sentias lenitatem Christi capientis de te misericordiã, si te misereat tui. Vides hanc loquutionem a Scriptura sacra nõ aberrare: vides æqua solùm mente opus esse ad interpretationem illius: vide igitur, amabo te, ne porrò (vt facis) neges hæc cõuenire cum Scriptura sacra. Tam enim conueniunt cum Scriptura sacra, quàm scriptura ipsa secum, quia ex Scriptura sunt. Ex ea autẽ quæ dicuntur, dicuntur rectè, nec nisi insidiosè in alium sensum, quàm qui a Scripturis est, traducuntur. Venio ad locos testamenti noui, quos Nicæno symbolo & Zanchianæ inscriptioni dicis aduersari: nos negamus. Prior locus est 1. Cor. 8. *nobis vnus est Deus Pater*, &c. Hîc verò, Samosatene, vtrum magis in te desiderem, nescio, iudicium, an fidem. Ad argumentationem Pauli te attendere oportebat, ad contextum verborum, ad membrorum quæ in eo versu sunt analogiam, vt commodè loco hoc atque ex veritate vteris. Quamobrem hæc agamus. De idolothytis agens Apostolus ostendit, scientibus timentibúsque Dei non obesse

obesse idolothyta, sed nescientibus Deum obesse, & ijs qui scientia sua, neglectis alijs fratribus suis, abutuntur. De pijs scientibus ita statuit versu 4. *Qui sciunt idolum nihil esse in mundo* (nimirum re, virtute, efficacitate nihil) *& nullum Deũ alium esse nisi vnum*, vt qui vnus re, virtute, efficacitate in mundo sit, possit, & præstet omnia, ij non afficiuntur idolothytorum conscientia, sed libertate Christiana gaudent. Hoc dictum enarrat duobus vers. sequentibus, sublata æquiuocatione nominis, *Deus*, & oppositione seruata. Nam *qui dij*, inquit, *& domini dicuntur* & non sunt, ij vt reipsa nihil sunt, sic virtute nihil possunt, nihil præstant opere; vt qui ex sola hominum opinione dij sint, & nuncupatione sola per impiam abusionem ipsis attributa dij & domini censeantur: *nobis verò* scientibus atque in veritate institutis *non est Deus alius nisi vnus*, Deus inquam & Dominus essentia vnus, personæ plures, vt vers. 4. & 6. ostendit comparatio. Contextu verborum luculentissimè demonstratur hæc interpretatio. Nã quod vers. 4. vnica Dei appellatione enunciauerat, dicendo, *nullus est Deus nisi vnus*, idem posteà duabus vocibus exprimit, tum æquiuocationem soluendo in vers. 5. dicendo, *prout sunt dij multi, & domini multi*, tum illũ vnum verum Deũ asserendo qui Deus & Dominus est, vers. 6. non duo dij & domini, quum inquit, *Nobis tamen vnus est Deus Pater*, &c. Sed inquies, distinctè *Deus Pater*, *& Iesus Christus Dominus* appellantur. Distinctè quidem, ita est; sed non oppositè siue disparatè: nam Pater & Filius sunt vnus Deus, vers. 4. aut (si placet Christi verbis vti) Pater & Filius sunt vnum: sunt ergo vnus Deus, Ioan. 10.
& Dominus vnus, quod Syrus interpres commodè obseruauit. Analogia verò membrorum in hoc versu, omnino vincit hęc ita accipi oportere. Vt enim quum

Iesus Christus appellatur *vnus Dominus*, Pater non excluditur, sed vnum commune dominium sanctè intelligimus Patris & Filij: sic e diuerso, quum *vnus Deus* appellatur Pater, non excluditur Filius, sed vna communis deitas intelligenda est: quam analogiam suprà in segmento 2. Irenæi & Origenis verbis ostendimus. Stabilitur ergo, non infirmatur symbolum Athanasij, & Nicænæ Synodi sententia, huius loci, quem obijcis, cõparatione. Secundi loci Ioan. 17. eadem ratio. Ac primùm quidem figura dictionis te, Samosatene, falli res ipsa loquitur: nam illa verba, *esse solum verũ Deum*, communia sunt vtriusque membri, quam figuram populariùs (si placet) expresseris in hunc modum, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum, esse solum illum verum Deum*, personas quidem distinctas, sed in essentiæ tamen vnitate. Verumtamen etiamsi res non ita esset, vt dicimus, sed hoc attributũ de Patre solùm in eo loco prædicaretur: quę noua sciẽtia, quæ ars te, Samosatene docuit ex particulari sine determinatione aliqua restringente rationem cõmunis diminui aut dilatari oportere? Hoc certè nouum & inauditum axioma est, *Deus Pater est solus verus Deus, ergo Deus Filius non est solus verus Deus*: nam Pater & Filius sunt vnum, id est, vnus Deus, qui solus est verus Deus. Cur ergo dicitur *solus?* Nempe dictione *solus*, nõ opponitur categorematicè persona vna alteri quæ essentiâ diuinâ communicet: nam prædicatum, *solus verus Deus*, ad essentiam respicit quæ prædicatur de Patris persona, quæ persona est Deus, & ea quidem deitate quam habet solus verus Deus: sed Deus solus verus omnibus falsis opponitur, qui verè non sunt, sed falsò dicuntur dij, vt præcedente loco distinxit Paulus. Quapropter etiam Christus simpliciter non dixit, solum

Deum,

Deum, ſed *ſolum verum*, vt falſos omneis Deos excludi hac voce *ſolus* oſtenderet ſyncategorematicé. Tu verò, mi Samoſatene, ſi te iuuat fallaciam diuiſionis & compoſitionis ſtruere, dicendo voluiſſe Chriſtum aliud, nempe, vt *te ſolum cognoſcant eſſe verum Deum*, & ad ſolam perſonam Patris reſtringere, quid aſſequêris? nempe concludes Chriſtum non eſſe verum Deum. Ergo falſum Deum, ergo non Deum eſſe dicito; nec porrò tergiuerſatione vtitor. Abſit, inquies, vt hoc dicam: ſed verum Deum accipio pro eſſentialiter Deo, qui natura ſit Deus (is autem eſt Deus Pater) & huic vero Deo oppono Deum factum, nimirum Chriſtum (quem Deum & Dominum fecit Pater) & quotquot dij falſi ſunt. Horreo audiens, vel cogitans: ſed ad rem. Nónne vides, Samoſatene, te hoc pacto nomen illud, *verus*, ſemel poſitum in vnica ſententia accipere æquiuocé? Nam ex contrarijs cōtrariorum naturam diſcimus. Vero autem ſtatuis contraria duo, id eſt, eſſentiali, vt tu interpretaris: huic factum, & falſum opponis, id eſt, quorum prior Deus eſt, at non eſſentialiter; poſterior non eſt Deus. Hæc autem non ſunt in eodē genere: contrarium igitur, *verus*, æquiuocum eſt tibi, ſemel dictum, & in vno eodémque membro. Hæc quidem certè inaudita Logica. Deinde ſi Chriſtum Deum factum putas, an non verum Deum propterea putas quòd factus ſit? Hoc verò, mi homo, nulla ratione, nullo exemplo confirmaturus es, nulla auctoritate ſcripturæ. Etenim cùm multa eſſe vera nouimus quæ non ſunt eſſentialia, tum nihil a Deo factum quod non ſit verum, & verum a nobis haberi oporteat. Sed de veritate deitatis in perſona Chriſti retinenda, commodè in primum caput Ioannis dicturi ſumus. Concludimus ergo vnum illum Deum Iſraëlis teſtamēto vetere

& nouo annunciatum verè vnum esse vnitate essentię, quam affirmas: sed eamdem vnitatem Trinitati personarum, quam ex Scripturis didicimus, minimè aduersari, quámque orthodoxi illi prisci Patres & homines nostri vno consensu tradiderunt. Ac propterea gratias Deo vni trino agimus, quòd se nobis tam gratiosè reuelarit, rogamúsque vt de salute multorum ab ipso aberrantium deinceps eas ampliùs possimus agere per misericordiam ipsius.

SAMOSATENVS. 5.

QVO *autem meliùs mentem meam poßis perspicere, proferam adhuc aliquot locos ex monumentis diuinis, quamuis sint innumeri, de vno & eodem vero Deo. Horum primus est Ioannis 8. quum Christus Iudæis inquit, Quem vos dicitis Deum esse vestrum, is Pater meus est. & Act. 3. Deus Patrum nostrorum, Deus Abraham, Isaac, & Iacob, excitauit Filium suum. Romana autem Ecclesia & eius asseclæ negant Patrem esse Deum Abraham, Isaac, & Iacob, & loco huius vnius Deum trinitatem collocant: immo sacrilegium committi putant, siquis solum Patrem Iesu Christi fateatur esse Deum Abraham, Isaac, & Iacob. Hoc autem, si Trinitas indiuidua esset, inde sequeretur, quòd Christus Iesus homo esset suus ipsius pater & Abrahami pater. Itaque iam quaternitas, ac non Trinitas constabilita est.*

ORTHODOXVS.

IDEM saxum versas, Samosatene, quod paulo cōmouisti anteà. Responsio eadem. Quid in re probata & confessa ampliùs probanda operam consumis? *De vno & eodem vero Deo*, inquis. Hunc nos æquè prædica-

mus

mus actu: credimus meliùs quàm tu: ſpondere audeo. Ergo vnus Deus eſt, vna eſſentia Dei: hactenus inter nos conuenit. Si vnus, indiuiſus eſt: & de hoc conuenit. Sed hoc affectas, hoc nos docere vis: Si vnus, ergo indiſtinctus perſonis vel hypoſtaſibus. Negamus conſequentiam: & iuſtè negari ſegmento 3. antè docuimus. Sed probationes audiamus. *Chriſtus Iudæis dixit, Quem vos dicitis Deum eſſe veſtrum, is Pater meus eſt. & Act. 3. Deus Patrum noſtr. &c.* Hinc ſic argumentaris, iudicio meo: *Deus Patrum, Deus Abrahami, Iſaaci, Iacobi, & Iudæorum Deus eſt Pater Chriſti: Trinitas non eſt Pater Chriſti: Trinitas ergo non eſt illorum Deus:* ſed e conuerſo, *Pater Chriſti eſt eſſentia & perſona vnicus: Vnicus igitur eſt eſſentia & perſona illorum Deus.* Maiorem non grauatè daturus eſſem, ſi commodè intelligeretur. Sed tria ſunt tamen, quæ in ea cogimur deſiderare. Primùm enim vitioſa eſt propoſitio, in qua ſingulare de communi prædicatur. Illud autē, *Pater Chriſti*, ſingulare eſt perſonæ: *Deus Patrum*, &c. commune Patris, Filij, & Spiritus ſancti. Vt ergo iuſta ſit Propoſitio, conuerſis terminis dicendum eſt, *Pater Chriſti eſt Deus Patrum*, &c. atque ita ſe habere propoſitionem Chriſti verba Ioannis demonſtrant luculentiſſimè, in quibus ſubiectum propoſitionis illud eſt vtroq; membro: *Pater meus eſt*, inquit, *qui glorificat me, quem vos dicitis Deum veſtrum eſſe.* Subiectum propoſitionis eſt *Pater*, prædicatum *Deus veſter:* quod te non vidiſſe miror. Secundò iniqua eſt argumentandi ratio a dicto ſecundùm quid (vt loquuntur) ad dictum ſimpliciter, ab eo quod ſecundùm relationem dicitur ad dictū abſolutè, cùm relatio ſit perſonarum, enunciata verò de eſſentia abſoluta ſint, vt antè oſtendimus: aut etiam (ſi mauis) ab affirmatione particularis ad negationem

communis: *Pater est Deus; ergo nec Filius, nec Spiritus sanctus Deus est*: tamquam si dixeris, Petrus est homo, vel est Apostolus; ergo Ioannes, Iacobus, Paulus, non sunt homines, vel non sunt Apostoli. Relatè autem illa verba dici qui non videt, cæcus est: qui videns negat, impudens. Nam persona Christi est quæ loquitur, & loquitur de Patre suo: relatè igitur de Patre & Filio. Tertiò restituta maiore per conuersionem, quam fieri demonstrauimus oportere, nihil efficitur vtrauis argumentatione, quam antè adduximus. Priore nihil, quũ dicitur, *Trinitas non est Pater Christi: ergo.* nam in prima figura syllogismorum, vt loquuntur Logici, nihil sequitur, quum minor negatiua est: & meritò, quia prædicatum latius subiecto oportet esse: ex remotione autem subiecti (quod est angustius) vel positione illius, non potest generis aut communioris prædicati fieri iustè remotio; vt tu, Samosatene, per nouam quamdam Logicam videris facere. Posteriore cõsimiliter nihil assequêris: nam vt illa duo taceam quæ antè posui, maiorem vitiosam esse; tum si conuérteris, non sequi ex particulari negationem communis: id etiam accedit, quòd iniqua est argumenti forma atque incõsequens, quia in tertia figura & syllogismo expositorio (qui partus est illius) nulla vnquam ratione potest vniuersalis esse conclusio, aut vniuersali consonans. Quid ergo istis miseris argumentationibus facias? Vt eas reformes in melius, Deum oro vt te reformet sapientia & misericordia sua. Quæ posteà dicis, Samosatene, verba sunt: *negari a nobis, Patrem esse Deum Abraham, Isaac, & Iacob*: falsum crimen, & a malitiosis auctoribus confictum. *nos loco vnius Dei Patris collocare Deum Trinitatem*: falsum, nam & persona est vna Trinitatis Pater, & extra relationem personarum vnus est sanctæ

Trini-

Trinitatis locus(vt tuis vocibus vtamur)quia Deus est vnicus in vnitate & infinitate essentiæ suæ. *Putare nos committi sacrilegium, siquis solum Patrem Iesu Christi fateatur esse Deum Abraham, Isaac, & Iacob:* captiosè dictum. Nam si *solum* illud tuum opponis dijs opinabilibus aut creaturis omnibus, non est sacrilegium: nam solus ille Deus Pater, in quo est Filius & Spiritus sanctus vnitate essentiæ infinitæ atque indiuisæ; ille solus est Deus: si personam Patris opponis personæ Filij, vt excludatur dictione *solus*, hoc demum sacrilegiũ esse agnoscimus: in quod tu, Samosatene, ruis miserrimè, quum ex diuersitate personæ diuersitatem struis essentiæ. Quid autem? nónne vides ex illis ipsis locis, quos adducis, contrariam tuæ sententiam, id est, orthodoxam nostram confirmari? at tam clarè & apertè id loquuntur verba, vt ipsi Iudæi senserint, viderint, inuiderint, & de lapidatione ipsius (vt antè cap.5.) cogitauerint. Nam & Patris nomen habetur & Filij. *Quisquis autem verè est pater, is verè gignit filium eiusdem secum essentiæ, quamuis persona distinctum diuersúmque; & contrà quisquis verè filius, eadem essentia verè est genitus, persona alius, non aliud essentia: Pater autem verè est pater Filij, & hic vicissim Filius Dei Patris: ergo Deus Pater & Filius eadem essentia sunt, persona dictinctæ.* Recurres, scio, ad æquiuocationem, qua verissimum hoc argumentum putas eludere: at nos in diuinis æquiuocationem hanc negamus esse, in nostris concedimus. Exemplo dissimilimo certissimam argumentationem nunquam dissolueris. Postremò absurdis pugnas, in hunc modum, siquis tamen modus est argumentationis tuæ: *Si Trinitas*, inquis, *indiuidua est, Iesus Christus homo est pater suus: est pater Abrahami: denique iam quaternitas, ac non Trinitas est.* Negamus consequentias

tuas, Samosatene, cùm nullo iusto medio antecedenti aptari possint. Verbi gratia, vt primum absurdum obtineas, sic statuis: *Trinitas indiuisa est* (hoc enim malo quàm indiuidua, vt caueatur æquiuocatio) *& re nimirum ipsa & operatione: quod ergo est vnius personæ, idem & alterius.* Ex hac arena prosyllogismi tui huic nectis alterum: *Pater est pater Iesu Christi hominis: ergo Christus Iesus homo est Pater suus.* Quàm multis modis peccas, Samosatene, dum tibi ipse videris sapere! Primùm captiosa est propositio, *Trinitatem indiuisam esse*: quam alioquin propriè simplicitérque sumtam concedimus atque affirmamus religiosissimè: Atque hoc modo sumta nihil ad tuam mentem argumentationémque pertinet. Tum *operationem indiuisam esse*, vt essentia indiuisa est, ex parte negatur, ex parte datur. Nam operationum aliæ sunt essentiales, aliæ personales & œconomicæ: omnes binis terminis circumclusæ, a quibus distinguuntur & diuisionem habent: nempe termino a quo, (vt vocant) & termino ad quem. Essentiales sunt, quæ a termino cõmuni proficiscuntur, id est, ab essentia Dei, & in termino communi desinunt, id est, in creatura Dei. Hoc genus Patres, breuitatis causa commoditatísque, opera ad extra nominabant. Personales vel œconomicæ duûm sunt generum: nam aliæ terminũ vtrumque singularem habent, aliæ a termino singulari ad communem deferuntur. Terminus singularis est persona vna: modus operationis œconomia vel dispositio Patribus dicta est, alijs etiam dispensatio. Prius œconomiæ genus ad ea opera pertinet quæ ad intra vulgo appellantur. Hæc autem opera illa sunt, quæ intus persona vna deitatis in alteram nullo foris interueniente medio operatur: vt Pater gignere & mittere Filium, Pater & Filius Spiritum sanctum spirare dicitur

& mit-

& mittere. Posterius genus œconomię ad ea opera pertinet quæ ad extra quidem sunt, sed tamen suum habēt terminum operationis ab vna aliqua persona sanctæ Trinitatis secundùm rationem illius œconomiæ: siue in quibus principium actus est virtus diuina communiter ad omneis personas se habens, terminus autem est persona. qua ratione Patrem Creatorem, Filium incarnatum, & Redemtorem, Spiritum sanctificantē appellamus, & similia multa. Hæc enim opera etsi a communi principio operante, id est, ab essentia manant, tamen commodè etiam præeunte Scriptura secundùm principialem terminum (vt ita loquamur) distincta sunt. Ergo & personales actiones secundùm se diuisas esse inter personas iā vides, & in ijs quæ essentiales sunt, etiam distinctionem a Scripturis sacris secundùm principialem terminum adhiberi. Quod si est (vt profectò est) quis sanus hanc tuam propositionem concesserit? Prætereà omisso antecedente, consequens illud tuum, Samosatene, verum negamus esse, nec vllo iusto medio probari posse. Si quod enim est, hoc certè futurum est, *inter ea quæ indiuisa sunt, omnia sic esse communia, vt quicquid opus vnius est idem sit alterius*. Atqui hoc ipsum medium falsum est. Nam, exempli caussa, in homine corpus & anima indiuisa sunt: an verò tibi, Samosatene, tam videris corpore aut calcaneo cogitare & ratiocinari, quàm mente? corpus vnum est: an continuò tam vides auribus quàm oculis? an æquè postica corporis tui parte articulísve pedū quàm naribus odoraris, aut prendis manibus? En tibi vires prosyllogismi tui. De syllogismo, quid? *Quod est*, inquis, *vnius personæ, idem & alterius*. Negare possem in alijs rebus: in hoc argumento si rectè intelligitur, concedo dictum. Rectè autem intelligetur, si distinctionē

hanc adhibueris, verum esse dictum, extra quàm si de ratione personę siue personalitatis (vt vocant) & rerũ personalium egeris. Hac enim exceptione sublata, non iam duæ personæ, sed vna persona dicenda est. Hîc verò, amabo te, attende ad assumtionem tuam. *Pater*, inquis, *est pater Iesu Christi hominis*: quid magis personarum definitiuum est, quàm Patrem & Filium appellari? hoc autem nos excepimus; & pueruli, quum primùm ratiũcula abuti possunt, excepturi essent, si apud eos argumentareris hoc modo. Nam proprium est patris, vt sit pater: filij, vt filius. ita est apud nos. Deinde illud tuum, Samosatene, additamentum *hominis*, quid ad rem facit? Nam siue intelligas, qui est homo, siue quà homo, vtrumuis dixeris, æquè claudicat tua argumentatio: mera plocis, non verus syllogismus est. Valeat igitur conclusio tua, & prout falso tibicine & confuso fulta est, vel te iudice sinatur ruere. Ad alia veniamus. Sequentia absurda duo ab eodem fonte, eodem modo, id est, ἀσυλλογίςῳ profluxerunt. *Ergo*, inquis, *Iesus Christus homo est pater Abrahami*. Negatur consequens ex mente tua intellectum, vt antè: falsum enim. Quòd si tibicinem illum tuum aduocaueris, vt facis, eumdem modò nos, te vidente & dolente, subruimus. Quid ergo miseris tuis argumentationibus facias? quid ambiguis enunciatis & versatilibus? nam quum dicis, *Iesus Christus homo est pater Abrahami*, illudis ambiguo. Etenim *Iesus Christus homo*, id est, qui homo est, idem *est Abrahami pater*: nimirum quà Deus est. Nam Deus Pater noster est omnium; secundùm naturam, omniũ hominum; secundùm gratiam, electorum. Sed *Iesus Christus homo*, id est, quà homo, non pater Abrahami, sed filius eius dicendus est: quod Apostolus quàmplurimis in locis dicit, *secundùm carnem*.

Vtrum-

Vtrumque rectè de eodem, ſed non ratione eiuſdem prædicatur. De altero abſurdo, iudicium idem. *Ergo*, inquis, *iam quaternitas, ac non Trinitas constabilita eſt*. Quouſque tandem nos, Samoſatene, ampliſſima illa myſteria mediáq; abſtruſiſſima tuarum argumentationum celaturus es? excute ſinum tuum, & opes effunde ingenij tui, vt aliquo ſaltem contextu rationum iſtarum colluſtremur. Vnde enim concluſio hæc? ſi ex antecedentibus principijs, euerſa ſunt: ſi ex alijs, at ea merſa ſunt in tuo pectore, neque ex vllo tuarũ literarum veſtigio a nobis quidem deprehẽdi poſſunt. Verumtamen ſic mihi videris argumentari: *Trinitati vnum ſi addideris, eſt quaternitas: Iſti autem homines Trinitati perſonarum, quam æternam in diuinis ſtatuunt, addunt vnum, Ieſum Chriſtum hominem: eſt igitur quaternitas*. Fallacia multiplex. Primùm ambigua maior, quia vnum indefinitè dicitur, etiam de re quæ iuſtam conuenientiam non habeat cum reliquis quæ ſimul ordinantur: quo ſenſu falſa eſt propoſitio. Nam tribus hominibus vnà ſtantibus ſi ſcamnum admouebitur, non eſt proptereà dicenda quaternitas, cùm rerum conuenientium, ac non alienarum inſtituatur comparatio. Sed illud concedimus, Trinitati perſonarum vnam ſi addideris, tum earum quaternitatem eſſe. Minor verò propoſitio alium terminum adfert, ex quo exſurgunt termini quatuor in iſta argumentatione, & ſimul falſa eſt, ne longiores ſimus. Falſum eſt, Trinitati perſonarum addi a nobis Ieſum Chriſtum hominem: nam Ieſus Chriſtus ille, qui idem homo eſt in aſſumta natura noſtra, ac non alter, de illa Trinitate eſt, ſecunda perſona ęternùm genita a perſona Patris. Malè autem eadem ſecunda perſona & quarta dicitur, vt quaternitas falsò nobis impingatur. Perſonam vnam eſſe & indiui-

sam credimus: quomodo ex vna faciamus duas? Termini quatuor sunt in ambiguo loquutionis, quum Samosatenus dicit, *Iesum Christum hominem*. Nam si intelligit, Christum qui est homo, negamus personam vnam Trinitati additam, vt modò diximus: sin Christum quà homo, id est, humanitatem Christi intelligit accessisse: primùm negamus accessisse, assumtam dicimus: secundò negamus a Trinitate assumtam, a persona dicimus assumtam in vnitatem personæ: tertiò negamus humanitatem personam esse, sed tantùm naturam ἐνυπόστατον: postremò negamus humanitati Christi eam conuenientiam esse cum deitate & sancta Trinitate, qua simul ordinari cum ea ex æquo possit, vt dicatur quaternitas. Si enim humanitatem hanc, quamuis adunatam personaliter, cum diuinitate personæ Christi nullo pacto comparari posse iudicamus, qui singularem illam vnionis gratiam admiramur: qua fronte dicemur eam Trinitati personarum addere, & quaternitatem efficere? Conclusio igitur falsa, nugas magis theatri redolens, quàm de riuis fluens sapientiæ.

SAMOSATENVS. 6.

ITEM *Apostolus Colossens. 1. Christus, inquit, est imago Dei inuisibilis. & Hebræ. 1. Christus est splendor gloriæ Dei, & figura substantiæ eius. Trinitarij verò contrà Christus est, inquiunt, ipsemet Deus inuisibilis, & illa ipsa Dei substantia. Ergo secundùm Theologiam istorum Deus ipsemet & imago Dei sunt idem: quæ duo tantum inter se differunt, quantum cælum & terra. Itaque cælum terræ miscent isti Theologi, quum filium altissimi habent pro ipso altissimo, cùm ipsa etiam Scriptura hîc constituat discrimen maximum.*

ORTHO-

ORTHODOXVS.

QVÆ duo testimonia hoc loco, Samosatene, ex Scripturis adfers, sunt metaphorica: ideóque ad proprium loquutionis & interpretationis modum reuocanda, vt iusta exstet eorum interpretatio. De vtroque, si placet, videbimus. Ex priore loco sic argumentaris: *Quod expressum est imagine, & imago exprimens, non sunt idem: Christus est imago Dei inuisibilis: Christus ergo & Deus inuisibilis non sunt idem.* Maior si fiat vniuersalis, negatur simpliciter: si indefinitè acceperis, ex puris particularibus nihil consequéris. Sed vt ampliùs rem & rudiùs demonstremus, hæc ipsa maior, prout indefinita est, opus habet distinctione, cùm ex parte vera & ex parte falsa sit: prætereà æquiuocationem habet vitiosam. Distinctio pendet ex *imaginis* intelligentia: nam imago aut perfecta, aut imperfecta est. Perfecta est, cui nõ deest aliquid quod insit illi de quo expressa est, sed ei respondet similitudine plena & æqualitate simul. Atque hæc mens fuit Hilarij, quum diceret, *imago est eius rei ad quam imaginatur, species indifferens.* Hęc enim imago essentialis est, in identitate (vt loquuntur) naturæ posita. Imperfecta imago est, quæ non perfectè respondet exemplari de quo expressa est, sed aliqua similitudine, ac non secundùm æqualitatem plena. Æquiuocatio verò in nomine, *idem*, manifesta est. Nam aut idem essentiâ dicitur, neutro genere; aut idem personâ, masculino. Secundùm illud perfectum genus imaginis exemplar & imago sunt idem essentia, *vnum sunt*, vt loquitur Christus; quamuis non idem persona aut subsistentia: Secundùm hoc imperfectum, vtroq; modo vera est propositio, hoc & illud non esse idem: nam quę huius sunt generis, ea propriè non sunt idem, sed tantùm æquiuocé. Hinc facilis est minoris proposi-

Lib. de synod.

Ioan. 10.

tionis intelligentia: præsertim si hoc animaduertamus quod citra omnem exceptionem est verissimum, in rebus diuinis nihil nisi in summa absolutissimáq; perfectione iustè cogitari, credi, aut dici posse: Cùm autē hîc res planè diuinæ agantur, propterea imaginem nō istam imperfectam & rudem, sed illam perfectam absolutámque oportere intelligi. Secundùm hanc ergo rationem *Christus est imago Dei inuisibilis*, alius a Deo Patre secundùm personam (imago quippe est) non aliud secundùm essentiam, sed idem cum Patre: nam imago perfecta est. Imago igitur Dei (vt cum Augustino loquar) est in filio primogenito ipsius Christo, sicut imago regis in filio eius est, cōmunis naturæ cum patre, secundùm rationē perfectæ imaginis: in homine autem est imago Dei sicut in natura aliena, vt imago Cæsaris in denario, vel regis in nummo argenteo, secundùm imaginis imperfectæ modum. Cōclusionem ergo accipio rectè intellectam, & sublata ambiguitate. Nam Christus & Pater Deus inuisibilis non sunt idem, masculino genere: nō sunt vna eadémque persona. Sed diuerso genere veram esse nego, si quis dixerit non esse Patrem & Filium essentia idem; cùm Christus apertè

Ioan. 10. dixerit, *ego & Pater vnum sumus*. Ex posteriore loco videris sic argumentari: *Qui splendor est gloriæ alterius, & figura substantiæ eius, nō est idem cum illo: Christus est splendor gloriæ Dei, &c. non igitur cum Deo Patre idem.* Non est ouum ouo similius, quàm hæc argumentatio precedenti proximè: & solutiones eædē planè, si modò ista figuratè dicta ad loquutiones proprias commodè reuocentur. Nam primùm maiorem propositionem illam si vniuersè acceperis, falsa est: si indefinitè, nulla est argumentatio. Deinde vt imago, sic splendor gloriæ aut perfectus, aut imperfectus est: perfectus, essentialis,

tialis, similis principio suo cum æqualitate: imperfectus contrà. Præterea in nomine *idem*, eadem æquiuocatio, quam suprà ostendimus. Postremò minoris eadem ratio: ergo & conclusionis est. Id tamen obseruatione dignum, secundi similis interpretationem Græcorum verborum fidei non satis respondere, χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Nam primùm *hypostasis* aut essentiam significat, quod isti volunt, aut subsistentiam, hoc loco: non autem essentiam simpliciter, sed essentiam determinatam in vno indiuiduo, Patre: dicit enim, *hypostaseos eius* Essentia autem determinata in vno aliquo indiuiduo nihil aliud est quàm hypostasis vel subsistentia, quam nos (si quidem est ratione prædita) personam appellamus. Et substantiæ nomen ambiguũ est plus satis in hoc argumento. Deinde verò *character* quum figura dicitur, non satis vis vocabuli illius exponitur. Est quidẽ omnis character figura, vt omnis imago (inquit Augustinus) similitudo est: sed non omnis figura character. Quemadmodum ergo ad similitudinem, vt rectè imago circumscribatur, duo oportet adijcere: vnum, vt ad exemplar expressa sit cuius imago est: alterum, vt æquiparata sit exemplari suo, si perfecta imago & essentialis est: sic etiam ad figuram siue imaginem (figura enim latiùs patet imagine) vt rectè character circumscribatur, illæ ipsæ proprietates duæ omnino sunt adscribendæ; vt sit expressus ad archetypum & principium suum, & vt adæquatus perfectúsq; essentialiter. Ex quo fit illud tertiũ, vt possit χαράσσειν, id est, res alias foris notet eadem imagine, eámque illis imprimat, quamuis non adæquata similitudine & perfecto illo modo quem antè definiuimus. Optimè igitur & proximè verba Apostoli rem totam expresseris, vt fecerunt nostri, *character subsistentiæ vel personæ*

illius: & horum certissima est illa, quam attulimus, interpretatio. Postremò autem, Samosatene, bellè te nobis putas illudere, quum dicis *Theologos istos cælum terræ miscere, quum Filium altissimi habent pro ipso altissimo,* &c. Argutè sanè, pro more: nempe *Filius non est Pater, Pater est altissimus, Filius ergo non est altissimus.* Siccine argumentaris, mi homo? adeóne peregrinantur in literis aures tuæ, vt dictum illud nescias, Abeo quod inest per se, ad aliud quod per accidens, non valere consequentiam? exempli causa, Filius non est pater, Dionysius Siculus pater est tyrannus, filius ergo nō est tyrannus. Quin potiùs id respicis, essentialia filij & patris esse communia, & ad personalia solùm, ἰδιωτικὰ siue characteristica Græcis dicta, suas certas distinctiones pertinere? Quum ergo dicis, Filius non est Pater, ad personalia restringitur tota propositio, estque verissima, quia propria de suppositis dicuntur per se: est autem proprium Patris, quòd sit Pater; & Filij, quòd filius. Quum autem dicis, Filius non est quod Pater, secundùm personam verum est: respectu verò essentiæ falsum; nam communis est vnicáque essentia Patris & Filij, proinde secundùm essentiam Filius est quod Pater. Pater autem est secundùm essentiam altissimus: ergo & Filius. Nam hoc attributum absolutè de essentia prædicatur, vt commune essentiæ; non autem relatè de persona, tamquam personæ vnius aut alterius singulare.

SAMOSATENVS. 7.

SIC *quoque 1. Cor. 3. omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. item 1. Cor. 11. velim vos scire caput mulieris esse virum, & caput viri Christum, caput verò Christi Deum. Romana autem Ecclesia & similes ei, profitentur*

tentur Christum esse eiusdem essentiæ, maiestatis, gloriæq́; cum Deo. Negant igitur Deum esse caput Christi, potiúsque ipsis patribus credere & in eorum acquiescere auctoritate malunt, quàm expreßis Apostoli verbis apud se locum dare. Sed his verbis rogo ne commouearis, si falsam nomino doctrinam illam: nam Christo cupio adhærere.

ORTHODOXVS.

EIDEM lineæ insistis, Samosatene, eadẽ recoquis. *Qui alterius est*, inquis, *non est eiusdem essentiæ, maiestatis, gloriæ, cum eo cuius esse dicitur: Christus est Dei Patris non ergo eiusdem essentiæ, maiestatis, & gloriæ cum Patre.* Propositio maior ambigua, plurib. interrogatis abundans, adeóque falsa est, ex elenchi ignoratione. Ambiguum est, *alterius esse*, siue haberi ab altero, quod tute non nescis: atque hoc determinari a te oportuit. Quòd si de dominatu accipis (vt facere puto) malè coniungis disparia, essentiam nempe cum maiestate & gloria. Nam quis homo tibi hoc concedat, qui est alterius, eũ non esse eiusdem essentię cum eo cuius dicitur? Homo hominibus præest, rex popularibus, parentes etiam liberis: an hi verò tibi nõ videntur communicare essentia? fabulæ. De maiestate & gloria, iudicium differens, quia maiestas & gloria Christi secundùm aliud & aliud est differẽs. Nam si de diuina maiestate & gloria essentiali, quæ a natura est, egeris, ea cõmunis est trium personarum in vnitate essentiæ. Et quidni ita se habeant a natura inter se personæ, cùm etiam homines in societate ex compacto æqualitate sibi deuincti sint? τὸ γὰρ ἴσον πόλεμον οὐ ποιεῖ, inquit ille. Sin autẽ de maiestate & gloria quam habet Mediator Dei & hominum Iesus Christus homo, quum exinaniuit semetipsum per dispensa-

tionem voluntariam assumta carne, & humiliauit sese altissimus susceptis perpessionibus ad salutẽ nostram, vt in persona sua secundùm eamdem naturam gloria & honore coronatus esset; non est profectò Filius eiusdem cum Patre maiestatis & gloriæ secundùm hanc dispensationem voluntatis suæ. Alia est naturæ gloria, alia voluntatis. Naturæ illius gloria in Christo infinita est, diuina enim: Voluntatis verò, secundùm quam dispensauit abiectionem suam, diuinæ est proxima, pertinens ad naturam humanam ipsius: hanc verò humanitatem non a natura habuit, quia Filius Dei est, sed ex voluntate assumsit ad dispensationẽ salutis nostræ: atque hæc humanitas non in se propriè gloriam diuinam habet, sed in persona ex vnionis gratia; in se verò diuinę proximam ex habituali gratia, Angelorúmque omnium gloriam longissimè superantem. Summa, naturalis gloria, personæ est & suppositi (vt vocant) secundùm diuinitatem per se, & secundùm humanitatem per vnionis gratiam: dispensatiua verò & habitualis gloria, est naturæ humanæ eius. Falsum igitur enunciatum est, quamcunque in partem velis conuertere, qui est alterius, eum non esse eiusdem essentiæ, maiestatis, & gloriæ cum eo cuius est: negamus, & negat veritas. Eamdem verò ambiguitatem in minore facilè animaduerterit, quisquis ad ea quæ modò annotauimus volet attendere. *Christus est Dei Patris*, inquis. Tolle ambiguitatem verbi esse: plana erunt omnia, elenchus euidens. Si ita sentis, vt filius meus in mea, id est, patria potestate est, aut vt possessio in potestate possidentis, sic Christum esse in Patris potestate; opinio falsa: nec potest confirmari exemplis dissimilibus. Secundùm naturam deitatis est inter Patrem & Filiũ æqualitas: vt Filius est Patris, sic Pater est Filij: quod ipse

ipse Filius apertè pronunciauit dicens, *quæ mea sunt, omnia tua sunt, & quæ tua sunt, mea.* Discrimen illud est, quòd Filius est Patris, & a Patre: non autem Pater a Filio, quamuis sit Filij. Restat igitur, vt secundùm dispẽsationẽ voluntariam Christus Dei Patris dicatur esse: primùm secundùm suppositum, vt est θεάνθρωπος Mediator Dei & hominum, voluntariè nos adiungens sibi ad consummationem salutis nostrę: deinde secundùm naturam assumtam, prout conditio naturæ humanæ est Deo subiecta: postremò autem secundùm corpus Ecclesiæ, quod sibi tamquam capiti adunauit suo sanguine comparatum. Atque hanc germanam esse mentem Apostoli tum institutus sermo commonstrat euidentissimè, tum verò illa ipsa gradatio, quam tu, Samosatene, adduxisti. *Omnia,* inquit Paulus Ecclesiam compellans, *vestra sunt,* nimirum vt corporis: *vos autẽ Christi,* vt capitis: *Christus verò Dei,* vt Patris, qui misit ipsum ad salutare Mediationis opus perfungẽdum. His bene obseruatis, tua illa, Samosatene, conclusio οἴχεται. Secundi loci, qui a Samosateno adfertur, ratio eadem, & eodem responso diluenda. Etsi minus hoc loco quàm illo dicitur: nam in priore agebatur de illa dispensatione diuina, quæ indesinenter in Ecclesia obtinet; in posteriore verò habetur sermo de ordine aspectabilem Ecclesiam decente, qui a dispensatione illa maximè profectus est, prout vltimo gradationis illius membro ostenditur. Alioqui conueniunt omnia. Verissimè igitur, Samosatene, vtrumque affirmamus, quod tibi ad lapidem offensionis allidenti videtur mirum: nempe tum vnam eamdémq; essentiam, maiestatem, & gloriam esse Dei Patris & Christi: tum Deum Patrem Christi caput esse. Nam illud secundùm deitatem personámq; diuinam ita est; hoc verò secundùm

Ioan.17.

diſpenſationem gratiæ, & naturæ humanæ in Chriſto veritatem. Quod quum aſſerimus, non ſoli auctoritati nonnullorum Patrum, vt putas, ſed conſentienti Apoſtolorum & Prophetarum fundamento, quod tenuerunt Patres, ſanctè acquieſcimus. Quin commoueamur tuis illis dictis, certè nō poſſumus, ſi pij ſumus & amantes Dei: ſed ita commouemur ſecundùm Deũ amore illius, vt eodem quoque amore Chriſti & charitate erga te, a commotione quę poſſit offendere, ſtudeamus abſtinere. Addat ille miſerationum Pater benedictionem ſuam e cœlo gratioſiſſimè, & animum, os, manum, te denique totum, & errantes ſocios a tantis malis vindicet.

Samosatenvs. 8.

Item *Ioan. 5. Sicut Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſeipſo. & Ioan. 17. Pater, quos dediſti mihi, velim vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt conſpiciant gloriam illam meam quam dediſti mihi. Filius autem, cùm ſit eiuſdem æternitatis & maieſtatis cum Deo, nihil omnino ab eo accepit, nec vitam, nec gloriam: hæc a ſe habet omnia. Hîc rurſus vides, quæ Chriſtus affirmat, ea negare Antichriſtum.*

Orthodoxvs.

Argvmentvm aliud. *Qui eiuſdem æternitatis eſt & maieſtatis cum Deo, nihil omnino ab eo accepit, non vitam, non gloriam: Filius eiuſdem æternitatis & maieſtatis eſt cum Deo: nihil ergo accepit ab illo. Eſt autem falſum conſequens, vt Chriſtus ipſe diſertis verbis affirmauit: Falſum igitur antecedens.* Maiorem, Samoſatene, de induſtria

ſtria facis æquiuocam, vt nectas argumentationem tuam. *Deum* non ignoras a nobis aut abſolutè de eſſentia dici, quæ eſt ipſa ſancta & adoranda Trinitas, aut relatè de vna aliqua perſona Trinitatis, Patre, aut Filio, aut Spiritu ſancto. Si ergo Deum abſolutè intelligis, negamus vllum ſubiectum exſtare, aut vnquam exſtare poſſe, quod ſit eiuſdē æternitatis & maieſtatis cum Deo: fruſtratoria eſt igitur tota iſta argumētatio. Quid enim hîc nobis diſputas de eo quod non eſt, neque futurum eſt, & de proprietatibus conditionibúſque eius? Sin autem relatè Deum acceperis, maiorem pernegamus: eſt enim tam falſa quàm quod maximè. Nam Filius eſſe a Patre accepit: Cùm autem quicquid in Deo eſt ſit Deus, & ſit eſſe ipſius, quod Filius a Patre habet; omnino ſequitur æternitatem, maieſtatem, gloriam, & ſiqua ſunt alia quæ voles Filium a Patre accepiſſe. Probatur verbis Chriſti quæ adducis ipſe: probatur Filij appellatione, in hunc modum: *Quiſquis filius eſt, a patre ſuo eſt, & cum patre eſſentia idem: Chriſtus autem filius Dei eſt: igitur a Patre eſt, cum Patre eſſentia idem.* Quicquid autem in Deo eſt, id eſt eſſentia & eſſe ipſius: quomodo igitur eſſentiam illam ſimpliciſſimam diuiſeris, vt partem Filius a Patre, partémque non accepiſſe dicatur? Negas totum? Filiū ergo Patris eſſe negas: nam ſine hoc non eſt Filius. Eſt autem Filius Dei Patris: ergo æternitatem, vitam, maieſtatem, gloriam, &c. a Patre habet diuina generatione & communicatione eſſentiæ. Hoc qui ſentit, ſi cum Antichriſto ſentire & Chriſtum negare dicitur, certè falsò nec ſine contumelia dicitur.

SAMOSATENVS. 9.

ET *Rom. 16. Soli ſapienti Deo ſit gloria per Ieſum Chriſtum. VVolfgangus verò Muſculus in primum caput Ioan-*

nis, Deus, inquit sine Christo nec sapiēs est, nec potens. Item, Deus Pater nihil potest facere sine Filio suo. O miserrimam Theologiam, quæ Deum sapientia & omnipotentia spoliat, eúmque remittit ad Filium, quotiescunque sapientia aut omnipotentia opus habet. Non me hîc afficiunt iniuria, sed ipsum Deum & Christum illius, qui non erubuit fateri se omnia habere a Patre. Quomodo igitur omnia a Patre habet? quomodo Pater sine Filio nihil potest facere?

ORTHODOXVS.

HVIVSMODI est argumentatio: *Qui solus est sapiens, & potens, sine alio sapiens est & potens: Deus solus sapiens est & potens: ergo sine alio est sapiens & potens: tum, ergo sine Christo*: quod negare Musculus dicitur. Minor probatur verbis Apostoli. Totum prosyllogismum, si rectè intelligitur, optima fide accipimus. Nam Deus in minore absolutè de essētia dicitur: Deus ergo essentia vnus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, solus sapiēs & potens est. Sic recta est argumentatio. Verùm quia minorem hanc, Samosatene, non ita accipis, sed cōtrà ad personam restringis Patris, vt Filio oppositam, negamus hanc interpretationem tuam. Quinetiam stante ista interpretatione tua sic esset argumentandum tibi, quod non audes facere, nec faciet bonus quisquā: *Si qui solus est sapiens & potens, nemo sapiens est & potens præter illum: Deus Pater solus est sapiens & potens: nemo igitur præter illum, ne Christus quidem.* Omnino hæc blasphemia sequitur ex ista argumentatione. Ad summā, de Deo absolutè enunciatam argumentationem probamus: de Deo Patre etiam non negamus, quia communis est sapientia potentiáque personarum in vnitate essentiæ, sed citra exclusionem personæ alterius: relatè

late verò atque opposité negamus, vel eo argumento quod antecessit proximè segmento 8. quòd essentialia sunt personarum communia, sapientia autem & potentia sunt essentiales, cõmunes igitur. Sic falsum esse vides illud corollarium tuum, *si sine alio, ergo sine Christo:* quia non excluditur Christus ab eo quod commune est: si sit, commune esse desinit: sed excluduntur res omnes quas creauit & fecit Deus, supra quas omneis Creator euehitur. Probare conaris dictum verbis Apostoli Rom. 16. Hîc verò, Samosatene, multifariã peccas. Nam primùm voces disiunctas componis ad commoditatem argumenti tui: Non enim dicit Apostolus solum Deum sapientem esse, sed soli Deo, qui sapiens idem est, gloriam tribui oportere in secula. Præterea nomen *Dei*, quod essentiale est, personaliter accipis ęquiuocé, quum Deum Patrem opponis Filio. Tertiò nomen *soli*, quod est syncategorematicum, præter veritatem exponis categorematicè, vt iam antè segmento 4. monuimus. Itaque tibi *solus Deus* perinde sonat ac si Patrem solitarium dixeris, cùm Apostolus dicat syncategorematicè non esse alij quàm Deo gloriam de illo piorum stabilimento tribuendam. Quòd si fortè dixeris tibi idem esse, quum dicimus essentialiter, & personaliter: præterea ne a nobis quidem essentialiter accipi posse, quum oppositio sequatur Christi in eodem membro: tum denique a nostris in eum modũ accipi: ad singula sic habeto paucis. Primum illud, quod caput est & arx doctrinæ vestræ, segmento 3. & 4. antè diluimus: & duas illas a vobis controuersas voces, essentiæ & personæ, distinctas in hac causa seruari demonstrauimus oportere. Secundum negamus, *Iesum Christum opponi Deo* in vno & eodem membro secundùm rationem personæ eius. Quod dico, ita se habet.

Christus in Scripturis oppositione relatiua bifariam dicitur, secundùm naturam, & gratiam. Secundùm naturam relatio & oppositio fit ad intra, vt loquuntur Scholę, quum Filius ad Patrem aut ad Spiritum sanctū ordinatur ratione personæ suæ. Sic Pater diligit Filiū, Filius rogat Patrem, mittit Spiritum sanctum, & quęcunque sunt eiusmodi. Secundùm gratiam verò seu mysterium gratiæ relatio & oppositio fit ad extra, quū Christus Iesus ad Ecclesiam ordinatur ratione sui beneficij, vt caput ad corpus suum: propter quod mysterium in Scriptura sacra modò persona illa capitis seorsim, modò persona capitis cum suo corpore Christus appellatur συνεκδοχικῶς. Ad secundum hoc relationis genus in hoc sermone suo respexit Apostolus, quum diceret, Soli, sapienti Deo gloria per Iesum Christum in secula. Nam idē Iesus Christus, qui natura est Deus in vnitate essentiæ cum Patre & Spiritu sancto, idem inquam est caput & seruator Ecclesiæ suæ per dispensationem gratiæ: cuius dispensatiui capitis beneficio gloria soli Deo, id est, ei soli qui Deus verus est, tribuitur in Ecclesia per Iesum Christum secundùm ordinem, perfectionem, & virtutem efficacissimam illius in membris suis. Atque hoc ipsum idem Apostolus alibi ostendit euidentiùs, quum ait, *Ei qui infinita cum redundantia potest omnia facere supra ea quæ petimus aut mente concipimus, pro vi illa agente in nobis, Ei sit gloria in Ecclesia per Christum Iesum in omneis ætates seculi seculorum.* Postremum autem quod adfers, Samosatene, esto sanè, siquidem ita placet: ea sit nostrorum etiam hominum expositio, qui Deum personaliter hoc loco de Patre acceperint; tamen nihil hoc modo effeceris. Vox enim exclusiua, *solus*, vario respectu adhiberi solet: aut ad alium quemuis omnino excludendum, vt quum Elias

Ephes. 3.

diceret,

diceret, *ego relictus sum solus*: aut ad exteros duntaxat excludendos. quemadmodum Bilham optimè interpretabatur dicens, *en populus qui solus habitat, & alijs gentibus seipsum non annumerat*: & typus ille patientiæ euidentissimè, *si comedi*, inquit, *frustum cibi mei solus, ac non comedit pupillus ex eo*. Secundùm prius significatū, Pater solus Filium dicitur gignere: secundùm posterius verò, Patri soli gloria de illo piorum stabilimento tribuēda. Vidésne, Samosatene, id neutro modo, quod affectas in Christum, a te obtineri posse. Nam quomodo solus dicatur Pater, de quo Christus dicit, *ego sum in Patre, & Pater est in me?* quomodo solus Filius excluso Patre, de quo idem, *non sum solus*, inquit, *sed Pater mecum est?* nō ergo alter ab altero excludi potest, propter indiuisæ essentiæ vnitatem. Hîc verò Musculum adducis, atque ex dicto illius doctrinam nostram tuis exclamationibus theatricè exagitas. Sic primùm sanctæ illi animæ iniuriam facis, deinde verò pijs omnibus orthodoxis occasione illius, postremò autem (quod omnium est longè grauissimum) diuinæ veritati. Musculo iniuriam facis: nam quod ille docendi causa hypotheticè enunciauit, tu profers categoricè animo cauillandi. Hæc enim ipsissima sunt illius verba, *Quomodo Deus non esset, qui vna cum Deo essentia est, ita vt sine illo Deus nec sapiens esset nec potens, hoc est, quod est esse sine illo non posset?* Quid? tu homo, an adhuc ignoras legem earum rerum quæ vnum sunt indiuisum & naturâ simul? eorum quæ naturâ sunt simul non re, sed ratione solùm fieri disparationem, quam distinctionem appellamus? Quum ergo scriberet, *sine illo*, id sibi voluit, si fieri posset vt Pater sine Filio esset (quod tamen fieri in sempiternum non potest vnquam, quia vnum sunt & naturâ simul) Patrem nō fore id quod est. Quid? si quis

1.Reg.19.
Num.23.
Iob.31.
Ioan.14.
Ioan.16.

tibi dixerit, Deum ſine æternitate, ſine infinitate, aut ſimilibus, non eſſe futurum Deum, id eſt, ſi mente & ratione quadam æternitatem infinitatémque ab eo ſecreueris, an hoc negabis? an miſerum, cõtumelioſum, impium, blaſphemum clamitabis? Nolo declamatione tecum certare, quod facis: nolo verbis acerbioribus, quod mereris. Tantùm redi ad te, & ad Deum a te: certè Muſculo te iniuriam facere coram Deo ſenties. Omnibus orthodoxis iniuriam facis: nam primùm iniquè refodiens Muſculum, alios petis per cineres lateráque illius. Deinde quid tum, ſi Muſculus (nam homo fuit) in vna aut altera voce lapſus fuiſſet humanitus? putáſne bona fide id fieri poſſe, vt vna voce aut orationis labe, quæ imprudenti homini exciderit, ſinguli orthodoxi, omnes Eccleſiæ adſpergantur? Bona verba quæſo. Quid eſt ex particulari commune facere, niſi hoc eſt? Dei naturæ, veritati, gloriæ iniuriam a te fieri ſi non vides, videmus tamen ex face verbi prælucente in mentibus noſtris. Eum oro qui videt omnia, tibi ad hęc omnia videnda ſalutarem illum viſum ſuppeditet, quo viſu qui ſunt corde puri Deum viſuri ſunt.

Nec meliore fide alterum locum eiuſdem auctoris & libri vellicas, *Deum Patrem ſine Chriſto nihil poſſe facere.* Acerbum dictum, inquis. Audiatur Muſculus, & paucis totam acerbitatem iſtius dicti abſtergebit ex ſcripto ſuo, ſi non exemerit ex palato tuo. Scribens igitur in illa verba, *Sine ipſo factum eſt nihil*, continuò ſubijcit, *Deus enim Pater ſine ipſo nihil potuit facere. Quare? quia ſapientia & potentia Dei filius eſt. Sapiens, vt ſapiens, non poteſt quicquam ſine ſua ſapientia facere: & Sol non poteſt quicquam illuminare ſine ſuo ſplendore, nec ignis calefacere ſine ſuo calore. Si potuiſſet Deus quicquam temere & ſtultè facere, potuiſſet ſine Filio, ſapientia ipſius, quicquam*

Ioan. 1.

quam

quam facere. Sed quoniam omnia in ſapientia facit, & per verbi ſui potentiam; rectè dicit Euangeliſta, quòd ſine Chriſto nihil ſit factum. Hæc Muſculus, quæ a te, Samoſatene, fide non admodum bona, aut inſcientia magna traducuntur. Nam reuera (etſi meum non eſt Muſculi cauſam agere, publica tamen de cauſa & ſtudio veritatis dicam) elenchi ignoratione peccas, quum verbum illud *poſſe* ita exagitas. Poſſe enim bifariam dicimur: ſimpliciter, ex vi potentiæ energetica in ſe & per ſe conſiderata; & ſecundùm quid, ſiue conuenienter cum alijs rebus ad quas oportet reſpici quum illa potentia in actum deducitur. Poſſumus enim ſimpliciter, verbi gratia, in ignem, in aquam ruere ex facto, quę iure non poſſumus: etiam poſſumus obſtipo ſemper capite luminibus in terram defixis ambulare, quod decenter nō poſſumus: denique ieiunare poſſumus, dormire, & ſimilia, quum tamen conuenienter naturę nō poſſumus. Eſt ergo ſimplex poſſe, & reſpectiuum, vt vocant. Secundùm poſſe illud ſimplex, & Deus omnia poteſt, & deitatis perſona quæque: nihil eſt quod non poſſit Pater, aut Filius, aut Spiritus ſanctus. Sed quia Deus non ſolùm eſt omnipotens, ſed etiam optimus, maximus, ſimpliciſſimus, perfectiſſimus, immutabilis, &c. etſi ratione quadam ab iſtis omnibus omnipotentiam eius ſecernimus, hæc tamen reipſa cum natura eius idem eſt, nec ab ea poteſt ratione vlla diſcedere. Itaque etſi omnipotens ſimpliciter dicitur, tamen non niſi ad bonum eſt omnipotens, quia idem optimus: nō niſi ad perfectionem, quia perfectiſſimus: non niſi ad conſtantiam, quia immutabilis: denique nō niſi ad veritatem naturæ ſuæ, quia æternùm a natura Deus. Eſt autem ex natura eius, quòd Pater æternùm eſt Pater, Filius æternùm Filius, itémque Spiritus ſanctus, vnum

infinitum essentia, tres personæ naturâ simul, exsistentes, agentes, &c. in vnitate essentiæ. Non igitur Pater, quem simpliciter omnipotentem credimus, sine Filio fecit quicquam: non potuit facere, quia seipsum naturámque suam non potest abnegare. Quòd si potens est
2. Tim. 2. simpliciter, non tamen contra veritatem potest naturæ suæ: secundùm quam tum Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tum foris operatur Pater in Filio & per Filium virtute Spiritus. Atque eadem ratione dicebat Christus Ioan. 5. *non potest Filius a semetipso operari, nisi viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit*: quæ verba optimè Chrysostomus interpretatus est. Ad hanc respectiuam (vt ita loquamur) potentiam Musculus attendebat, quum de Patre & Filio in eum modum loqueretur. Enimuerò quid ad argumentum Ioannis agentis de Filio Dei, quid ad creationem pertinuisset otiosæ illius omnipotentiæ in se & per se consideratio? operosam & actuosam omnipotentiam docet eamdem esse Patris & Filij: quam Musculus sic ab effectis voluit describere, vt alterum ab altero indiuisum esse doceremur in omnipotentię vnius occupatione: nec Patrem sine Filio, nec Filium sine Patre fecisse quicquam. Hoc dictum tibi, Samosatene, displicet, quia Patrem sine Filio fuisse, & operatum esse, præter veritatem Dei & Scripturæ fidẽ existimas. Nobis verò ad hoc credendum, quod tu oppugnas, sufficit verbi diuini auctoritas. Hoc scilicet est priuare Deum sapientia & omnipotentia: hoc, Patrem ad Filium remittere, quas personas simul naturâ esse, infinitam essentiam vnam toties inculcamus: hoc, iniuria Deum afficere, & te secundùm Deum. Ab his oratorijs phaleris abstineo, quia non placent: quia demonstrationem Spiritus in te exseri opto magis vi veritatis,

ritatis, quàm artis vllius nostræ. Faxit Dominus Deus veritatis. Quòd autem huius segmēti & proximè præcedentis hîc conclusionem nectis oratorio modo, quia iam ordine vtrumque diluimus, missis superuacuis repetitionibus ad alia veniemus.

SAMOSATENVS. 10.

DETRAHVNT *ei sapientiam, omnipotentiam; & honorem detrahunt, cùm Christus dicat Ioan. 8. non habeo dæmonium, sed honoro Patrem meum. Et ibidem, Pater qui me misit, mecum est: non reliquit me solum Pater, quia ego quæ placita sunt ei facio semper. Cùm autem secundùm Antichristi doctrinam Christus sit cum Deo Patre eiusdem maiestatis, potentiæ, & gloriæ, isti hîc negaturi sunt Deum coli a Christo. At res est per se manifesta. Vbi enim par est maiestas & æqualis gloria, excluditur obedientia & honor inferioris erga superiorem. Item 1. Tim. 2. Vnus est Deus & vnus Mediator Dei & hominum, Christus Iesus. & 1 Ioan. 2. Si quis peccauit, Aduocatum habemus apud Patrem, nempe Iesum Christum. Magnum hîc discrimen constituit sermo Apostoli inter Deum ipsum & Mediatorem apud Deum. Scholæ verò Theologorum docent, Vni quidem Deo reconciliati sumus per Mediatorem: ille verò vnus Mediator est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Quamuis etiam nonnulli addant, Christum Mediatorem esse secundùm carnem. Hinc autem quartus sequeretur Deus, qui apud illos treis pro nobis intercederet: quod est falsissimum. Itaque adimunt illi munus Mediatoris eo ipso, quòd illum esse vnicum Deum asserunt per omnia Patri æqualem. Animaduerte autem tu ipse, quæso, an non mera hæc insania sit quum Christus & vnicus ille Deus esse dicitur, & idem rursus Mediator esse apud Deum.*

ORTHODOXVS.

DVÆ hic argumentationes in orthodoxã de Christo doctrinam prætereà adferuntur: vna, ab honore & obsequio, quod Christus exhibet Patri: altera, a mediationis & intercessionis officio. Prior sic habet: *Quorum par maiestas & gloria æqualis asseritur, inter eos honor & obedientia, quam inferior superiori debet, excluditur: Isti parem maiestatem Christi cum Patre, & gloriam æqualem asserunt: Honorem ergo & obedientiam excludunt, quam Filius Patri tenetur exhibere. Est autem falsum consequens, vt Christus duobus locis auctor est: falsa igitur antecedentia.* Maioris propositionis falsa est affirmatio, si vniuersalem feceris: sed cùm indefinita sit, hoc modo distinguimus. Aliud est naturæ opus, & aliud voluntatis: aliud naturæ ius, & aliud dispensatio cessióque voluntaria. Secundùm idem si maioris membrũ vtrumque interpretaberis, vera est hoc modo: *Quorum par maiestas & gloria æqualis ex natura asseritur, inter eos honor ille & obedientia, quam inferior superiori debet naturæ lege, excluditur*: sed hic tibi non occurrit exceptio voluntatis, Samosatene, qua neglecta aërem cædis fortiter. Vera esset illa propositio tua, nisi exceptione solueretur ista: atqui aliter placuit alteri, aut vtrique per dispensationem & cessionem voluntariam: hac paucula exceptione actum est de propositione tota. Nam si is qui æqualis a natura est, æquali per œconomiã quamdam voluntariam cesserit, tum officium illud naturæ indebitum fit sponsione voluntaria & cessione debitũ. Atque in hunc modum cessit Christus, inaniens & submittens sese voluntaria dispensatione. Philip. 2. Vides rationem maioris propositionis tuę. Quum itaq; subijcis *parem maiestatem gloriámque Patris & Filij à nobis asseri*, verum est secundùm naturam, quà Filius Dei æternus

esta

est a Patre genitus, & verè a nobis asseritur: Quum verò concludis, *ergo honorem & obedientiam excludi, quam Filius Patri, vt inferior superiori, debet*, falsum est planè: quia non excludimus illam dispensationem qua factus est inferior, factus ex muliere, factus sub lege, vt eos qui erant sub lege redimeret. Est enim æqualis & inferior diuerso respectu: ęqualis Patri secundùm diuinitatem, minor Patre secundùm humanitatem, vt Paulus ad Philippenses docet. Sic neque falsum est consequens, quod ais: neque pugnant cum verbis Christi antecedentia, quum Christus de se in ijs locis agat non secundùm diuinitatem suam simpliciter, qua genitus est æternùm a Patre, & æqualis Patri; sed potiùs secundùm rationem personæ suæ in natura assumta, qua honorat Patrem vt missus ab eo, & quæ placita sunt ei facit semper. Hæc qui docet, Christus est: qui oppugnat, a spiritu Antichristi circumagitur miserrimé. Posterior argumentatio hæc est: *Deus & Mediator apud Deum, nō sunt vnum: Christus est Mediator apud Deum: non igitur Deus.* Vitiosa plurima in hac argumētatione. Primùm comparatio fit heterogeneῶν (liceat nobis Deum ad genus aliquod referre analogicé) quia *Deus* substātiæ, vel essentialis formæ, Mediator actionis & relationis est nomen: vitiosa & iniqua est hæc comparatio. Deinde si Mediatorem, Samosatene, a te pro persona mediante dixeris accipi secundùm formam essentialem eius, etiam æquiuocè nomine Dei abuteris: nam aut essentialiter accipitur (vt sæpe docuimus) aut personaliter: quæ duo tu quidem cōfundis, sed vicimus iam antè distingui omnino oportere. Tu autem secundo loco quem ex Ioanne adfers, ostendis accipi personaliter oportere de Patre, quia dicit, *Aduocatum habemus apud Patrem.* Postremò ambiguè dicis, *non sunt vnum:*

Galat. 4.

Philip. 2.

quod si de essentia prædicas, falsum, quia Pater & Filius vnum sunt: si de subiecto personali, verum. sed ita potiùs tibi dicendum fuerat, *non sunt vnus*, quàm vnum. Ergo secundùm rationem generis, Deus & Mediator non sunt vnum: secundùm rationem diuinæ essentiæ, Deus Pater & Filius Mediator sunt vnum: respectu verò personarum, Deus Pater & Filius, quamuis vnum essentia, non sunt vnus, id est persona vna. Itaque sic rectè procederet argumentatio: *Deus Pater & Mediator non sunt vnus*, id est, vna persona: vel *Deus & Mediator non sunt vnum* ratione, puta, officij quod sibi assumsit Christus verus Deus cum Patre in vnitate essentiæ. Sed *Deus & Mediator non sunt vnum subiecto*, (quæ tua est hoc loco sententia) id a vero est alienissimum: quia Deus subiectum est aut essentialiter, aut personaliter: hic verò subiectum personale determinatur sine ambiguitate vlla, quũ Mediator nominatur, id est, Christus Iesus. Itaque nec Pater Mediator, nec Spiritus sanctus Mediator dicitur, sed Filius personaliter, qui vnus est Deus cum Patre & Spiritu sancto essentiæ vnitate, benedictus in secula. Atque hæc iusta locorum quos adducis, & consimilium interpretatio, quos in tuam & aliorum perniciem (proh dolor) conaris detorquere. At tu miserere, Domine. Quæcunque autem posteà, Samosatene, infers, ea partim falsa sunt, partímque inconsequentia. Nemo nostrum eò dementiæ deuenit vnquam, vt diceret quod tu affingis, *vnum Mediatorem esse, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.* Errabat per Riphæas niues, & cæcutiebat oculus mẽtis tuę, quum essentiam pro persona, & personas treis pro vna accipiens falsò, istud a nobis diceres affirmari. Quòd si opus est consequentiæ tuæ, a te contextum tuis illis conclusionibus, hoc opus retexas suadeo, & deinceps
proposi-

propositiones nostras (quo quid in disputatione æquius?) qualescunque eæ sint, ea simplicitate & fide & mente referas qua a nobis profectæ sunt. Hoc viri boni (qualem te haberi cupis) officium postulat. Vnus est Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres personę, vnus inquam essentiæ vnitate: vnus est Mediator Dei & hominum, Christus Iesus, vnus inquam vnitate personæ. Hoc Scriptura docet, Ecclesia credit, nósq; in Ecclesia ex Scripturis sacris coram Deo & mundo sanctissimè profitemur. Si nondum intelligis, Samosatene, quid essentia, quid hypostasis siue persona sit, profectò ex labyrintho errorum tuorum te non explicabis res illas implicando atque inuoluendo. *Nec periculosius alicubi erratur*, vt cum Augustino loquar, *nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur*. Disce, cognosce, crede. Lib. 1. de Trinit. Addis a nonnullis dici, *Christum secundùm carnem solùm Mediatorem esse*. Scimus: sed neque tamen propterea consequentia illa, quam inde adstruis, valitura est, quòd *quartus sequatur Deus*. Nunquam enim hoc illis extorseris, duas personas esse, Filium Dei & Mediatorem. Vtrumque enim vnius esse personæ dicunt: nam eumdem Filium Dei & Mediatorem esse in vnitate personæ. Sed ita formam personalem statuunt in deitate, vt deitas carni sit principium subsistendi, caro autem subsistens in deitate, principiũ mediationis. Qua de re iam quidem non placet disputare: tantùm visum est tibi ostendere, quàm infirma sit tua ex dicto illorum nexa consequentia. Postremò autem cõcludis hoc modo: *Qui Christum asserunt vnicum esse Deum per omnia æqualem Patri, hi munus Mediatoris adimunt ei: nos autem hoc facere*. Negatur propositio, vt anté. Non enim pugnant ista, aut sunt contradictoria, Christum esse Deum natura, & Mediato-

rem œconomia ac dispositione gratiæ voluntaria: sed potiùs optimè conueniunt, & sine hac conuenientia nunquam aptus Mediator dari, nunquam Mediatoris beneficio salus comparari in æternum nobis potuisset: nisi inquam fuisset ille nobis datus, qui heri & hodie
Heb.13. idem est, & in secula, Iesus Christus Dominus & Seruator noster.

SAMOSATENVS. 11.

SED *soluant mihi, quæso, illam quæstionem, aut saltem doceant me, quomodo illud sit accipiendũ quod apud Marc.13. de seipso Dominus loquitur: de die & hora illa, nemo nouit, ne Angeli quidem qui in cælo sunt, nec ipse Filius, sed solus Pater. Quòd si Christus fuit ante secula & ab æterno, & æqualis Patri per omnia, aut etiam Spiritus sanctus, certè vnus aliquis illorum id sciuisset, nec sacra scriptura, quæ nunquam sui dissimilis, sed in æternum permansura est, hæc reticuisset. Sed dicet ex vestris quispiam, hoc fuisse dictum secundùm carnem. Atqui non video, cur iam duo Christi a vobis statuantur, vnus qui sciuerit, alter verò qui ignorauerit. Et Spiritum sanctum, quem eiusdem essentiæ asserunt, quo loco iam habituri sunt? His autem dictis contrarium docent, Filium scilicet & Spiritum sanctum nouisse diem & horam extremi iudicij. Viderint igitur ipsi, cui mendacium velint obijcere. Ego ex verbo Dei edoctus idipsum accipio simpliciter, non mea opinione propria, sed ex doctrina sacra Domini: nempe quòd hæc ante resurrectionem suam ignorauerit; post resurrectionem verò, quum gloriosus factus esset, eum diem eámque horam demum cognouerit. Cuius rei euidentissima hæc habeo testimonia, Ioan.2.11. Rom.6.14. Ioan. 12.16. & 23. Ioan.13.32. Rom.1.3. & 4. & alijs locis innumeris. Firmiter itaque credo, & affirmo, Christum Dominum hunc diem iam nouisse. Nam factus est dominus dominantium, & datum etiam est illi nomen supra omne nomen.*

ORTHO-

ORTHODOXVS.

QVEM nodum petis, Samoſatene, ſolui, eum anteannum præcedente noſtra Defenſione ſub finem ſoluimus: quapropter actum nolumus agere. In ſumma, primùm auctoritate vteris, quum adtexis Euangeliſtæ verbis nomen excluſiuum, *ſolus*, quod ibi non compáret vſquam. Tum fallis bifariam in hac argumentatione tua: primùm eo quòd ſermonem dictum ſecundùm quid exponis ſimpliciter: ſecundò vocis *Pater* æquiuocatione. Dicebat Chriſtus ex diſcipulorum ſuorũ hypotheſi, Chriſtum vt purum vel ψιλὸν hominem habentium & conſulentium, cuiuſmodi ſermones multi in Euangelijs a Chriſto leguntur habiti: proinde tacita ineſt oppoſitio inter Filiũ eum qui verè eſt, & qui falsò putabatur eſſe. At tibi ſimpliciter placet accipere, tamquam ſi Chriſtus in medio ſermone, & eo tempore, id eſt, importuno, παρεκβατικῶς de ſua perſona diſſerere potiùs debuiſſet, quàm in ſermone quæſito & inſtituto pergere. Quo iure id officij ſapiẽtia tua a ſapientia Dei deſideret, tu videris: certè non fuiſſet πρὸς οἰκοδομὴν, ſi pro tuo ſenſu reſpondiſſet Chriſtus, quod quiuis vel mediocri prudentia poteſt iudicare. Patris verò nomẽ hoc loco eſſentiale, ac non perſonale eſt, relatione ad creaturas, non ad Filium vnigenitum pertinens, vt ibidem oſtendimus. Quæ cùm ita ſint, ex inanibus (quod aiunt) paleis trituram frumenti conaris facere, quum poſteà de Filio, & de Spiritu ſancto argutaris, tamquã ſi ex hac ſcientia excluderentur auctore Chriſto, & eo pacto nihil ad eos deitas attineret: cùm perſona Filij & Spiritus ſancti æquè ac Patris in Scriptura ſoleat intelligi eſſentiali appellatione, Pater. Futilia, quæ adducis, omnia. Subdis, *Sed dicet ex veſtris quiſpiam hoc fuiſſe dictum ſecundùm carnem*, & impugnas iſtud reſpõ-

ſionis genus deductione in abſurdum, quòd *duo Chriſti* ex hac reſponſione forent. Reſpondeo, nec antecedens ſufficit, nec eſt neceſſarium ex eo conſequens. Nam Chriſtus ita enunciauit ſermonē illum de ſeipſo ſecundùm carnem, vt nō ex ſenſu ſuo, ſed ex aliena opinatione & hypotheſi enūciauerit: atq; hæc veriſſima eſt antecedentis infirmatio. Cōſequens verò vel ex illo ipſo antecedente nō eſſe neceſſariū in Defenſione priore oſtendimus. Nā in oppoſitis alia eſt ratio, quàm in ſimplice enunciatione. In hac nō poteſt negari de ſuppoſito vel perſona quod ipſi per alterā duntaxat naturam ineſt: ſed in oppoſitis, & figuratis, & hypotheticis alia eſt ratio. Ac nos quidē hypotheticam eſſe ſtatuimus, vt antè dicebamus. Verumtamen ſi nō eſſet hypothetica (vt eſt) oppoſitè hæc dici etiam vinceremus: fieri enim oppoſitionē nō Patris & Filij ſimpliciter, quà ſunt perſonę deitatis; ſed Patris, quà Deus eſt cum Filio & Spiritu ſancto in vnitate eſſentię, & Filij, quà homo. Quod itaq; dicis, cōtrariū huic Chriſti teſtimonio eſſe, quod docemus Filium & Spiritum ſanctū iam tum nouiſſe diem & horam extremi iudicij: Id neque hîc negatur a Chriſto, neq; alibi vſquam. Fefellit te & hypotheſeos, & ęquiuocationis illius ignoratio: quam ęquiuocationem poſt reſurrectionem quoque ſeruauit Chriſtus dicens, *Non eſt veſtrum hoc, nempe ſcire tempus aut tempora, quæ Pater poſuit in poteſtate ſua ipſius.* Mendaciū Chriſto vt obijciamus, abſit. Tu verò, Samoſatene, quid affectes vide, quum Dominū Ieſum Chriſtū hęc ante ſuam reſurrectionē ignorauiſſe, poſt reſurrectionē & adeptionē gloriæ demum ſciuiſſe tam audacter aſſeueras, quā ſi reuelatione ſingulari iuratus Chriſtus id teſtatum feciſſet tibi. At nobis, mi homo conſtat, hæc vtroq; tempore, ante & poſt reſurrectionē diuina ſcientia a Chriſto fuiſ-

Act.1.

ſto fuiſ-

sto fuisse cognita, immo verò ab æterno, prout vna est æterna scientia Patris, Filij, & Spiritus sancti. Atque hanc scientiam diuinam Christi, quam discipuli priùs non nouerant quum in eum modum ipsos compellaret, tamen ante passionem & resurrectionē eius apertè sunt illi confessi, dicendo, *Nunc scimus te scire omnia, nec opus esse tibi vt quis te interroget.* Ioan.16. Neque verò dubiū est, quin hæc ipsa adoranda Christi scientia comprehendatur gloriæ illius appellatione, de qua ipse loquitur dicendo, *Nunc glorifica me tu, Pater, apud temetipsum ea gloria quam habui apud te prius quàm mundus esset.* Ioan.17. Falsum igitur est quod de Christo narras, eum ante resurrectionem hæc ignorauisse, post resurrectionē cognouisse demum cognitione perfecta. Sed probationes audiamus. Christus manifestam fecit gloriam suam, Ioan.2.11. Vide iudicium tuum & prudentiam singularem, qui ex eo quod nobiscum facit, probationes a te putas colligere. Si gloriam suam manifestam fecit, habuit igitur, quamuis nec manifestam: fecit autē: quid sequitur, nisi iam penes se habuisse? Deinde ex eo loco nónne vides hanc gloriam diu ante resurrectionē eius manifestam fuisse factam? *μέλας μὲν αὐταῖς οὐ πεπαίνεται βότρυς.* i. Niger certè istis radijs nō coquitur botrus. Probationes reliquæ, vt a te adferuntur, vnius sunt argumenti, de gloria Christi ex resurrectione eius, siue prædicta, Ioan.12.23. & 13.32. siue percepta atque demonstrata, Ioan.12.16. Rom.1. 3. & 4. & 6.4. Sed quid aliud probas, quàm eum qui gloriosus erat fuisse glorificatum? Antè enim aut gloriosum fuisse, aut non fuisse oportuit. Fuisse constat, tum ex primo tuarum probationū loco, tum ex verbis ipsius Ioan.17. quæ suprà adtulimus, similitérque Patris, Ioan.12. 28. Quomodo itaque gloriosus antè fuerit, videamus. Sanè gloriam in Christo fuisse oportuit naturalem, aut

quæsitam, aut vtramque simul: Naturalem verò, aut increatam, aut creatam. Naturalem increatam negabis, scio: cætera concessurus es. Increatam appello æternam diuinámque: nam quod est & increatum est, id æternum atque diuinum est. *Quod fuit priusquàm mundus esset, id increatum, æternum, atque diuinum est: Fuit autem Christus, fuit & gloria, quam habuit apud Patrem*
Ioan.17. *priusquàm mundus esset*, vt ex verbis Christi ipsius antè didicimus: *Æternus ergo Christus, æternáq; ipsius gloria.* Scio effugia a vobis quæri, vt eludatis huius loci & consimilium multorum veritatem: sed probanda illa sunt, non solùm affirmanda: probare autem, dum viuis, nō poteris. His igitur modis fuit gloriosus Christus iam eo tempore: primùm secundùm diuinitatē, gloria essentiali, quæ infinita est & cum rebus creatis incommunicabilis: tum secundùm humanitatem, gloria essentiali communicata per gratiam vnionis: tertiò secundùm personam, gloria acquisita ex parte, quæ post resurrectionem perfecta est. Nam & gloria increata, qua sese quodammodo inaniuerat formâ serui assumtâ, plenè manifestata est, & gloria creata perfectè communicata est cum humanitate ipsius, quum ascendēs in sublime sedit ad dexteram maiestatis ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Hoc igitur est quod petebat Christus, gloriam suam perfectam (perfecta autem in omnem æternitatem diuina est) manifestari, & imperfectam perfici. Tu autem, Samosatene, tanquam si nescires a non distributo (vt loquuntur) ad distributum, vel contrà, non valere consequentiam, ita argumentaris ex illis Scripturæ locis. Aliam quercum excutias oportet, si quid voles in hac area conficere.

Samosatenvs. 12.

Item [*firmiter credo & affirmo*] *datam fuisse illi omnē potesta-*

potestatem in cælo & in terra, conceßúmque illi iudicium facere, vt ipse testatur Ioan. 5. Pater non iudicat quemquã, sed omne iudicium dedit Filio. Contrarium quàm isti fatetur Christus. Examina etiam eos omneis Patres, qui Deum trinum docent colendum esse: idem visurus es. sed in primis Augustinum ad hæc verba, opera Trinitatis ad extrà indiuisa esse, & pariter fieri a Patre, Filio, & Spiritu sancto. Cùm enim iudicium mundi opus sit ad extra; sequitur de illorum sententia, non esse datum Filio omne iudicium, quod tamen Christus disertè confirmat, & Patrem simul iudicare, quod Christus apertè negat. Hæc sanè inter se non minùs pugnant, quàm nigrum & album, lux & tenebræ, &c. Legitur item 1. Cor. 15. vbi demonstrat etiam Apostolus filium Dei peracto iudicio, abolitáque omni potestate & imperio & dominatu regnum traditurum Deo & Patri, ita vt se cum omnibus beatis Angelis & hominibus beatißimo regno Dei & Patris in omnem æternitatem subijciat. Si verò Orthodoxis credendum est, Filius in extremo die non tradet regnũ Deo & Patri, neque se subijciet Patri, sed æquali potentia, maiestate, & gloria æternum cum Deo regnum obtinebit. Quòd si vestri dicent, hæc secundùm carnem, rursus nefarium & absurdum proloquium sequetur, Christum Christo subiectum fore: cùm Paulus Rom. 2. dicat Deum iudicaturum esse mundũ per Iesum Christum: & Christus ipse Ioan. 5. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio. vbi huius phraseos vim euidenter explicat, docétque eodem sensu vtrumque dici, Deus iudicabit mundum per Iesum Christum, & Deus nõ iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.

ORTHODOXVS.

SEQVVNTVR aliæ argumentationes duæ materia coniunctißimæ; vna de possessione & vsu auctori-

tatis iudiciariæ datæ Christo, altera de illius abdicatione futura post iudicium vltimum & consummationẽ seculi. Ad priorem argumentationem duo citantur Scripturæ loci, quorum alterum post resurrectionem effatus est Christus, alterum diu ante resurrectionem suam. Hoc itaque posteriore loco Samosatenus suo se iugulat gladio, qui gloriam Christo ante resurrectionem ipsius, aut scientiam iudicij extremi & temporis negauerat infuisse, segmento proximo: nunc verò dat liberali manu, quod altera abstulerat. Sed, vt ad rem, hæc illa prior est argumentatio: *Opera communia Trinitatis non sunt personæ vnius de Trinitate propria: Iudicium opus est commune Trinitatis: non ergo personæ Christi proprium. Falsa autem conclusio, teste & auctore Christo: Falsum ergo aliquid antecedentia habeant necesse est.* Maiorem tuam, Samosatene, libenter damus, si rectè intelligas: quis enim ita desipit, vt cõmune confundat cum proprio, & hoc pro illo accipiat? Sed tamen illius rei te oportet meminisse quam suprà segmento 5. docuimus, eorum operum quæ cõmunia Trinitatis dicuntur, alia in totum esse communia; alia verò, quamuis actu communia, ratione tamen distingui secundùm summum (principium vocant) vel proximum etiam terminum, qui est in œconomia vel dispositione diuina. Sic Deus Pater Creator, vt principium & summus terminus creationis, appellatur singulari iure; licet trium personarum in deitate communis actio. Sic personæ Spiritus sancti attribuitur nostra sanctificatio, opus cõmune deitatis, sed a Spiritu sancto, prout a Patre & Filio procedit, in nobis terminatum. Nam œconomiæ internę diuinorum actuum, quodammodo externa respondet, sequitúrque ordinem illius. Ex hac autem distinctione diuinorum actuum, veritas

assum-

assumtionis vel propositionis minoris facilè cognosci potest. Cùm enim vna eadémque operatio respectu vel ratione varia modò communis, modò propria dicenda sit; communis inquam a communi principio operationis, quod est sancta Trinitas, & propria ex proprio ac singulari termino; bifariam, Samosatene, fallis, aut verò ipse falleris elenchi ignoratione: tum quia diuinorum iudiciorũ rationem, quæ secundùm aliud & aliud variat, conturbas planè: tum quia diuinam operationem confundis cum humana in persona Christi. Diuinorum autem iudiciorum huiusmodi ratio est, quòd secundùm principium commune iudicia deitatis sunt communiter, id est, sanctæ Trinitatis personarum in vnitate essentiæ: secundùm proprium verò & singularem terminum, sunt personę Christi data, quæ faciat atque exsequatur. Hanc autem rem, Samosatene, tu ipse, nisi mens peregrinata fuisset, animaduertisses, quum illud scriberes, quod in fine huius segmenti legitur ex Paulo, *Deus iudicabit mundum per Iesum Christum.* Agit Deus, agit Christus: sed Deus Pater, vt Principium summúsve terminus; Filius, vt proprius proximúsque, in vna eadémque operatione. Quod autem secundo loco dixi a te diuinam operationem cõfundi cũ humana in persona Christi, sic habet. Quemadmodum in vnitate personę Christi duę naturę sunt, diuina & humana; ita duæ sunt in vno & eodem actu distinctæque operationes illius. Nam vtraque natura agit operatúrque, diuina quidem vt mouens, humana verò vt essentiale instrumentum siue coniunctum (vt vocant) quod a diuina mouetur, prout cuique naturæ sua est forma seu virtus operans. Vbicunque autẽ mouens & motum habent diuersas formas seu virtutes operantes, ibi aliam mouentis operationẽ oportet esse,

Rom. 2.

aliámque moti propriam: licet quod mouetur participet mouentis operationem, & mouens vtatur operatione moti, & sic alterum agat cum cõmunione alterius (vt in exemplo putatoris & securis videre est) vnum cõmune opus & ἀποτέλεσμα. Sic igitur in Christo vtraq; natura propriam quidem operationem habet a propria forma seu virtute sua: sed diuina eius natura vtitur operatione naturæ humanæ, vt operatione sui instrumenti; humana verò participat operationem diuinæ naturæ, sicut instrumentum participat operationem agentis principalis. *Agit enim vtraque forma*, inquit Leo, *cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod verbi est, & carne exsequente quod carnis est.* Quod si est (vt profectò est) Christus secundùm vtramq; naturam iudicaturus est. An verò putas illam humanæ naturæ in Christo operationem, sanctæ Trinitatis operationem esse? an ita statuis consequi? falsum. Nam si secundùm diuinam illam naturam Christus iudicium ipsum (quod sanctæ Trinitatis commune est) vt proprius ex voluntaria dispensatione terminus, facit singulariter: multo magis secũdùm humanam certè, agit vt instrumentum assumtum in vnitatem personæ & diuini illius termini, singulariter. Alia enim est operatio humana, qua Pater & Spiritus sanctus non communicant nisi per acceptationem suę misericordiæ; alia verò diuina, quà Christus Dei Sermo æternus est, qua operatione Pater & Spiritus sanctus cum ipso planè communicant, distincto solùmoperationis termino, vt antè docuimus. Itaque illam conclusionem tuam simpliciter non admittimus, *iudicium non esse proprium personæ Christi*: nam idem iudicium respectu vario commune est sanctæ Trinitatis, & Christi singulare: commune, respectu communis princi-

Epist. 10. ad Flauianum.

principij agentis, Patris, Filij, & Spiritus sancti: singulare verò, respectu principalis termini secundùm naturam diuinam illius: respectu denique naturæ humanæ, vt instrumenti adunati in vnitatem personæ (vt ita dicam) singularissimum. Neque nos igitur contradicimus Christo (quod affirmas) neque orthodoxi illi Patres, quorum religiosa vestigia in pietate, doctrina, & sanctimonia sequens optimè tibi consulturus esses: tantùm ea distinguimus, quæ Scriptura & ratio distingui iubent, vt in vno communi opere suę operationes propriæ proprijs formis tribuantur. Nam etsi ex eo dogmate in Ecclesia recepto, opera nempe ad extrà communia Trinitatis esse, duo absurda tibi potentissimè videris nectere: vnum, *ergo non esse datum omne iudicium Filio:* alterum, *ergo Patrem simul iudicare:* quorũ prius affirmatur a Christo, posterius negatur: plurimùm tamen falleris, dum rem omnibus modis aptissimam pro absurda habendam putas. Nam vtrumque verum est, & sine vlla absurditate verum: *omne iudicium Trinitatis esse*, vt communis principij, & *omne iudicium Filio datum esse*, vt singulari termino secundùm œconomiam, tum principaliter diuinitate sua, tum verò instrumentaliter humanitate Non derogatur autem de iudicio Patris & Spiritus sancti, quia sic a Patre & Spiritu sancto cũ Filio instituta est dispensatio, in vna eadémque operatione. Sic & Pater simul iudicat, iudicat enim per Filium: & Filio omne iudicium est datũ, quia nihil Pater, nisi per Filium iudicat. Sed quid multis opus est? ipse Christus ibidem audiatur, qui in vno opere communionem & distinctionem doceat operationum. *Non potest Filius*, ait Christus, *a semetipso operari* (summus ergo terminus principiúmq; operationum Pater, Filius verò terminus proximus) *nisi viderit* Ioan. 5.

Patrem operantem, nempe vt imago perfecta Patris, perfectè ad eum spectans, eíque conformata: *quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit*: atque hæc communio æqualis operationum, quæ Trinitati sanctæ tribuitur. Quæ causa? diuinus Patris amor, & omnimoda ex amore cum Filio communicatio. *Pater enim amat Filium, & omnia monstrat ei quæ ipse facit*: *& opera maiora istis monstrabit eis vt vos miremini.* Quæ confirmatio, & signum præsentissimum? *Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat, ita & Filius quos vult viuificat*: communi puta opere, sed quod in Christo terminatur. Quo iure autem? qua auctoritate facit? auctoritate iudicis. *Nec enim Pater iudicat quemquam* (etsi communi operatione iudicat, quum mortuos suscitat atque viuificat, præcedente vers.) *sed omne iudicium dedit Filio*, definitione puta & exsequutione terminandum secundùm naturam diuinam principaliter, secundùm humanam instrumentaliter, secundùm personam denique absolutissimè in natura vtraque quod suum opus est consummantem: Tum enim res dicuntur fieri, quũ effectæ redduntur & manifestãtur, communi vsu. Hoc verò finis ipse adæquatus ostendit, communiter & æquo iure (quod tu, Samosatene, dicenti Christo non credis) ad personam Patris Filiíq; pertinens: *Vt omnes*, inquit, *honorent Filium, prout honorant Patrem: qui non honorat Filium* (puta vno eodémque honore, prout honorat Patrem secundùm honoris diuini æqualitatem) *non honorat Patrem qui misit ipsum.* Hîc certè non album colorem infuscamus nigro, non lucem tenebris corrumpimus; sed prolato veritatis diuinæ instrumẽto album albo, lucémq; luce superaddita illustramus.

Sed tu, Samosatene, qui Patrem eo argumento negas iudicare, quòd omne iudicium Pater dedit Filio, quid

quid est cur ex præcedente loco non audes concludere eodem planè argumentationis genere? *omnis potestas data est Filio in cælo & terra: nulla igitur est potestas Patri.* Nam æquè affirmatiua vniuersalis est, cui opponitur vniuersalis negatiua, & ex contrario inferri potest. Dices, atqui hîc dicitur, *Pater non iudicat quemquam*; illic non item dicitur, Pater non potest quicquam. Quid tum? nam quemadmodum hic ex contraria aiente exsurgit negans quæ exprimitur a Christo, sic etiam illic potest erui, quamuis non exprimatur. Ergo vt omnis potestas est Patris, omnísque Filij in cõmuni; sed hæc potestas, hic modus potestatis omnis a Filio in Ecclesia terminatur; omnis inquam cõmuniter, sed secundùm hunc modum singulariter: sic etiam omne iudicium est Patris, & omne Filij in communi; sed hoc iudicium hoc modo omne a Filio in Ecclesia & mundo terminatur: omne communiter, sed tamen secundùm hunc modum singulariter. Habes de priore argumentatione tua: de posteriore videamus. *Qui æquali potentia,* inquis, *maiestate, & gloria æternùm cum Deo regnaturus est, is nunquam Deo regnum est traditurus: Christus, vt orthodoxis placet, æquali potentia, maiestate, & gloria æternùm cum Deo regnaturus est: Nunquam igitur Deo regnum traditurus. Consequenti autem contrarium adfirmat Paulus: falsa igitur antecedentia.* Huius argumentationis texendæ & retexendæ rationem iam antè satis exposuimus segmento 10. In eo solùm discrimen est, quòd illic de hoc argumento communiter agitur sine vlla temporis determinatione, hîc tempus certum adscribitur. Maior propositio fallit elenchi ignoratione. Nam regnum Christi duobus modis consideratur, secundùm naturam, & secundùm voluntariam dispensationẽ gratiæ. Regnum Christi secundùm naturam,

commune totius deitatis est vel diuinæ essentiæ, æternum, quo regno tres personæ æquali potentia, maiestate, & gloria regnant in vnitate essentiæ, & operationum communium, in omnibus, & super omnia, infinitè, & immutabiliter, ab æterno, in æternum. Regnum verò Christi secundùm voluntatis & gratiæ dispensationem, singulare est personæ θεανθρώπου, & temporarium, quo in regno persona Christi, quamuis integro seruato naturæ iure & communi deitatis regno, submittens sese propter nos homines & salutem nostram, secundùm vtramque naturam, in vnitate personæ & operationum personalium, voluntaria dispensatione regnat, in omnibus, & super omnia, in Ecclesia, definito regno, atque mutabili, cuius principium & finis in tempore, cum principio & consummatione Ecclesię est coniunctissimum. Nunc age, expendamus partes argumentationis tuæ. Maior igitur vera est, si ita acceperis, Qui æquali potentia, maiestate, & gloria æternùm cum Deo regnaturus est, eum nunquā Deo regnum esse traditurum, illud puta regnum quo ęquali potentia, gloria, & maiestate regnat. Sin autem ille ipse qui regnat ęqualiter, propter certas caussas se vltrò demiserit saluo naturali iure, vt dispensatiuè inferius regnum procuret per gratiam, iniurius certè in eum fuerit quisquis nunquam fore affirmabit vt dispensatiuum illud regnum ijs tradat a quib. acceperit. Nam si dispensatiuum hoc regnum is nunquam traditurus esset, nunquam regni naturalis vsum plenum esset recepturus, id est, planè id occupaturus, ex quo se alieno bono dispensatiuè demisit, non malo suo. Ergo quà æqualiter regnat, regnum hoc suum non est traditurus, naturale enim est essentiæ: quà verò subiecit sese propter salutem nostram, & suscepit abiectiorem regni modum,

modum, is regnum hoc ſuum traditurus eſt, quum finem illius fuerit aſſequutus, id eſt, conſummationem Eccleſiæ: diſpenſatiuum enim eſt perſonæ, & temporarium. Hæc mihi quidem ſic videntur clara, vt mirer homines exſtare qui ſpecie inflati ſcientiæ non intelligant tam populare argumentum. Minoris itaque propoſitionis iam facilis eſt apertáque intelligentia, poſtquam theſeos, quæ in maiore, elenchus retectus eſt: aperta concluſionis inanitas. Chriſtus enim æquali potentia, maieſtate, gloria æternùm cum Deo Patre regnaturus eſt illo regno quod ſecundùm naturam appellauimus, etſi non illo diſpenſatiuo, quod eſt inferius. Quid ergo iam concluſione facias? Ego de allijs loquor, dicebat quidam, tu reſpõdes de cepis. Ita enim concluſioni cum antecedentibus conuenit, ſi ad regnũ diſpenſatiuum, vt facis, retuleris. Alioqui de eſſentiali, quod ſecundùm naturam eſt, concluſio veriſſima. Te autem de illo diſpenſatiuo agere oſtendunt ſequentia, quum ais, *Conſequenti contrarium a Paulo affirmari.* Cõtrarium affirmari nego, diuerſum concedo. Itaque quicquid pòſt adfertur, nihil ad rem. Sed tamen illud quicquid eſt videamus. Sic loquitur Paulus: *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur,* id eſt, reſurgent ex mortuis: *Vnuſquiſque autem ſuo ordine: primitiæ* reſurgentium *Chriſtus, poſteà qui ſunt Chriſti* reſurgent viuificati *in aduentu ipſius: Deinde erit finis,* nempe iſtius viuificationis ad reſurrectionem & vitam æternam, totiúſque gubernationis & regni illius diſpenſatiui, *quum tradiderit regnum Deo & Patri,* nempe quod diſpenſatione gratiæ receperat in ſeſe ad ſalutem corporis ſui, quod eſt Eccleſia, *quum aboleuerit omne imperium, omnémque potentiam & virtutem,* aduerſatam Eccleſiæ ſuæ, vt verſu ſeq. exponitur.

1. Cor. 15.

Quid hæc, obſecro, ad regnum eſſentiale illud, quod natura commune eſt Deo Patri, Filio, & Spiritui ſancto in vnitate eſſentiæ? Sequitur paulo pòſt ibidẽ, *Poſtquàm verò ſubiecta fuerint ei*, nempe Chriſto, *omnia*, factáque Eccleſiæ totius ἐπισυναγωγὴ in ipſum, vt idem
2.Theſſ.2 Apoſtolus vocat commodiſſima voce & ſignificantiſſima *tunc & ipſe Filius ſubijcietur ei qui ſubiecit ipſi omnia*,
Epheſ.1. id eſt, Chriſtus ille myſticus, ex perſona Chriſti velut capitis omnia ἀνακεφαλαιώσαντος & corpore Eccleſiæ per ἐπισυναγωγὴν Chriſti in ipſum adunato conſtans, ſubijcietur Patri qui ſubiecit ipſi omnia, & immediatè ſuberit in membris ſuis & humanitate ſua, omiſſo diſpenſatiuo illo regno cuius nunc procurationem obtinet, & cuius ratione etiam Dominus noſter appellatur: *vt ſit Deus omnia in omnibus*, Deus inquam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, in vnitate eſſentiæ immediatè vtens communi æternóque regno, cuius cauſa diſpenſatiuum fuerat inſtitutum. Nam ceſſabit quidem hoc diſpenſatiuũ; ſed effectus illius, vi æterni ac eſſentialis illius regni permanebit. Hęc illa documenta ſunt myſteriáque diuina, quæ Apoſtolus narrat, & quorum exſpectatione vt alij alios conſolemur iubet. Obijcitur, *ſi noſtri dicant, ſecundùm carnem, id nefarium abſurdum ſequuturum, quòd Chriſtus erit ſubiectus Chriſto.* Negatur cõſequens: & fallacia æquiuocationis eſt euidens. Nam Chriſtus aut de perſona ſeorſim enunciatur in ſe perfecta, quà Deus & homo vnitate perſonæ, aut de perſona completa complemento ſuo, quod eſt Ec-
Epheſ.1. cleſia, per illam ἐπισυναγωγὴν in ipſum, (vt ex Paulo antè appellauimus) quà eſt caput Eccleſiæ ſuæ. Vſque ad tempus illud conſummationis omnium, Chriſtum in perſona ſua ſpectamus operantem opera regni ſui: inde a tempore conſummationis factæ, eumdem in corpore

corpore ſuo, puta Eccleſia, ſpectamus cõquieſcentem. Nunc autem Chriſtum in perſona ſua ſubiectum Patri agnoſcimus per diſpenſationem illam ſalutarem (de qua iam ſæpius) ſecundùm diuinitatem, videlicet ſaluo naturali illius æqualitatis iure; ſecundùm humanitatem, naturâ ſuâ. At tunc in conſummatione ſeculorum, Chriſtum in perſona ſua videbimus, finita illa diſpenſatione, adæquatum Patri, id eſt, plenũ vſum æqualitatis naturalis ſuæ obtinentem cum Patre, ſine inanitione & deminutione vlla aut deminutionis ſpecie, ſecundùm naturam diuinã ipſius: ſubiectum verò Patri ſecundùm naturã humanam ſuam, in carne ſua, & in membris ſuis. Deinde ſi de perſona ipſius agitur, aut ſecundùm totum perſonæ, aut ſecundùm partem (vt ita dicamus) agitur. Atq; hæc duplex fallacia ſemper cauenda eſt, quoties Chriſti nomen inter argumẽtandum producitur: vna, vtrùm de perſona Chriſti agatur in ſe, an verò in myſterio: altera, ſi de perſona Chriſti agatur in ſe, vtrùm ſecundùm totum perſonæ, an verò ſecundùm hanc aut illam naturam. Vt ergo κατὰ μίτον dicamus de obiectione iſta: primùm ſimpliciter negamus cõſequẽs, Chriſtum Chriſto ſubiectum fore: hoc enim loquendi genere duo ſuppoſita ſiue perſonæ ſtatuuntur captioſè, cùm nos vnum Chriſtum, perſonam vnam, confiteamur & credamus ex naturis duabus, ac non perſonis, conſtitutam: eſſe enim perſonam æternam aſſumentem, & naturam aſſumtam in vnitatem perſonæ. Secundò vt detur non hîc fieri duo ſuppoſita, ſed tantumdem his verbis ſignificari ac ſi dixeris, Chriſtum ſibi ſubiectum fore; id omnino conſtat, nomen Chriſti de perſona, ſiue in ſeſe (vt moris eſt) ſiue in myſterio enunciatum (prout myſterium illud perfectum futurum eſt in conſummatione ſeculi)

dici æquiuocé. Si ergo de persona in se nomen Christi placebit accipi, idem profectò secundùm totum personæ sibi subiectus propriè dici non potest: secundùm verò naturā assumtam, optimè subiectus dicetur personæ assumenti. Humana enim natura diuinæ, vt instrumentum eius, subiecta est. Instrumentum autem, siue separatum, siue coniunctum, principali agenti suo modo subiectum est: separatum, vt securis putatori, messori falx, dolabra fabro: coniunctum, vt corpus animæ, & omnes corporis partes menti, quā propterea philosophi τὸ ἡγεμονικὸν, quasi ducē & præsidem quamdam, appellarunt. Cùm autem deitatis vna sit potentia, maiestas, gloria trium personarum communis, humanitas verò deitati Christi subiecta sit, quis neget eamdem etiam Deo Patri subiectam esse? Etenim aut subiectam oportet esse deitati, aut adæquatam. Vt adæquatam dicamus, absit: nam quartus hic foret Deus, quod antè Samosatenus obiecit; & rem vllam creatam Deo creatori in se adæquari posse, tota Scriptura constanter negat. Subiecta igitur. Quòd si de persona Christi in mysterio intelligatur, vt capitis cum corpore; certè non potest hoc respectu non subiectus esse tum secundùm humanitatem suam, tum secundùm corpus redemtione acquisitum & assumtum, id est, Ecclesiam suam. Loquitur autem Apostolus de futuro statu in consummatione seculi, quo Christus in mysterio completus futurus est, prout tempus illud tempus instaurationis omnium appellatur. Rectè ergo *Christus Deo Patri subijciendus* dicitur, *regnúmque ei traditurus* illo exoptatissimæ consummationis tempore. Nam *subijcietur* posito deditóque regno, tum secundùm humanitatem suam in persona sua, tum secundùm accessionem suam in persona Ecclesiæ suæ: *regnum*

Act. 3.

regnum antē tradet etiam ſecundùm diuinitatē ſuam, puta diſpenſatiuum illud & temporarium, quod inaniens ſeſe diuinitas eius in ſe receperat per diſpenſationem gratiæ: idque *vt Deus ſit omnia in omnibus*, & ipſa quoq; diuinitas Christi, quæ ſeſe κτ̀ φανέρωσιν propter nos exinaniuerat, regno illo ſuo æterno diuinóq; perfruatur cum Patre & Spiritu ſancto κτ̀ φανέρωσιν in plenitudine gloriæ. Quamobrem non eſt cur labores, Samoſatene, vt Chriſtum probes non fore ſubiectum Chriſto: id enim religiosè pernegamus: ſed in humanitate ſua & Eccleſia ad humanitatem aſſumta, quæ vnum cum ipſo futuræ ſunt æternùm, Deo ſubiectum fore agnoſcimus, & in ea ſpe gloriamur: Quòd ſi Deo, ergo & deitati ipſius vtramque ſubiectam fore, naturam humanam & Eccleſiam eius. Etenim ſi iam hoc ipſo tempore ſubiectæ ſunt, quo ad finem illum in hac infirmitate Eccleſiæ contenditur; quid mirum, ſi illo tempore ſubiectæ futuræ ſunt, quo ad finem ſuum diuina virtute & gratia Chriſti perducentur? Sic Patri, Filio, & Spiritui ſancto, vnius potentiæ, maieſtatis, & gloriæ Deo, ſuberit humanitas Chriſti & Eccleſia eius. Qui autem adferuntur loci, nihil ad hanc rem omnino faciunt. Agitur enim illis de iudicio, non autem de ſtatu & ordine qui poſt iudicium futurus eſt: quæ duo hic Samoſatenus neſciuit diſtinguere. Taceo de interpretatione ipſius, qua ſe ipſe iugulat, vt antè diximus. Nam ſi Deus per Filium iudicaturus eſt, iudicat igitur: atque hoc verum: ſi non iudicat, certè non vt Filius iudicat, id eſt, eo modo quo Filius: nam per Filium iudicat, & quidem diſpenſata per carnem aſſumtam iudicatione. Sic vtrumque verum diuerſo reſpectu, iudicare & non iudicare Patrem. Quam rem, Samoſatene, ſi non intelligis, pete vt intelligas iudicem, ne experia-

ris iudicium eius: quod tua tuorúmque causa a Deo & Patre luminis constanter peto.

Samosatenvs. 13.

Et certè in re ipsa nihil difficultatis esset, si modò ignorantia tot seculorum diuinæ veritatis lucem non exstingueret. Imbibimus phrases & loquendi modos, Conciliorum potiùs quàm Apostolorum: nō mirum itaque, si Scripturæ vim & proprietatem ignoramus. Ex animo autem, charissime præceptor, exopto tibi, vt meo potiùs exemplo discipulum te Christi & Apostolorum fatearis, quàm eorum qui nouis student formulis, eásque in docenda Ecclesia perpetuò in ore habent, non sine turpi doctrinæ & Ecclesiæ Christi ignominia. Proinde non absque causa 2. Tim. 1. monet Apostolus, exemplum teneto sanorum verborum, quæ a me didicisti. An verò sunt, Domine præceptor, exemplar sanorum verborū voces illæ, Trinitas, essentia, tres personæ in vna essentia? quæ nec a Paulo, nec a Christo, nec a quoquam alio in Ecclesia Christi fuerunt olim vsurpatæ, sed a Concilijs & reliquis Patribus excogitatæ & inuentæ. At sunt (inquiunt Orthodoxi vestri) necessariò voces illæ in Ecclesia retinendæ. Quid? nónne hæc, obsecro, ex diametro repugnant diuinis vatibus? hoccine est cum timore & tremore salutem suam procurare, vbi potiùs philosophis quàm Christo & Apostolis habetur fides? vbi potiùs aliena quàm sua fide viuitur?

Orthodoxvs.

Svperioribvs paradoxis tuis, Samosatene, iam addis παραδοξότατον, quod si ex animo dicis (vt puto dicere) palàm ipse prodis cæcissimas tenebras mentis tuæ, & humana arte immedicabiles. Curet Dominus

nus curator noster. Primùm in reipsa nihil difficultatis esse pronuncias, nimirum tibi & tuis, qui vestra illa sublimi scientia & acie ingenij omnia diuina rimati estis. Deus bone! quid Paulo illo seruo Dei vocato Apostolo ad obedientiam fidei, illo electionis vase faciamus? Dicit enim ille, *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Postquam autem aduenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur. Quum essem infans, vt infans loquebar, vt infans sapiebam, vt infans ratiocinabar: postquam autem factus sum vir, vt inutilia sustuli quæ infantis erant. Cernimus enim nunc per speculum & per ænigma, tunc autem coràm cernemus: nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam prout cognitus fuero.* Cernenti Paulo eminus, per speculum, per ænigma, ex parte nihil difficultatis fuisse visum equidem nō ausim dicere: & tu hoc tibi arrogas? Quid cœlestes Angeli? nónne binis alis tegunt faciem, quia huius rei maiestatem & amplitudinem non possunt defixis oculis contemplari? & hæc tu, miser homuncio, sine vlla difficultate videas atque peruideas? Dices, de eo loqui te quod reuelatum est. Esto sanè: sed illud ipsum quod reuelatū est, eminus, per speculum, per ænigma, ex parte est reuelatum: quis autem homo sic desipuit, vt se eam rem sine difficultate videre prædicet, quam eminus, per speculum, per ænigma, & ex parte videt? Dices de eo loqui te quod intus luce diuina vides. Et hoc ipsum est, mi homo, alterum reuelationis membrum, sine quo nobis foret inanis quælibet reuelatio. Reuelat Deus foris Scripturæ face, intus Spiritus luce, qua oculos sanctorum illuminari in dies Paulus desiderabat in singulis epistolis. Sine hac reuelatione nihil videremus: cum hac reuelatione & per ipsam videmus aliquid. Hoc autem cuiusmodi sit, docet Apostolus, quum de se & pijs

[Margin notes: 1. Cor. 13. — Esai. 6. — Ephes. 1. & 3.]

communiter enunciaret nos eminus, per ſpeculũ, per ænigma, ex parte cernere. Eſt igitur etiam puris corde ſemper aliquid difficultatis hęrens in cognitione & intelligentia iſtarum rerum: quam difficultatem qui nõ videt, cæcior eſt (quod aiunt) leberide: qui peruidet, infantem ſe eſſe videt in rerum diuinarum quæ hîc aguntur ſcientia. Addis, *ignorantia tot ſeculorum extingui veritatis diuinæ lucem.* Veriſſimè dictum, eheu, nimis verè dictum: at nõ appoſité. Nam in hac re, quæ quidem eſt religionis caput, Deus ne hoc quidem tempore vſque adeò abiecit Eccleſiã ſuam, vt ab illa quaſi arce pietatis, religionis, fidei exciderit. Alijs quidem in rebus paſſus eſt ruere miſerrimè: ſed in hac, quamuis ingruentibus & infeſtantibus tenebris errorum grauiſſimis, ſignum Eccleſiæ ſuæ quo ab alijs internoſcitur, Trinitatis dogma, lõgè integrius quàm quiduis aliud conſeruauit. Hoc a Deo traditũ, a Patriarchis & Prophetis cultum, a Chriſto demonſtratum, ab Apoſtolis declaratum, ab Eccleſia retentũ pignus cœleſtis ſcientiæ, per omnia ſecula perdurauit. quid enim veritate fortius? Sed de hac re ſegmento 2. ſatis. Concilia & Apoſtolos opponis: malè, ſi ad priſca illa Concilia & laudatiſſima reſpexeris: quid enim tam cum verbo Dei cõſentiens? Nos verò ex illis Scripturæ vim & proprietatem magis, quàm ex vllo Samoſateni cõmento cognoſcimus; tantum abeſt vt iis a ſacræ Scripturæ intelligentia abducamur. *Phraſes*, inquis, *illorum magis quàm Apoſtolorum imbibimus.* Sed per Deum immortalem, quid eſt quod in phraſibus meritò reprehendas? nónne eædem ſunt? quòd ſi quæ eædem non ſunt, at nónne ſunt idem? Profectò quiſquis ſapit ſecundùm Deum & fugit τὸ λογομαχεῖν, nunquam eas phraſes damnaturus eſt, in quibus horum alterum deprehenderit.

rit. Easdem appello eas quæ verbis & re consonant: idē, quæ verbis diuersæ sunt, quamuis re consonent. Est autem vtrumque hoc genus in docendo necessariū. Nam teipsum appello, Samosatene qui doces: dic bona fide, quotiescunque doces, vtrùm idem per idem doces & exponis, nécne? Si per idem, non doces, sed garris atq; ταυτολογεῖς. Idem igitur doceri satis est, licet non per idem. Quid dico satis? immo verò est commodum, vtile, necessarium, tum causa eorum qui docentur, vt ea quæ docentur percipiāt; tum vel maximè causa eorum qui redarguuntur, vt eius ipsius quod doceri nolunt veritate reuincātur per verborum, phrascon, sententiarum lumina. Hæc lumina talpæ, vespertiliones, noctuæ fugiunt; non autem filij lucis, secundùm Deū φιλομαθεῖς. Easdem igitur phrases, quas Spiritus sanctus dictauit in Scripturis sacris, seruari, quoad eius fieri potest, tam probo & laudo quàm qui maximé. Sed quid si auditorum captus, siue docilium, siue indocilium & contradicentium, rem aliter exponi desiderabit? Docilibus ego quidem suaserim quasi præmāsum cibum in os inseri & lac præberi populariter: indocilibus medicamentum obtrudi efficaciter: solidū cibum cæteris. Hoc discrimen nos docet Apostolus duobus locis luculentissimè: cuius discretionem si nescis, quî docere possis? Quid mea, obsecro, vtrùm phrases istas Concilium, aut homo vnus, etiam olitor dixerit, modò a Deo sint, & veritati ipsius respondeant? At *nouis student formulis*, inquit, *eásque in docenda Ecclesia perpetuò in ore habent, non sine turpi doctrinæ & Ecclesiæ Christi ignominia.* Negatur: quî probaueris? nam hæ quidē formulæ quas tu adducis, annos quasi mille trecentos obtinuerunt, cum incredibili τῶν ἑτεροδιδασκαλούντων dolore. Deinde fuerint sanè per illud tempus

1. Cor. 2. & 3. Hebr. 5.

nouæ, aut exsistant aliæ memoria nostra: non eas continuò explodi necesse est, quia verbum de verbo nō leguntur in Scripturis sacris; sed qua occasione, quo fine, quo sensu proferantur, quam vtilitatem habeant, necesse est explorari. Non enim occasionem vltro nouis formulis homines nostri attulerunt, sed hęretici sua (vt Irenæus vocat) καινοτομίᾳ & κενοδοξίᾳ eas, licet inuitis obtruserunt: non eo fine, vt a verbo Dei phrasibúsque ipsius abducant gregem Christi, sed vt aberrantes reuocent, & abducentes certis quasi cancellis circumseptos teneāt ne euagentur, pióſque doceant breuibus quasi symbolis eos retegendi & cōstringendi modum: non alieno, non diuerso, non contrario sensu quàm qui in Scripturis sacris exponitur, sed eodem planè, quia apertę sua veritate reuelet technas eorum qui cōtradicunt veritati: non denique inutiliter, sed cum fructu & vtilitate maxima, cuius aliquam partem modò perstrinximus. Non est, crede mihi, nouitati studere, quū ita agitur; sed nouitati obsistere. Nouitas a vobis est, colitur, propugnatur: a nobis est diuina veritas, cuius amore, nouitas a nobis fugitur atque oppugnatur. Vt autem oppugnetur expugnetúrque nouitas, quis non vel inuitus vtatur nouitate? Vt in acie nouationē boni duces occupant, quum nouis hostium artibus appetuntur: sic in Ecclesia, in castris Domini subsidia nouarum vocum aduersus hostiles artes largitur Deus. Dolet tibi animus, quòd hæc subsidia in promtu habeamus: at nos Deo gratias agimus. Obijcis hæc subsidia: quidni facias? sic cupit hostis res nouas exprobrās, a nouitio milite imprudenter subsidia abijci, hostiles istas obiectiones indignante. Nos verò hæc subsidia eo constantiùs retinemus; nō quò doceamur illis propriè, aut Scripturis sacris nō habeamus satis; sed quia compendia

dia

dia sunt retegendæ & cauendæ nouitati vestræ. Scilicet ignominia doctrinam & Ecclesiam Christi afficimus, quum subsidio atque compendio istorum indiciorum ad imperitiorum labilem memoriam cõmodissimo notamus propter veritatem doctrinæ & salutem Ecclesiæ Christi, configimúsque nouitatem vestram, eorúmque omnium quos mentis vanitas impedit ne acquiescant veritati. Sequitur, *Iubet Apostolus exemplum teneri sanorum verborum quæ ab ipso didicimus.* Atque hinc argumentatio, *Quæ voces non sunt exemplum sanorum verborum, & quas a Christo Apostolísque non didicimus, eæ non sunt tenendæ: Trinitas, essentia, tres personæ in vna essentia, sunt voces eiusmodi: Non ergo tenendæ.* Maiorem accipio lubens: triplex tamen ad eam cautio. Prima, rectè *exemplum* desiderari ab Apostolo expressámque formam, vt omnia ad prælatum exemplar componantur. Secunda, *sanos sermones* dici ab eodem Apostolo, id est (vt alibi appellat) doctrinam sanam, quod hîc ad verba & voces restringit Samosatenus, vt persuadeat consilium suum. Tertia, interdici *sermonibus quos a Christo & Apostolis non didicimus,* atque adeò, si ita placet, vocibus non sono, sed sensu differentibus. Alioquin si sono differẽtes putas interdici, quid est cur non loquamur Syrè, vt Christus? Hebraicè, vt Prophetæ? Græcè, vt scripserunt Apostoli? cur tu, Samosatene, doces & scribis Polonicé? Conuenit ergo inter nos, rem & rei formam seruari oportere, non voces, non sonos vocum. Assumtio falsissima est, vtrouis modo acceperis, siue de substantia rerũ, siue de vocibus. Ac de vocibus quidẽ illis prima, *Trinitas* siue Trias, expressè in Scripturis non legitur, si bene obseruaui: sed tres dicuntur in Scripturis cõcreta (vt loquuntur) voce. Eorum autem qui tres dicuntur in concreto, analogicè

in abstracto Trinitas vel trias appellatur. Hoc pueri norunt, hoc prima Grammaticæ rudimenta docent, hoc nulla religio prohibet: hoc natura asserit, si qui tres sunt, eorum trinitatem esse: si qui decem, eorum esse decuriam: si qui vnus, eius esse vnitatem. Qui hanc vocum fugiunt analogiam, eos aliud in re ipsa oportet aucupari. *Essentiæ* nomen a te in Scripturis non fuisse credo deprehensum, & confido planè: est tamen in eis, legitúrque aliquoties. Hāc Hebręi appellant *Thuschija*, a verbo significante esse: quemadmodum ab esse dicitur essentia. Sic appellatur in libro Iobi, & Prouerbijs Salomonis frequenter. Phrasis tertio loco posita, *tres personæ in vna essentia*, quia magis ad sensum quàm ad voces pertinet, a nobis tum confirmabitur quum substantiam rerum ostenderimus vocibus præcedentibus expressam esse, vt expressa illa forma sanorum sermonum postulat. Trinitatis substantiam doceri Scripturis duobus modis demonstrabimus tam euidentibus, quàm est euidens ter vnum esse tria. Nam primùm vbi tres nominantur distinctè, ibi est Trinitas: Tres in deitate distinctè nominantur passim, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Ergo in deitate Trinitas. Maiorem probat analogia, quam suprà diximus: Minorem Scriptura, Matth.3.& 12. & 28. Ioan.1. & 15.& 16. & 1.Cor. 12. & 2. Cor.13. & 1.Ioan.5. & Apoc.1. & alibi, etiam in Testamento vetere, vt suo loco (si Deus volet) declarabimus. Secundò, Qui tres numerantur numero (vt vocant) numerante, eorum trinitas est numero etiam numerato secundùm iustam analogiam: Tres autem numerante numero in deitate numerantur: Eorū igitur, vt suppositorum, Trinitas in deitate est numerato numero. Minor probatur ex 1.Ioan.5. Substantiam eius quod essentia dicitur, etsi multis possumus, tribus

modis demōstrabimus. Primùm ipso vsu vocis, Essentia, de Deo vsurpatæ. Sic enim Deus in Scripturis, *Apud illũ est robur & essentia*, &c. item, *meum est consiliũ & essentia, mea est prudentia, robur meũ*: item, *mirificus est cōsilio, magnificus essentia*. Nam cùm in re qualibet modus operationum sequatur modum τοῦ εἶναι siue essendi illius, quis neget hunc Esaiæ locum, si bene attenderit, ad essentiam Dei pertinere? Secundò nomine proprio seu essentiali Dei, quo Scriptura sacra in Testamento vetere vtitur, Iehoua, Iah, Eheje (hæc enim cōiugata sunt) quod est Ens, ὁ ὢν, & quidem Ens αὐτοὢν, æternum, immutabile, &c. quapropter apposité dicebat Ioannes, ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος: Græci verterunt κύριον, dominum, ἀπὸ τοῦ κύρου, ab auctoritate non solùm agendi in alia, vt vulgo exponitur, sed essendi a se & in se (vt ita loquamur) quasi αὐτοόντα, & auctorem principiúmque vt alia omnia sint, in quo viuimus, mouemur, & sumus, ex quo, per quem, & propter quem omnia. Nam *si Entis est essentia* (vt est analogicè) *profectò summè Entis summè est essentia: Est autē Deus summè ens, ὢν ὑπερούσιος: Eius ergo summè est essentia*. Postremò prædicationibus de Deo, quæ in sacris Scripturis exstant. Nam siue Deus loquatur, *ego sum, & non est alius*: &, *non est quisquam præter me*, vt sæpe in Prophetis legimus, siue de eo serui ipsius enuncient, vt passim: omnino illud verbum, esse, ὑπαρκτικῶς oportet accipi: quod esse secundi adiecti recentiores Logici appellarunt; Græci κατηγορούμενον, vt ab esse tertij adiecti, quod est προσκατηγορούμενον, distinguerent. *Quicquid autem est per se, quà est, essentia est: Deus est: essentia igitur*. Atque hæc spectabat omnia Apostolus, quum ita scriberet, *Qui accedit ad Deum, hic credat oportet esse Deum, & ijs qui quærunt ipsum futurum esse remuneratorē*.

Iob.12. Prouerb. 8. Esai.28. Apoc.1. Act.17. Rom.11. Esai. 43. 44. & 45. Heb. 11.

Phrasin illam, *tres personæ in vnitate essentiæ*, vno cõtextu ad verbum non memini legi in Scriptura: sed leguntur singulæ suis locis, legitur plurimis æquiualens. Personæ vox, vel subsistentiæ (nam vtrouis modo interpreteris, non magni interest) legitur Hebr. 1. *Christus est effulgentia gloriæ, & character personæ Patris.* & ita oportere exponi, suprà segmento 6. apertè docuimus. Vnitas non legitur, sed vnum. quo autem argumento a tribus Trinitatem, eodem ab vno vnitatẽ dici constat, & paulo antè monebamus. De essentia modò tantùm vidimus. Iam aliquid ἰσοδυναμοῦν adferamus. Certè quum Christus diceret, *Ego & Pater vnum*

Ioan. 10. *sumus*, primum subsistentias vel personas duas, supposita (vt loquuntur) duo distinctè memorabat: deinde commune illud de suppositis duobus istis prædicabat, quòd sint vnum, ídque non animorum cõsensione solùm, aut operatione, sed essentiæ vnitate. Nam si sunt vnum, eorum essentia vna est: vnitas ergo essentię. Qui de operatione accipiunt, nónne vident causam operationum reddi? at quorum vna planè est operatio, vna quoq; essentia dicenda est. Nónne pudet eos qui Christiani haberi volunt, id negare quod Iudæi ipsi agnouerunt, & pro blasphemia exprobrauerunt Christo? *Ob bonum opus*, inquiebant, *non lapidamus te. sed ob blasphe-*

Ioan. 17. *miam, id est, quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum.* Itẽ, *vt omnes vnum sint*, ait Christus, *sicut tu Pater in me, & ego in te*, nimirum vnum sumus essentiæ vnitate. Quod posterius de essentiæ vnitate dictum ne imprudenter ad membrum simile raperetur, tamquam si vnio sanctorum adæquaretur personarum vnitati in sancta illa Trinitate; mox Christus subijcit vnionem illam nõ esse huic vnitati æqualem quæ a natura est, sed a gratia Dei proficisci communicatione gloriæ in Christo cõsummandæ

mandæ. Dicit enim, *ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum,* &c. Item, *tres sunt* 1. Ioan. 5.
qui testificantur in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. id autem est omnino, tres sunt personæ in essentiæ vnitate, tria distincta supposita, essentia vna. Hæ igitur voces, Samosatene, a Christo, Paulo, Apostolis, & Ecclesia sunt: eadem cõmunis omniũ sententia, quam Concilia & Patres eos sequuti tenuerunt, & nos sanctè ab illis traditam religiosa fide obseruamus. Pergis argutari dicens, *Quæ ex diametro repugnant diuinis vatibus, ea non esse retinenda in Ecclesia: hæc autem repugnare: ergo.* Negatur minor, & ex veritate modò ostendimus negari oportere. Cõtrà enim quisquis non adfert hanc doctrinam, is veritati Dei & saluti Ecclesiæ aduersatur. Retinenda igitur ipsa, & voces ad declarationem ipsius commodæ. Iterum, *Qui potiùs philosophis, quàm Christo & Apostolis dant fidem, & aliena fide potius viuunt quàm sua, ij non procurant cum timore & tremore salutem suam: hoc faciunt orthodoxi: ergo.* Maiorem damus: etsi nõ prætereundum, philosophos opponi Christo; ac proinde hîc non quamuis philosophiam, sed inanem illam aut falsam reprehendi, quæ a Christo abducit, aut ei aduersatur, & contradicit doctrinæ eius. Nam alioquin, vt natura est a Deo, sic philosophia naturæ conueniens a Deo est, nec nisi a brutis contemni potest, quæ fœnum esse oporteat. Hanc philosophiam Christo & Scripturę negamus iustè opponi posse, velut aduersantem, cùm sibi ipsi nunquam aduersetur Deus, a quo est & philosophia. Minorem negamus constantissimè: nam istorum malorum nec sumus conscij cum animis nostris, nec a Samosatenis, Photinis, Arijs, Macedonijs omnib. euinci possumus.

Deo gratias immortaleis agimus, quòd dignatus est Spiritu suo testari in spiritu nostro, nos ipsi esse filios, & audire vocem ipsius: Deo inquam gratias de munere ipsius inenarrabili.

SAMOSATENVS. 14.

HÆC *autem quæ ad te scribo, præceptor charissime, cogit me facere amor tui, vt cui multum a me deberi fateor: & interim Deum omnipotentem oro, vt tibi oculos aperiat mentis tuæ, cor nouum in te creet, & regeneret te ac eripiat mundo, vt opera lucis possis faciliùs ab operibus tenebrarum dignoscere: deinde absque ruga ante tribunal Christi comparére, dulcissimúmque fidei & vitæ inculpatæ fructum percipere: qui vnicuique exsoluet ac præmium ipsius reddet quod*

2. Cor. 5. *quisque in corpore fecerit, siue boni, siue mali. Sic enim affa-*

Apoc. 22. 12. *tur nos in Apocalypsi, Ecce, venio citò & merces mea mecum est, vt reddam vnicuique prout opus ipsius fuerit. itē Rom. 2. 6.*

Rom. 2. 13 *qui reddet vnicuique secundùm opera ipsius. Et ibidē etiam nos, nos inquam hortatur Apostolus dicens, non qui audiunt legem, iusti sunt apud Deum; sed qui legem præstant. Sic &*

Ephes. 2. 10. *Euāgelij vox: nam Dei opus sumus, cōditi in Christo Iesu ad opera bona quæ præparauit Deus vt in eis incederemus. Quænam autē illa sint opera bona siue opera spiritus, & quæ mala opera siue opera carnis, vide ad Galatas 5. vers. 18 sub finem. Neque solùm inspice locum, sed vt facias contende. non enim qui vident, aut audiunt, aut dicunt, Domine Domine, regnum Dei obtinebunt, sed qui faciunt voluntatem eius & Deo debitam præstant obedientiam: siquidem citiùs cælum & terra transibunt, quàm vel minimum præceptorum eius poterit immutari. Quapropter nos ab omnibus curis huius*

2. Tim. 2. *vitæ & peruersi mundi tempestiuè conuenit expurgari, vt simus idonea vasa, & ad honorem consecrata, ad vsum Domini*

mini ipsius apta & præparata ad omne opus bonum: & ita in bonis operibus perseuerantes, gloriam, honorem, immortalitatem, vitámque sempiternam quæramus, obtineamúsque. Explora itaque iam te ipsum: num fundamento vero inniteris? num toto corde mandata eius exsequeris? annon es inutilis seruus ille cui gehenna imminet? num Deo fidelis fuisti in occupatione talenti tui? num fructum illum tulisti, ad quẽ per Christum fuisti destinatus? omnem enim palmitem qui nõ edit fructum Dominus amputat. num hactenus res tuas magis quàm diuinas atque æternas procurauisti? num gratiam & fauores hominum magis quàm Dei gloriam & dilectionem aucupatus es? vellésne in posterum tot labores & curas, tantásque molestias & longinqua itinera, tanta denique pericula ad vanas hominum preces alicuius cõmodi aut lucelli causa suscipere & sufferre? Absit. nonne satius id & conuenientius futurum est, vt iam examines conscientiam tuam, illámque puram, atque adeò teipsum Deo sistas, iustúmque iudicium Dei (cuius in te geris imaginem) effugias? mundo & curis eius omnibus valedicas? quæ vt momentanea sunt & incertæ, ita multos fallunt præcipitántque in exitium. studeas denique vt tua sorte cõtentus sis, prout nos monet Apostolus, & ita occupans te in obediẽtia, viuas in Christo, conscientia omni ex parte pacata per Christum? Hæc ego & multo maiora, quæ huius loci non sunt, aut temporis, tibi ex animo exopto & precor: vtpote cui multum debeam, & quem meritò solitus sim amore complecti, nec adhuc amare desino. Proinde, si rectè iudicabis, videre ipse poteris quæ & quanta precibus exoptem tibi, cùm maiora his optare nequeam, quàm vt cum Christo viuas in locis cælestibus, & quæ sunt mundi abdices: quæ ego omnia ex mandato Dei pro sordibus duco, & eadem omnibus atque etiam tibi contendo & nitor exponere, quòd non solùm impediant suauissimum illum odorem verbi Dei, verumetiam suffocent: quibus in

rebus tamque te velim sapere. Sed sapienti satis. Ego verò de te, præceptor colende, omnino mihi persuadeo, & firmiter spero, te hæc omnia eodem animo, quo a me perscripta sunt ex tui amore, accepturum: neque admonitionem a discipulo profectam ex animo optimo neglecturum, quæ eo consilio a me instituta est, non vt te instituerem, sed vt tibi adderem currenti calcar. Atque hoc quidem feci, argumentum ex meipso petēs: quem tu etiam fuisse nouisti dissolutum & deditum voluptatibus, quæ per illud tempus omnino mihi secundùm mundum hunc honestæ laudabilésque videbātur. Postquam verò consului Dei legem, & vitam eiusmodi contrariam mandatis eius adeóque morte dignam esse animaduerti, tum demum anteactam illam vitam deplorare cœpi, neque adhuc satis coram Deo deflere possum rationem illius, quòd tantum miser temporis in persequendis mundi istius nugis consumserim, omisso pietatis studio, & tot suauibus odoratísque verbi diuini floribus neglectis, qui ad promouendam salutem meam, conscientiam pacandam, & spem immotam æternæ vitæ ingenerandam pertinebant. Quapropter cùm iam in recta via me constitutum videam, ingens gaudium sentiam in mea conscientia, & iamiam diuitias immensas opésque incomparabiles atque honores obtineam; gratias ago Domino meo, & opto vt mundus horum bonorū gustum aliquem percipiat solùm, qui tamen non nisi currentibus a Deo datur. Atque hoc totum efficit ille qui intus datus est arrhabo, quem nemo videt hominum, nisi qui iam accepit eum, & qui pacem illam a Domino Iesu Christo promissam assequutus est, quam nec habet, nec nouit mundus, nec dare etiam potest, quippe qui eum a quò datur minimè nouerit.

ORTHODOXVS.

HÆC demum παρέκβασις vel digressio est a sermone instituto, in hoc & sequēte segmēto. Primùm enim

ethica Samosatenus proponit quædam atque προοιμιακὰ, deinde singularia ad docilitatem & attentionem comparandam. De Ethicis nihil fermè dicã: nisi quòd idem ipsi, & nobis omnibus quos Deus elegit in Christo, ex animo cupio, vt omnes veritati credamus verè, ex ea viuamus bene, & eam rectè doceamus quicunq; ad docendum a Deo vocati sumus. Thesis quidẽ bona est: sed in hypothesi toto cœlo errat, cui errantes vidẽtur rectum iter sequi, & qui rectam viam insistũt aberrare. Operum certè bonorum studiũ apud bonos semper fuit & est commendabile: quæ qui negligunt, Dei gloriam negligunt & salutem suam, ad quam per callem bonorum operum æquum est contendamus: quia certissimi sunt fidei fructus & indices, ac non salutis causæ coram Domino Deo nostro. De ijs verò quę apponuntur singularia personarum, quum illum præceptorem suum, laudatũ virum, ad examen vocat, animum suum optimum studiúmque in illum profitetur multis, spem suã de illo testatur, exemplũ suum adfert ad spei illius cõfirmationẽ: de his ergo omnibus Deus omnipotẽs optimè videt, & iudicat. Illi sanè viderint qui hæc de se prædicant, ne quando a corde suo condemnentur. Nam si nos cõdemnet cor nostrum, nempe 1. Ioan. 3.
Deus est maior corde nostro, & nouit omnia. Ego mihi tantum nõ arrogauerim, vt de veritate istarum rerũ personaliũ iudicem. Ij iudicent per me licet, qui hominẽ & fructus ipsius cognouerint. Etsi arrogãter satis vel illud ab eo dicitur (quod in trãscursu moneo) *cælestium bonorũ fructum non nisi currentib. a Deo dari.* Ego me hac infirmitate confiteor esse, vt vel claudicans in stadio Christi vix possim pergere, nedum firmus & rectus decurrere. Tu si hîc esses, Samosatene, & tecũ habitares, aliud certè iudicium de tua infirmitate facturus esses.

Samosatenvs. 15.

Genvinam *itaque causam huius discessus mei, cur me tum a mundo, tum a filijs eius seiunxerim, ex his poteris cognoscere, & (si non displicet) etiã ipse imitari: itémque cur falso Trinitatis dogmati renunciauerim: nimirum quòd ex diametro cũ sacris literis pugnat, vt ex illis testimonijs iam antè allatis (si tibi cordi est pietas) animaduertere & percipere potuisti. Deinde quòd dogma illud secum, vt incertum, pugnat & dissidet. Equidem quum me hac in re cultoribus veri vnius Dei opponerem, vellémque me Patrum auctoritate obtegere, nunquam potui aduersus veritatem consistere: quin potiùs vidi illos ipsos sibi non constare. Neq; tamen existimandum est, si frequens mentio Patrum veteris Ecclesiæ occurrerit, eo id a me fieri, ac si veritatem Dei probare ab hominum auctoritate conarer: cùm ista eò potiùs spectent, vt palàm manifestum fiat dogma Trinitatis inane esse, & nequaquam ex ipsa antiquitate (quod memoria nostra Theologi libenter persuaderent) defendi posse: immo verò pleraq; Patrum vetustißimorum scripta Trinitatem ipsam euertere, vt eam doctrinam quæ auctoritatem non priùs in Ecclesia obtinere potuerit, quàm puritas Euangelij & sanctimonia vehementiùs cœpisset in dies concidere. Tum enim a leuibus quibusdam vitijs exorsa, vnà cum alijs superstitionib. paulatim inualuit, donec tandem in eam altitudinem quam nunc videmus ascẽderit. Postremò eos etiam ipsos qui in procreando isto dogmate elaborauerunt, videmus non satis constanter in eadem sententia perstitisse: sed velut titubantes, modò Trinitatẽ asserere, modò soli Patri gloriam Dei vnius vindicando, destruere eamdem non dubitauisse. Itaque veritati homines isti volentes nolentes non rarò patrocinati sunt. Concesserunt quidem illis aliquãdo nostri, vt loco Trinitatis Patrem, Filium, & Spiritum sanctum profiterentur, & idem esse agnouerunt: sed facti pœnitet. Atque hæc varietas*

rietas opinionum & dissensio multos pios viros, & me quoque misellum, in dubitationem adduxit. Verùm audita voce Domini, veritatem ipsam indagare ex fonte ipso cœpi, eámque ibi omnibus commentarijs doctissimorũ vetustissimorumque scriptorum sepositis abunde reperi, amplexus ipsam exosculatúsque sum, rerúmque cœlestium tunc primùm summam precibus ardentissimis & spiritu Dei potentissimè adiutus a Domino (cui immortaleis semper ago gratias) impetraui.

ORTHODOXVS.

QVÒD ita de seipso Samosatenus loquitur tamquam si pugno veritatem teneat, abs qua aberrat longissimè, id nos scripto nolumus exagitare, sed mali potiùs causas quàm fidelissimè possumus ostendere, vt curetur a Domino, aliísque eâdem consulatur. Concludens igitur treis causas adfert, cur diuino huic Trinitatis dogmati renunciauerit. Prima est, quòd *ex diametro pugnare dicit cum sacris literis* homo Lynceus; qui id tam lõgo interuallo videt quod Ecclesia per tot cẽturias annorum nõ potuit animaduertere. Eius rei *testimonia a se allata* prædicat. Mihi verò, Samosatene, cui per Dei gratiam cordi est pietas, non potest venire in mentem vnius testimonii, quod cum doctrina orthodoxa de Trinitate pugnet. Quòd si ita videtur tibi, at nos falsò videri tibi, & Scripturæ toti cum hac doctrina bellissimè cõuenire demonstrauimus. Secunda est, quòd *dogma illud secum pugnare* putas: probationẽ adfers dicti, *experientiam* tuam: Quæ certè seculorũ esse tam multorum nequit, vt ex tanta diuturnitate artem confeceris. *Patrum scripta:* quæ tu hac ætate ne voluta re quidem potuisti omnia: *Inconstantiam & instabilitatem illorum*: negamus, & negat tuus σωὐδοξ@- pseudo-

christianus ille qui libellum suum inscripsit, *Præcipuarum enumeratio causarum, cur Christiani cùm in multis religionis doctrinis mobiles sint & varij, in Trinitatis tamen retinendo dogmate sint constantissimi:* vt est in prima Defensione nostra. *Vetustissimorum contradictionē:* falsum, vt nos segmento 2. conuicimus: nec tu paulo pòst infitiaris dicendo, *a te veritatem omnibus commentarijs doctissimorum vetustissimorúmque scriptorum sepositis, in fonte repertam esse. Tempus & modum, quo hæc doctrina inualuit:* ne hoc quidem verius, aut probabilius; prout nos ibidem confutauimus. Postrema causa est, *eorum inconstantia qui in Ecclesiam Christi hanc ipsam doctrinam inuexerunt* (etsi causam hanc cum præcedēte per obliuionem confuderat) *qui Dei gloriã modò Trinitati, modò soli Patri vindicauerint.* Atqui hæc tibi quidem, Samosatene, sunt contradictoria: cōtradicunt enim sententiæ tuæ. Nobis verò qui ex sacris Scripturis sapimus, ne ἐναντιοφωνῆ quidem sunt hæc duo dicta, quib. nos tamquam in puteo constrictos gloriaris. Quinetiã vtrumque de Deo credi præcipimus, quia reipsa ὁμοφωνῆ, æquiuocatione tamen sublata, vt suprà inde a segmento 4. passim docuimus. Cæterùm amo simplicitatem tuam, Samosatene, quæ me sperare de te iubet meliora in Domino. Agnoscis *concessisse aliquando vestros hominibus nostris, vt suppresso Trinitatis nomine Patrem, Filium, & Spiritum sanctum profiterentur, & quòd idem sit agnouisse: pòst verò pœnituisse facti.* Ac illos quidem sæpius concessisse verum est, vt sæpe Arius: æquũ est semper vt concedant quod docet Deus: vt ex animo concedant, æquissimum: nam nisi ex animo, quid Deo præstant? quid Ecclesiæ, quid nobis accedit? Sed quòd nomen Trinitatis suppressum voluerunt cōcessa re quã eo nomine designamus, id certè ab alia mente est,

te est, vt segmento 13. ostendimus. Tu quidem præ te fers simpliciorem mentem, qui & rem ipsam negas, & nomen denegas Trinitatis: sed quo consilio nouit καρδιογνώστης Deus. Quòd autem illos pœnituit facti, factũ indignius; cùm reuocati a malo iterùm in idem malũ animosiùs & obfirmatiùs reuerterint. Plura dicerem: sed nolo vnguem (quod aiunt) in vlcere: neq; est officium meum. Et tu inconstantiam non confessam, non euictam, ac ne probatam quidem, aut aliqua veri similitudine probabilem obijcias hominibus nostris? Ecce tuorum inconstantiam probatam, euictam, cõfessam, testimonio tuo. Quid ais, Samosatene? placet igitur ex constantia hominum de veritate Dei certò atque ἀψευδῶς iudicari? hoc quoque argumento ex tuo testimonio vicimus, cùm tuos inconstantię duplicis vnico in facto teneamus, tum quòd concesserunt substãtiam doctrinæ orthodoxæ nostræ, tum quòd rem solenniter concessam pœnitentia ducti turpiter reuocarunt, memoriámque facti deletam cupiuerunt. Nõ ita, Samosatene, non ita vobis ab Ecclesijs nostris accidit in istis partibus. Quod enim a vestris concessum fuisse narras, quamuis posteà recantatum; idipsum orthodoxæ Ecclesiæ vltrò vobis annuerunt, nec adhuc facti pœnitet: Trinitatis nomen sanè omissum faceretis, siquidẽ non placet: tantummodò Patrem, Filium, & Spiritũ sanctum profiteremini, idem esse cum eo quod Trinitas a nobis dicitur agnoscentes. Hanc vobis cõditionem in aliquot synodis cœtibúsq; publicis nostri homines obtulerunt: & vos (vt tu ipse mihi es auctor) obtulistis vicissim nostris: cur nunc oblatam respuitis? cur repudiatis acceptam? Pœnitet facti. Ergo restitui vultis in integrum. sed quo Prætore fieri possit, dispicite: Deo quidẽ auctore, qui nos docuit veritatem suam, eámq;

a nobis inter homines coli vult religiosissimè, nunquam optima lege restitutionem istam, quam ipsi vobis arrogatis, scio, assequemini.

SAMOSATENVS. 16.

SED, vt ad rem redeam, oportet me ostendere cur profugus sim e castris Trinitatis factus. Primùm, vt suprà iam demõstraui, propterea quòd illud dogma cum Dei verbo pugnat: Deinde, quòd illud dogma secum pugnat ipsum. Quæ dicta sic velim a te accipi, & Christianum lectorem sic æquũ esse erga me, vt aliquando cognoscas hanc Trinitatis machinam malo fundamento niti, atque hinc inde vacillare. Quæ res profectò si tibi curæ est pietas, plurimùm te, vt hominem Christianum titulúmque Christi gerentem in se mouere debet ad inquirendam veritatem. Aiunt omnes vestri Theologi, quod etiã sæpenumerò audiui ex te, Deum esse Ens simplicissimum: & ijdem tamen asserunt, Deum quoque constare ex tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto: sic vicissim rectè dicta destruũt. Quod enim triplex est, id simplex esse desinit: atq; hoc etiam subtilissimus quisque philosophus vt fateatur necesse est. Sic Augustinus libro 6. de Trinitate, cap. 8. inquit Deum Trinitatem siue trinum rectè dici: & libro 15. capite 7. Deum & Trinitatem idem esse. Caluinus verò in admonitione ad Polonos, Oratio illa, inquit, Sancta Trinitas, vnus Deus, miserere nostri, mihi non placet: sapit enim barbariem: & Lutherus in maiore Postilla, non est elegans Germanismus Dreyfaltigkeit / *etiam Latinum Trinitas non bene sonat. Nónne isti ipsi hoc in loco pugnant cum suis præceptoribus?*

ORTHODOXVS.

LVDIT hic Samosatenus, & iocatur in re seria: sed verba

verba missa faciemus, iudicium cōmittemus Domino seruum suū iustè iudicaturo. Repetuntur hîc summatim duæ causæ in segmēto proximè antegresso positæ: tertia cum secunda itidem confunditur. Primam sibi antè satis videtur probauisse: nos confutauimus. Deinceps sequuntur argumenta ad secundæ probationem & tertiæ pertinentia. Primum: *Quod simplex est, non potest esse triplum: Deus est Ens simplicißimum: non ergo triplex.* Maiorem negamus: nam quod essentia est & reipsa simplex, idem potest ratione varia binū aut trinum esse in vnitate essentiæ: prout antè luculenter satis, etiam ab exemplo animarum, & formarum intelligentium segmento 3. docuimus. Deinde quòd dicitur *triplum* vel *triplex*, negatur hoc vocabulum Deo rectè competere: nam vt simplex sine complexu est, sic triplex trium complexum notat, itémque triplum. Quapropter Augustinus lib. 6. de Trinitate (quem hîc Samosatenus adducit) Deum trinum & Trinitatem asserit dici posse, triplicem verò minimé. Hunc autem librum mente composita apud Augustinum si disputator iste voluisset legere, multa optimè dicta de simplicitate Dei didicisset. Deum ergo & simplicissimū, id est, omnis cōpositionis expertem secundùm ea quæ dicuntur principia agnoscimus, & secundùm processionem trinum, simplicitate integerrima permanēte. Nobis autem Deus trinus & Trinitas idem est. Falsa igitur argumentatio. Festiuum illud est quod Samosatenus hic noster adducit posteà: *Augustinus Deum trinum seu Trinitatem rectè dici, Deum & Trinitatē idem esse affirmat: Caluinus & Lutherus negant.* Itáne verò? teipsum appello, ex tuis sermonibus æquum est condemneris. Non rem, sed voces aliquomodo reprehendunt: nam de loquutione quam adfers, Caluinus, *sapit*

barbariem, inquit. Si vnquam in ſcholis didiciſti, quid ſolœciſmus, quid barbaries appelletur, certè tute tibi facilè hunc ſcrupulum, me tacente, exemeris. Si neſcis, adeas veſtrates Grammaticos: piget enim me puerilia Grammaticorum monita in regiones vſque tam longinquas amandare. Hic ergo de phraſi, quam putauit ſubbarbaram. Lutherus autem quid? vocem maioris elegantiæ à Germanis & Latinis deſiderat, & tamē recepta vtitur. ô crimen! Quid non Romani patres & Germani proceres tantam rem in conſilium mittunt, diris Lutherum cōfixuri? Germanæ gerræ. Triada certè Græci commodè, Trinitatem puriores Latini dixerunt nunquam: Nobis tamen vt dicatur probo, quia in vſu eſt. De Germanica voce idem poſſim dicere, & ex etymo: ſed nolo Camarinam. Lutherus autem propterea, ſi regnum poſſideres, ornatus eſſet ex ſuis virtutibus ſcilicet. Aliud quid oportet exornes, mi homo, ſi non placet veritati orthodoxæ cedere: Nam ſic quidem nihil es acturus.

SAMOSATENVS. 17.

EODEM *modo Beza in præfatione dialogi Athanaſij, Deitas, inquit, cuius cauſa eſt aliud, non eſt deitas. & Caluinus in epiſtola ad Polonos, & contra Gentilem aſſerit, Chriſtum, quatenus eſt Deus, a ſeipſo eſſe: & hanc ob cauſam reprehendit verba Nicæni Concilij, Deū verum de Deo vero. His contrarium affirmat præceptor ipſorum Auguſtinus lib 7. cap. 1. quòd Pater eſſentiam & deitatem genuerit. & Cyrillus, Pater, inquit, principium eſt ſine principio, quoniā a nullo ſuæ deitatis habet originē: Filius verò eſt principium de principio. Quin ipſemet Beza ſibi aduerſatur in caput ſextum Ioannis, verſ. 57. Chriſtus ſuam diuinitatem a Patre habet:*

habet: & Zanchius, Pater est fons totius deitatis. Certè ad hanc cõtradictionem in oculis hominum pingendam fucandámque opus erit subtili sophistia; cùm ea per se adeò sit manifesta, vt lippis & tonsoribus iam innotuerit.

ORTHODOXVS.

SECVNDVM argumentum: *Qui dicit Christum a seipso esse quatenus Deus, ac non ab alio, contradicit ijs qui esse dicunt a Patre: Illud autem Caluinus & Beza, hoc Nicæna Synodus, Augustinus, Cyrillus, Beza ipse, Zanchius affirmant: Ergo contradicunt.* Negatur maior: nam ratione diuersa vtrumque dicitur. A seipso est Christus secundùm essentiam: nam essentia diuina est vnica Patris, Filij, & Spiritus sancti sine principio, sed principium commune omnium. A seipso non est Christus secundùm personam, sed a Patre æternùm genitus in vnitatem essentiæ. Hæc solutio communis horũ dictorum omnium. Iam de singulis pauca obseruemus. Bezæ dicto nihil verius, si de essentia (vt oportet) acceperis. Quòd si etiam de persona voles dici, itidem verum comperies. Deitas personæ, cuius causa est aliud, non est deitas. Nam deitatis Christi, exempli causa, aliud non est causa (si causa dicenda est) sed alius: cùm Pater & Filius sint essentia vnum. Deinde causæ nomẽ in hoc argumẽto æquiuocè & periculosè dicitur. Sic quidem Græci Patres vulgo loquuti sunt, causam pro principio καταχρηστικῶς vsurpantes. sed propriè aliud est causa, aliud principiũ: hoc enim patet latiùs. Itaque mens principium est intellectus nostri, non causa illius: & Pater non causa, sed principium Filij: atque hoc respectu Cyrillus optimè Patrem principium sine principio, Filium verò principiũ de principio appellauit. Illa Con-

cilij Nicæni, *Deum de Deo*, *lumen de lumine*, ad ſubſtantiam quod attinet, reprehendi a Caluino, falſum: de loquutione agit, quam non reprehendit, ſed reſpiciens ad nouos auctores hæreſeon qui hoc tempore erupe-runt, appellat durã. Fit enim ſæpe, vt quod priùs molle erat, alio tempore mutatis rebus inueniatur durius. Hæc ſecundùm quid dicta, Samoſatene, iniquè criminaris. En tibi Caluini verba, vt hanc lemam oculis tuis eximamus. *Sed verba Concilij Nicæni ſonant, Deum eſſe de Deo. Dura loquutio, fateor: ſed ad cuius tollendam ambiguitatem* (vides, in quo durities) *nemo poteſt eſſe magis idoneus interpres quàm Athanaſius qui eam dictauit. Et certè non aliud fuit Patrùm conſilium, niſi manere originẽ quam ducit a Patre Filius, perſonæ reſpectu; nec obſtare quominùs eadem ſit vtriuſque eſſentia atque deitas: atque ita, quoad eſſentiam Sermonem eſſe Deum abſque principio, in perſona autem Filij habere principium a Patre.* Quid his verbis, obſecro, euidentius? Non hîc ſubtili ſophiſmate (quod ais) opus eſt, ſed ſimplicitate fidei lucem diuinam percipientis quæ prælucet verbo. Hanc verò non lippi & tonſores nouerunt, niſi qui a Deo regeniti. Cætera plana ſunt: pergamus itaque.

SAMOSATENVS. 18.

ITEM *Caluinus in Inſtitutionibus, Quotieſcunq; Deus, inquit, abſolutè nominatur, Patrem, Filiũ, & Spiritum ſanctum deſignat. Eraſmus verò Roterodamus contrà, Quoties Deus abſolutè nominatur, Apoſtolici ſermonis conſuetudine Pater ſolus intelligitur. Vterq; bonus: cui ergo credendum?*

ORTHODOXVS.

TERTIVM argumentum: *Caluinum & Eraſmum inter*

inter se contradicere in nominis Deus indefinitè positi interpretatione. Distingui posset propositio: nam Erasmus aliquo respectu hoc dixit imprudens. Sed concedo tamen ita Erasmum docuisse, & dixisse. Quis autem prçter Samosatenum, Photinum, Arium, & asseclas ipsorum cum Erasmo sensit? Hîc igitur quum Erasmum adducis, tuorum contradictionem adducis: nam Erasmus vobis indulsit plus satis. At fuit ille bonus. Si virũ bonum dicis, non cõtendo: sed quid ad rem? si bonum Theologum, vt non omnia ipsi derogo, sic omnia bona ac bene dicta ei non arrogauerim in omnibus: si bonum in hac re & probum, nego. Etenim si malè sensit, non bonus: sin bene sentiens sensa animi sui imprudens & inconsideratus enunciauit malè, nõ malus quidem, sed tamen non planè bonus interpres veritatis dicendus est. Atque hoc credo. Non præiudicat autem vnius errantis falsum dictum veritati catholicæ, vt nec communi particulare. Tu certè lineam hanc nunquam moueris a veritate, a natura, ab artificibus Logicæ positam.

SAMOSATENVS. 19.

AFFIRMANT *& ipsam veritatem, quum dicunt, vnus est Deus æternus, subsistens, viuus, intelligens, indiuiduus, &c. tres verò sunt in vno Deo personæ: falsum. Personam autem definiunt, quòd sit subsistens, viuum, intelligens, indiuiduum. Cùm igitur qualibet illarum personarum sit talis, sequitur necessariò treis esse subsistentes, treis viuos, treis intelligentes, tria indiuidua; & sic reuera esse Trinitatem. Nemo autem dubitare potest, qui modò exiguam scintillam habet veræ notitiæ Dei, hoc Trinitatis dogmate treis Deos pariter æternos fabricari: præsertim cùm & Augustinus (cuius scripta ab illis pro sacrosanctis allegantur) expressè*

dicat, personam non esse aliud quàm Deum. Nonne igitur tot dij futuri sunt, quot erunt personæ?

ORTHODOXVS.

QVARTVM argumentum. *Quorum definitio est eadem, & eadem quoque est ratio: Essentiæ diuinæ & personæ eadem est definitio: Ergo & ratio eadem.* Hinc pergit: *Tres autem sunt personæ, igitur & tres essentiæ siue dij.* Potest etiam hoc modo prosyllogismus poni: *Cui competit definitio, eidem competit definitum: Essentiæ competit definitio personæ:* &c. Maiorem vtramque damus de ea definitione, quæ plena est, & plana, secundùm iustas definitionis leges: plena, essentiam rei quæ definitur exprimendo: plana verò, tum carendo omni æquiuocatione & dubio, tum omnia dubia quæ circa rei essentiam definiendam incidunt dissoluendo. Minor omnino falsa est: & falsum igitur, quicquid ex argumentatione hac eruitur. Minorem probare Samosatenus nititur partim definitione, vt vocat, partímq; Augustini testimonio. Ac primùm quidē non est hæc propriè definitio, sed qualiscunque descriptio: verumtamen ne de voce rixemur, esto. At in neutra seruauit Samosatenus iustas definitionis leges: illudit vtraque fallacijs. In priore enim, id est, in definitione (vt vult) essentiæ duplex est æquiuocatio, quum *subsistentem, & indiuiduum* vocat. Nam *subsistere* pro substare accipit: est autem substare, substantiarum commune: subsistere, suppositorum indiuidualium (vt ita loquar) in substātia. *Indiuiduus* adhuc dicitur insidiosiús. Nam si pro eo qui diuidi nō potest acceperit, redundat planè, cùm vnus & indiuiduus in hoc argumento sint idem, vt suprà segmento 3. declarauimus. sin autē pro supposito indiui-

indiuiduali, quod vulgo indiuiduum, ſubſiſtentia, aut etiam perſona in naturis intelligentib. appellatur, aut falſa, aut imperfecta definitio eſt. Falſa erit, ſi cum voce, *vnus*, quæ anteceſſit, cõſtruxeris: nõ enim vnum indiuiduum eſt, ſed tria. Imperfecta verò, ſi indefinitè dixeris indiuiduum: quod ad definitionẽ iuſtam circumſcribi omnino neceſſe eſt. In poſteriore verò definitione, nimirum perſonę, ſimiliter fallacia duplex. primùm enim voce *indiuidui* abutitur æquiuocè tamquã adiectiua, cùm ſubſtantiuè oporteat accipi pro ſuppoſito, quod vocant. Deinde res coniungendas diuidit, quum indiuiduum per diſtinctionẽ a præcedentibus, quæ attributa ſunt indiuidui, diſtrahit: captiosè omnia. Adde quod redundat in vtraq; hac definitione, *viuum*. Nam in eo quod dicitur *intelligens*, neceſſariò ineſt vitę & viuentis prædicatio: quid enim nõ viuum intelligit? Hæc igitur definitio iuſta perſonæ ex his verbis ſumta: Perſona eſt indiuiduum ſubſiſtens, intelligens: quæ definitio reſpondet Boëthianæ illi, eſſe rationalis naturæ indiuiduam ſubſtantiam. Hoc autem poſito quis non videt eſſentiam a perſona in diuinis diſtingui oportere? Etenim vt cum Auguſtino dicam *perſonã non eſſe aliud quàm Deum* (quod eſt veriſſimum) tamen per conuerſionem minimè ſum dicturus Deum nihil aliud eſſe quàm perſonam. Itaque ſi non ſunt termini conuertibiles, vt vocant, & re tamen idem ſunt (vt ſunt) ratione certè oportet diſtinguãtur, ſecundùm quam rationem idem eſſe non poſſunt. Quæ autem eſt illa ratio? inquies. nempe quòd definitio eſſentiæ complectitur quæ ſunt communia eſſentiæ; perſonæ verò definitio, quæ ſunt propria indiuidualia in eadem eſſentia, ratione diſtingui iubet. Ex falſis autem fallacibúſq; antecedentibus concluſiones falſæ a te, Samoſatene, col-

liguntur. Nam postquàm rationem illam, qua solà personæ ab essentia distingui possunt, inscienter cõturbasti, primùm captiosè pergens in tua illa homonymia statuis *treis subsistentes* esse: adde personas, ut vocem *subsistentes* propriè cum Scholasticis accipe, prout subsistere hypostaseon vel suppositorum est: nihil verius. Sin aliter, tuam illam amatam æquiuocationem reijcimus. Tum *treis viuos, treis intelligentes*: personas, verum: deos vel essentias diuinas, falsum. Quæ sunt essentialia, vnum sunt cum essentia, vt essentia est vna. Itaque non treis Deos viuos aut intelligẽteis, sed vnum Deum viuẽtem, ac intelligentem dicimus: & dicimus treis personas, quæ sunt vnus Deus viuens atque intelligens. Cõcludis, *ergo quot personæ tot dij*. Negatur: nam cùm Deus formam essentialem deitatis notet, persona verò indiuidualem, quæ formæ ratione solum inter se distinctæ sunt secundùm rationem communis & proprij; res essentiales de personis rectè affirmaueris, quia essentiæ inest communis ratio: indiuiduales verò seu personales de essentia minimè, quia indiuidua ratione sunt particulari. Commune autem de particulari, nõ contrà, enunciari necesse est. Itaque de persona rectè dicimus, quòd sit Deus: at de Deo, quòd sit persona vna secundùm essentiam, non rectè. Quum autem personas treis dicimus, ad indiuidua respicimus: ex quibus ineptè secundum essentiam concluditur treis igitur esse Deos: quæ res pietati nostræ, & iustæ quoque rationi Logicæ aduersatur.

SAMOSATENVS. 20.

ITEM *aiunt, ad vnum illum Deum Israëlis accessum sine Mediatore patére nemini, eúmque frustra sine Mediatore*

tore inuocari. His autem rectè dictis ex aduerso docet Christum Dei & Mariæ filium vnum esse illum Deum, neque tamen opus esse vllo Mediatore apud Christum. Quòd si Christus est vnus ille Deus, & tamen nullo est opus Mediatore apud Christum, quis ita iam demens erit, vt non intelligat illud euerti funditus quod ab altera parte rectissimè asseueratum est? Atque hanc etiam quæstionem falsam esse ex parte altera necesse est.

ORTHODOXVS.

QVINTVM argumentum: *Non est aditus ad Deum Israëlis sine Mediatore, & sine eo frustra inuocatur: Christus est vnus ille Deus Israëlis: Ergo sine Mediatore ad Christum non est aditus, & inuocatur frustrà. Falsum autem consequens, Orthodoxis ipsis testibus: ergo & antecedens.* Maiorem, si rectè intelligatur, sanctè accipimus. Sed cautio duplex: vna ab æquiuocatione, quia *Deum Israëlis* essentialiter Samosatenus accipit, cùm tamen personaliter de Deo Patre intelligendum ostendat Mediatoris comparatio in eodem membro: altera ab ambiguitate phraseos, *sine Mediatore*, id est, nisi Mediator quis interuenerit. Supponit autem hic noster disputator Mediatorem a parte nostra, qui offendimus, suppeditari oportere, cùm omnes partes nostræ reconciliationis cum Deo soli gratiæ & misericordiæ Dei tribuātur. Huic ergo, *sine Mediatore* tantumdem sibi vult atque si dixeris, non esse nobis aditum ad Deum, nisi ipsi de nobis Mediatorem submittamus, cuius interuentu accedamus Deum. Indignè. Mediator enim quisquis est, aut a partibus est dissidentibus, aut foris aduenit. Foris non aduenit Mediator inter Deum & homines: quis enim audeat? quis possit? quis præstet

tantum opus, inter Creatorem & creaturam interueniendo? Si ergo a partibus, aut a parte nostra est qui offendimus, aut a parte Dei, qui offensus, aut ab vtraque per cõmunem institutionem conuentionémque. Non

Rom. 3. autē a nostra: nam *omnes a natura sub peccato sunt, omne os obthuratum, & totus mundus factus obnoxius cõdemnationi Dei.* Non ab vtraque per consequens: nam ratio eadem. Igitur a parte Dei Mediator est datus officio, qui naturâ Deus: Deus inquam natura, Mediator verò instituto œconomico (vt veterum voce vtar) & dispē-

Rom. 3. satione voluntaria. *Omnes enim peccauerant, ac deficiebantur gloria Dei: sed iustificamur gratis eius gratia per redemtionem factam in Iesu Christo, Quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius ad demonstrandum iustitiam suam,* &c. Hic ergo Mediator nos accessit: immo verò assumsit nos, vt per ipsum accedamus Deum. Sic non accedimus sine Mediatore: nam etsi non est a nobis, est tamen in nobis, & nos in ipso.

Minor aut falsa est, aut insidiosè ambigua. Nam si dixeris (quod hic affectat, sed occultat captioso enunciati modo) *Christus vnus*, id est, solus *est ille Deus Israëlis*, solus autem excluso Patre & Spiritu sancto, omnino falsa est. Si dixeris, *Christus est vnus ille Deus*, pro eo quod est vnum illud suppositum, quod suppositum vnum est Deus ille Israëlis, æquè falsa. Sin autem dixeris, *Christus est Deus Israëlis*, qui Deus vnus est essentia, vera est propositio: at quàm ambigua? Collucari vepretum istud distinctionibus, & puras claráque loquutiones inter bonos oportet adhiberi. Hoc noluit disputator noster, sed tamquam auceps prætendit vepreta verborum quibus obtegatur. Summa, prędicatum aut communius est subiecto, aut adæquatum illi. Si communius, Christum esse Deum Israëlis, qui Deus essentia est

tia est vnus Deus, bene est: si adæquatum, Christum esse vnum illum Deum, id est, solum esse illam essentiam vnam, vel solum esse illam personam quæ persona eadē sit essentia diuina solùm, negatur planè. Nam crassa inscientia homines isti non quidem a persona ad essentiam argumentantur, sed personam cum essentia confundunt; quia non capit ipsorum ratio quod lux naturæ in rebus Physicis capit, essentiam a persona, & subsistentiam siue hypostasin a substantia discerni secundùm rationem inter se oportere. Falsa igitur conclusio, ex falsis, æquiuocis, ambiguis antecedentibus eruta: nec veriora sunt, quæcunque adstruit, conclusionis istius consectaria. Nulla enim contradictio est, quum Christum Deum, & Mediatorem eumdem appellamus: quemadmodum superiore quoque Defensione ostendimus. Quinetiam si in maiore nomen *Dei* essentialiter acceperis, ne sic quidem futura est vlla contradictio. Nam si offensum esse & Mediatorem esse, inter se essent contradictoria, non possent simul esse vera. Non sunt autē contradictoria, vt antè ostendimus: non magis, inquam, contradictoria quàm offendentem esse & mediatorem: nam hæc quoque duo non infrequenter concurrerunt in rebus humanis, quū reconciliari alios alijs oporteret. Simul igitur esse possunt: neque solùm possunt, sed reuera sunt simul in Christo. Nemo igitur Deum Patrem adit sine Mediatore: a ne Christum quidem, cum idem sit Mediator & Deus. Nomine enim Mediatoris ita supponitur persona agens, vt hanc personam nihil sit necesse extra deitatem inueniri: sed vna eadémque persona est Mediator & Deus, vt certis rationibus antè euicimus.

SAMOSATENVS. 21.

AFFIRMANT *quoque essentiam diuinam treis com-*

plecti personas, & in qualibet persona totam essentiam esse. Huic contrarium rursus asserunt, nempe solum Filium naturam humanam induisse. Si itaque essentia tota est in qualibet persona, tota quoque erit in Filio, aliàs enim imperfecta esset: iam ergo non solus Filius naturã humanam assumsit, sed tota Trinitas. Atque id etiam olim Athanasius animaduertebat: qui in libello de fidei vnitate metuens sibi ne Filius a Patre & Spiritu sancto diuideretur, fateri coactus est Trinitatem nasci totam ex Maria, & Trinitatem assumsisse corpus, eo quòd semper sit vnita Trinitas. Hîc rursum, doctissime Domine præceptor, vide quantam confusionem secum trahat dogma illud Trinitatis, & quæ absurda pariat. Sed non mirum: vbi enim deest fundamentum bonum, ibi quicquid superstruxeris corruat necesse est.

ORTHODOXVS.

SEXTVM argumentum. *Si tota essentia est in vnaquaque persona, quod vnaquæque persona facit id tota essentia facit: prius verum: ergo & posterius.* Hinc sequitur, *Filius est persona: Filius assumsit carnem: ergo tota essentia assumsit carnem.* Tum, *Tota autem essentia est tota Trinitas: tota ergo Trinitas assumsit carnem.* Maioris negatur consequens, nisi dexterè intelligatur, & commodè. Quapropter de singulis eius membris ordine dicendũ. *Tota essentia deitatis* quum dicitur, non aliter spectatur illa (vt ita dicamus) totalitas propriè, nisi secundùm perfectam rationem essentiæ suæ: nunquam partes illius dari aut supponi debent. Secundùm hanc rationẽ essentiæ tota essentia est in vnaquaque persona deitatis: si non, periret perfecta ratio essentiæ, & darentur partes. Personæ verò, quæ in perfecta illa essentia subsistunt, & in quibus essentia, secundùm relationes reales ra-

les ratione ęterna distinguuntur, quamuis re sint essentia vna. Proinde quum dicitur, *tota essentia est in vnaquaque persona* (atque hoc antecedens maioris propositionis) illa totalitas essentiæ, quæ secundùm perfectionem essentiæ consideratur in se, iam induit rationem (vt ita dicam) personalitatis virtute prædicati, & pro eo quòd absolutè indistincta est, redditur distincta relationum diuinarum adiectu. Essentia igitur secundùm perfectionem suam, habet rationem communis: persona verò secundùm relationes suas ex personarum opposítu, rationem habet particularis subsistentis in vno & communi esse. Qui itaque consequens ex eo statuit in hunc modum, *quod tota essentia facit secundùm principium essentiale solùm, id omnes personæ faciunt, aut vnaquaque persona facit*, verum dicit & sine ambiguitate vlla. Qui verò in hunc modum adstruit, *quod vnaquaque persona facit, id tota essentia facit*, verū dicit, sed non totaliter: quia clàm abijcit rationem personę quæ inest subiecto, quæ ratio non nisi insidiosè aut inscienter omittitur, cùm ex subiecto sit necessaria. Nam cùm essentialis ratio, quæ in subiecto antecedentis est, per rationem personalem, quæ in prædicato, modificata sit; non potest omissa modificatione fieri iusta conuersio. Nam actionum essentialium ea est ratio, vt secundùm perfectionem essentiæ considerentur absolutè ex principio essentiali solùm: personalium verò, vt secundùm relationes personales ad personæ terminum considerentur distinctè & oppositè in vnitate essentiæ. Itaque Pater gignit, id est, illa diuina persona, cuius secundùm perfectionem essentię illius est tota diuina essentia, & secundùm perfectionem personæ in relatione reali constitutam est tota gignens paternitas. Sic Filius gignitur: sic Pater & Filius spirant: sic proce-

dit Spiritus sanctus. Ergo dicens, *quod vnaquæque persona facit, id tota essentia facit*, si de tota essentia absolutè intendit & concludit, falsum dicit, quia omittit rationem personæ positam in subiecti determinatione: sin autem de essentia modificata, id totam essentiam facere in persona vel secundùm personam, verum dicit, sed exprimat necesse est. Præterea non vacat ambiguitate, quum dicitur *vnaquæque persona facere*. Etenim vnaquæque aut seorsim aut coniunctim facit. Quod autem seorsim facit vnaquæque, secundùm rationem personalem facit: secundùm essentialem, quod coniunctè tres personæ faciunt. Cōmunium enim actionum commune principium est essentia, singularium verò singulare principium est persona, vel singularis terminus ad quem singulares actiones terminantur, vt suprà segmento 5. & 12. ostendimus. Secundus syllogismus ex puris est particularibus, vt vocant: inconsequens igitur. Verumtamen vt demus valere istius argumentationis formam (nam reuocari ad eam potest) conclusio ambigua est. Nam postquàm dixeris, *Quod vna persona facit, id tota essentia facit: Persona Filij assumsit carnem: ergo tota essentia assumsit carnem*: certè in eamdem ambiguitatem in cōclusione atq; in maiore propositione incideris. Vt ergo in maiore si dixeris, *Quod vna persona facit, id tota essentia absolutè facit*, maior falsa est; sin verò dixeris, *id tota essentia in persona facit*, vel *secundùm personam*, est vera: de conclusione iudicium idem. Nam quòd tota essentia in persona, vel secundùm personam assumserit carnem, verum est de supposito illo essentiali dictū: quòd verò tota essentia diuina absolutè dicta carnem assumserit, falsum: etenim plus in conclusione, quàm in pręmissis rectè intellectis futurum est. Tertius syllogismus vitiosus est, propter

pter æquiuocationem constans ex quatuor terminis: tum etiam quia in tertia figura conclusio vniuersalis ponitur, inconsequente forma. Sed vt formam mittamus, quum dicitur, *Tota essentia assumsit carnem: Tota essentia est tota Trinitas: tota ergo Trinitas assumsit carnem:* priore propositione *Tota essentia* secundùm rationem personalem modificata est, & intelligenda de vna illa solùm persona quæ assumsit carnem: posteriore verò secundùm rationem communis dicitur absolutè. Non valet igitur argumentatio æquiuocatione fallēs. Dixeris fortasse, Atqui Trinitas, quę in posteriore propositione fuit nominata, rationem personalem notat: quomodo ergo tota essentia illic secundùm rationem communis diceretur? Respondeo, Trinitas non rationem personalem notat (nulla enim persona trina) sed numerum personarum in vnitate essentiæ: itaque tota illa essentia circumscribitur personarum ad eam pertinentium iusta enumeratione. Vana igitur obiectio.

Quòd autem ad paradoxi sui confirmationē *Athanasium* adducit hic Samosatenus noster, eúmque miserè sibi metuentem, & miseriùs elabentem fingit, cōmentum est a veritate alienissimum. Athanasiū quisquis hoc modo adducit, aut libros non vidit illius, aut non vidit sobrius. Te quidem, Samosatene, quùm hæc scriberes, non consuluisse libros illius duobus argumētis demonstrare possum: tum quia nihil vsquam apud Athanasium exstat eiusmodi ac narras, si bene obseruaui: tum quia ne inscriptio quidem talis reperitur inter omnia quæ exstant illius opera, *de fidei vnitate.* Index tuus, si bene conijcio, pro eo quod est *de vnita deitate*, falsum illum titulum subiecit tibi. Sic iusto Dei iudicio accidit hominibus, qui præfidentia tumidi nec Dei veritatem curant, nec sanctorum monumenta in

vnitate Spiritus conteſtantium veritatem Dei. Quid confuſius aut perturbatius? quid abſurdius iſtis allegationibus tam fidentibus adferri poteſt in tanta luce veritatis? Perge porrò, Samoſatene, & tuis infidis fundamentis tam infeliciter iactis, vt tu ipſe vides, parem ædificationem ſuperſtrue.

SAMOSATENVS. 22.

ORTHODOXI *item determinant, nulla ratione verum eſſe aut dici poſſe, eſſentiam generari. Auguſtinus verò libro 7. cap. 1. apertè dicit, quòd Deus Pater eſſentiam & deitatem genuerit.*

ORTHODOXVS.

SEPTIMVM argumentum. *Contradictoria ſunt, eſſentiam generari, & non generari. Illud Auguſtinus, hoc dicunt Orthodoxi: contradicunt igitur.* Reſpondeo, Cõtradictoriæ ſunt propoſitiones, in quibus de eodem ſecundùm idem affirmatur & negatur eodem modo, & de eodem tempore. Hi autem non loquuntur de eodẽ ſecundùm idem: non ergo ſunt contradictoriæ. Ex eo patet, quòd Auguſtinus nomen eſſentiæ accipit æquiuocè. Nam quia eſſe id eſt, ὑπάρχειν, exiſtere, aut commune eſt, quod ſubſtare; aut ſingulare, quod ſubſiſtere dicitur: ex eo Auguſtinus analogicè, verumtamen καταχρηστικῶς, pro exiſtentia dixit eſſentiam, eámque libro 7. de Trinitate promiſcuè modò pro eo quod eſſentiam dicimus, modò pro hypoſtaſi vel ſubſiſtentia vſurpauit. Quum ergo eſſentiam de eſſentia diceret, ſubſiſtentiam Filij de ſubſiſtentia Patris genitam intelligebat, vt toto capite 1. & 2. libri illius oſtenditur. Sic

loquutio-

loquutiones cæteræ huius argumenti. Propriè ergo *essentia non generatur*, quod nos asserimus: impropriè verò & abusiuè *essentia de essentia generari* dicitur pro eo quod est subsistentia. Contradictio nulla. Quum verò *deitatem* ibidem nominat, simili æquiuocatione modò essentiam intelligit Dei benedicti, modò naturam diuinam personæ Filij: quo sensu nos opposité humanitatem eius cum deitate comparamus, quum deitatem Christi dicimus & humanitatem Christi. Demonstrat in hac re mentem suam Augustinus, & eorũ verborum quæ isti vellicant intelligentiam capite 2. quum ait, *Pater igitur & Filius simul vna essentia, & vna magnitudo, & vna veritas, & vna sapientia. Sed non Pater & Filius simul ambo vnum Verbum: quia non simul ambo vnus Filius. Sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur, ita & Verbum ad eum cuius verbum est refertur, quum dicitur Verbum: eo quippe Filius quo Verbum, & eo Verbum quo Filius. Quoniam igitur Pater & Filius simul non vtique vnus Filius, consequens est vt Pater & Filius simul nõ ambo vnum verbum. Et propterea non eo Verbum quo sapientia, quia verbum non ad se dicitur, sed tantùm relatiuè ad eum cuius verbũ est, sicut Filius ad Patrem: sapientia verò eo quo essentia. Et ideò quia vna essentia, vna sapientia.* Possem & illud addere, quod non dissimulari a te, Samosatene, oportuit, maximam partem illius capitis apud Augustinum problematicè siue per modum quæstionis adferri, velut materiam futuri libri, quod tu θετικῶς per modum solutionis & definitæ sententiæ accipis. Nam de ijs reliquo in libro respondet statuítque. Legisse te mallem & attendisse, quàm oscitanter ex alio accepisse. Sed sapienti (vt dicis) satis.

SAMOSATENVS. 23.

ITEM *Pater est perfectus Deus: quod totum a Trinitarijs rectè conceditur. Et, Filius est sapientia Patris & Pater esse non potest absque hac sua sapientia: aliàs Deus non esset, vt suprà exemplo Musculi fuit demonstratum. Atqui sic negatur Patrem esse perfectum Deum, nisi accedat Filius. Quid autem antè oportuerat fieri, quàm Filius esset genitus? cùm res ipsa doceat, Patrem præcedere Filio oportere. Sic igitur dicendũ fuerat Trinitarijs, Pater non est perfectus Deus sine Filio: atque hoc pactò sententiam suam expreßissent euidentißimè, quam illi metuentes ne coarguantur a luce, alijs tenebris student inuoluere.*

ORTHODOXVS.

OCTAVVM argumentum. *Contradictoria sunt hæc, Patrem Deum perfectum esse, & Filium esse sapientiam Patris, nec absque hac sapientia sua Patrem esse posse: Vtrumque Orthodoxi dicunt: ergo inter se cõtradicunt.* Negatur maior. Nam perfectus dicitur, qui iustam & naturæ suæ conuenientem perfectionem habet secundùm esse & secundùm finem siue ordinationem ad aliud: horum alterum si deest, non adest perfectio. Pater Deus perfectus est: ergo secundùm esse & secundùm relationem perfectus. Iam verò secundùm esse (esse autẽ duplex, substare secundùm essentiam, & subsistere secundùm personam siue hypostasin) est de perfectione eius, vt habeat sapientiam quà Deus, & est de perfectione eius vt subsistentem habeat sapientiam, quam gignit sua subsistentia, quà Pater. Ita Deus Pater secundùm esse perfectus est. Secundùm relationem quoque (relatio autem duplex, essentialis ad subsistentias siue personas

subsisten-

subsistentes in Deo, & ad creaturas altera; sed hæc ad rem præsentem nihil attinet) est de perfectione Dei Patris, vt mutua relatione reali sapiens ad sapientiam subsistentem suam referatur, & Pater ad Filium: tum vt creaturæ relatione (quæ ex parte ipsarum realis est) sua ad ipsum, tamquam commune principium referantur. Ita etiam Deus Pater secundùm relationem perfectus est. Sine harum perfectionum altera, Pater (quod absit) Deus imperfectus dicendus esset. Non ergo contradictoriæ sunt propositiones illæ: sed contrà posteriore veritas prioris, quæ generalior est, demōstratur. Quem ordinem qui contradictoriū putat, meridie lucere non videt. Falsa igitur argumentatio: vt & segmento 9. docuimus. Absurda Samosatenus colligit, quæ destringemus paucis. Primum, *Sic negatur Patrem esse perfectum Deum, nisi accedat Filius.* Falsum: non accedit, sed adest Filius in vnitate essentiæ: cuius essentiæ vnitas ad perfectionem naturæ diuinæ pertinet. Si non accedit menti, sed adest a natura λόγος, quid sapientia Patris & subsistens λόγος? Secundum, *Quid antè oportuit fieri Patre, quàm Filius esset genitus?* Inicitè: nam quæ natura sunt simul, eorum non est (vt ita loquar) prius & posterius. Pater & Filius sunt natura simul, vt perfectæ essentiæ illius quæ tota simul. Vt ergo nihil ante Patrem, sic ante Filiū nihil, cùm vtraque persona simul in vnitate essentiæ æterna sit. Tertium, *Patrem oportet Filio præcedere.* At non secundùm tempus (sunt enim naturâ simul) sed potiùs secundum originem, quia Pater est principium Filij. Est autem origo illa & generatio sine tempore, & ante omnia tempora: vt vel exemplo mentis & rationis quæ a mēte est confirmatur. Aliud est natura priorem esse, aliud tempore. Illo modo prior est Pater, hoc modo neuter: quia

ſimul ſunt omnimoda perfectione, etiam æternitatis in vnitate eſſentiæ. Quapropter tam verè dicitur *Patrem non eſſe perfectum Deum futurum ſine Filio*, quàm illud, Patrem non fore perfectum Deum ſine perfectione eſſentiæ: neq; a religioſa hac enunciatione vnquam nobis metuimus, quamuis tibi videatur ſecus. Vt enim ſublatis partibus eſſentialibus totius ſublatum eſt totum, ita ſublata perfectione ſpiritalis eſſentiæ (quanto magis diuinæ?) eſſentia perijt. Hîc verò perfectionem eſſe diuinæ eſſentiæ ſuprà oſtendimus. Sed de hac re ampliùs ſegmento 9.

SAMOSATENVS. 24.

AIVNT *item, Chriſtus, quatenus eſt Mediator noſter apud Deum, inferior eſt Deo: at quoad naturam diuinam, Deo per omnia æqualis eſt. Zanchius verò ſcribit Chriſtum duplice ratione Mediatorem eſſe apud Deum: primò, quà æternus eſt Dei filius: ſecundò, quà homo. Hæc autem inter ſe ex diametro pugnant. Si enim Mediator Chriſtus inferior eſt Deo, & non humanæ ſolùm naturæ reſpectu, verumetiam diuinæ Mediator eſt; negatur Chriſtum, quoad naturam diuinam, per omnia Deo æqualem eſſe.*

ORTHODOXVS.

NONVM argumentum. *Non poteſt idem æqualis eſſe, & inferior Deo: Hoc de Chriſto Mediatore Orthodoxi dicunt: Dicunt ergo impoſsibile.* Maior vera eſt ratione eiuſdem: ac proinde ratione diuinæ naturæ, vt naturę, perſona Chriſti æqualis eſt perſonæ Dei Patris, vt qui ſint eſſentia vnum. Sed diuerſa ratione, falſa eſt eadem. Nam primùm ſecundùm humanitatem Chriſtus inferior

ferior est, quod nemo sanus negauerit: deinde verò ratione diuinæ naturæ, non vt natura, sed vt per voluntariam dispensationem assumsit carnem inaniens sese, & suscepit Mediatoris partes. Sic æqualis a natura est secundùm diuinitatem, & dispensatione gratiæ inferior Patre: secundùm humanitatem verò inferior simpliciter. Sed hæc antè segmento 7. & 10. & 11. & 12. & 20. fuerunt declarata.

SAMOSATENVS. 25.

ITEM *aiunt Orthodoxi, quòd Spiritus sanctus ab Ecclesia veteris & noui Testamenti, pro vno illo vero Deo cum Patre & Filio fuerit habitus. Sozomenus autem libro 3. historiæ Eccles. cap. 5 refert Athanasium cum Alexandrinis quibusdam Episcopis cõuenisse, & Spiritum sanctum in Trinitate comprehendisse atque collocasse: ex quibus verbis recens arguitur Spiritus sancti diuinitas, siquidem auctoritate istius Athanasij & reliquorum Episcoporum Spiritus sanctus in æternæ diuinitatis solio fuit collocatus. Ita augescente regno Antichristi fundatus etiam est & auctus* Deorum *numerus, nusquam expresso testimonio in sacris literis exstante. Nec enim quod proferunt habent, exceptis furtiuis quibusdam sententijs & a Spiritu Antichristi intellectis & explicatis malè, quas falsò causæ suæ patrocinari existimãt. Sic ergo in Concilio Nicæno duo veri Dij quum his verbis sanciti a Patribus essent,* Deum verum de Deo vero, &c. *posteà etiam accessit tertius, nimirum Spiritus sanctus, in societatem æternæ diuinitatis receptus.*

ORTHODOXVS.

DECIMVM argumentum. *Orthodoxi pugnant cum*

Sozomeno, inquit. Negatur: nam Sozomenus nihil horum ſcripſit, & quicquid hîc a Sozomeno refertur ſcriptum, commentum fabuloſum eſt. Ibi quidem narrat Sozomenus Epiſcopos quaſi nonaginta ſeptem Antiochiam Syriæ conueniſſe, qui Arij partibus ſtudentes vafrè cùm Athanaſium multorum criminum inſimulauerint in cõſeſſu ſuo, tum dogmata Nicænæ Synodi artificiosè ſint conati ſubruere: ſed de eo quod hîc dicitur, nullum verbum. Quòd ſi etiam ex illorum verbis aliquid narraret eiuſmodi, quo iure haberetur fides? diſſentientibus, factioſis, inimicis, iniquis abſentem Athanaſium, nec auditum, nec vocatũ proteruè condemnantibus. Si his teſtibus vincere cupis, Samoſatene, apud bonos non vinces. Falſa itaque cõſequentia omnia. Quæ de *regno Antichriſti & aucto Deorum numero* prædicas, verba ſunt, vt ſegmento 2. oſtendimus. *Teſtimoniis certis* ac euidentibus de Spiritus ſancti deitate, contra quàm adfirmas, nos abundare alio tempore oſtendemus, volente Domino. De Synodo Nicæna agens, duplicem prodis in verbis tam pauculis inſcientiam tuam: primùm in dogmate, quum in illa *duos veros Deos a Patribus ſanciri dicis his verbis Deum verum de Deo vero*, &c. nõ enim duo Dij propterea dicuntur, ſed duæ perſonæ in vnitate eſſentiæ, vt ſegmento 3. ſuprà docuimus: ſecundò in hiſtoria facti, quum *poſteà tertium acceſſiſſe Spiritum ſanctum narras & in ſocietatem receptum æternæ diuinitatis*. Falſiſſimum: nam & ante Synodum Nicænam fuit hæc doctrina, vt actis publicis Nicænæ Synodi palàm eſt confirmatum: & in ſymbolo eiuſdem Concilij diſertè habentur hæc verba, *Et in Spiritum ſanctum*. Etſi autem hoc pijs mentibus ſatis eſt, quòd ſeſe Patres in Spiritum ſanctum, vt in Patrem & Filium credere dixerunt: vt tamen veritas fiat

illu-

illustrior, & reuincatur istorum audacia, qui non dubitant nudo (quod aiunt) capite obniti huic doctrinæ, adferemus pro auctario quæ Eusebius Cæsariensis post Synodum Nicænam perscripsit Ecclesiæ suæ, quum antè Arianorum partib. studuisset, vt apud Socratem leguntur. *Scriptum illud*, inquit, *coram summè pio nostro Imperatore lectum, quod a nobis pronunciatum est bene habere & probè, in hunc modum habet, prout accepimus ab Episcopis qui nos antecesserunt, tum in catechesi, tum quo tempore lauacrum percipiebamus; & prout ex sacris Scripturis didicimus, prout denique & in presbyterio & in Episcopatu constituti credidimus atque docuimus. Ita nunc etiam credentes fidem nostram vobis offerimus. Ea est huiusmodi: Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium factorem: & in vnum Dominum Iesum Christum, Dei Sermonem, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, filium vnigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia secula a Deo Patre genitum, per quem etiam facta sunt omnia, qui propter salutem nostram factus est caro & inter homines conuersatus, & passus, & qui resurrexit tertio die, & ascendit ad Patrē, & venturus est iterum ad iudicandum viuos & mortuos. Credimus & in vnum Spiritum sanctum: vnumquemque horum esse & subsistere credentes, Patrem verè Patrem, & Filium verè Filium, & Spiritum sanctum verè Spiritum sanctum: quemadmodum etiam Dominus noster emittens discipulos suos ad prædicationem, dixit, Ite*, &c. Hæc Eusebius de sua & Patrum orthodoxorum fide, qui antè in Ecclesia vixerant: ad quæ si homines isti meliùs attenderent, certè ab affirmationibus istis veritati palàm aduersantibus cum honoris sui, tum veritatis diuinæ & pietatis in Deum causa abstinerent.

Lib. 1. hist. Eccles. cap. 8.

SAMOSATENVS. 26.

DISPVTANTES *quoque affirmant Trinitarij, quòd Spiritus sanctus procedat a Patre & Filio ab æterno, & procedendo fiat essentiæ Patris & Filij particeps: idque dicto Christi Ioannis 15. probant, mittam vobis Spiritum sanctū qui a Patre procedit. Beza verò super hunc locum in suis cõmentarijs, negat Christum loqui de essentia Spiritus sancti, & verba Christi intelligit de virtute & efficacia Spiritus sancti in nobis. Atque hoc vnicum est in vniuersis Biblijs testimonium, quo hactenus Trinitarij æternam processionem sancti Spiritus probare sunt conati. Eo igitur sublato, id etiam quod de Spiritu sancto multis seculis fuit creditum tollitur. Quis iam Bezam nō miretur opinionem semel conceptam, eámque prauam, pertinaciter tueri ac retinere, neque errorem istum vnà cum maligno erroris fundamento, & quidem a se euerso, abijcere nolle?*

ORTHODOXVS.

VNDECIMVM & vltimum argumentum contradictionum. *Vnicus est locus Trinitarijs, ex quo probare volunt æternam processionem Spiritus sancti a Patre & Filio: Hunc locum aliter exponit Beza.* Non sumus nescij contradicentium propositionum alteram esse necessariò falsam. Scimus etiam (quæ hîc maior propositio est) si cui rei vnicum fundamentum est, qui id euertit eum ædificationē totam euertere. Sed duo illa membra minoris, quæ antè posuimus, Samosatenus adducit malé. Prius negamus, posterius distinguimus. Negamus prius, quia falsum, vt certo libro (quod promisimus) volente Domino ostendemus. Non desunt alij loci de processione Spiritus sancti in Scripturis, ex quibus eam didicimus. Alterum autem, puta Bezæ iudicium

cium de eo loco, propterea dicimus distinguendum, quòd alio respectu Patres ac ille interpretati sunt. Nã Patrum alij de processione Spiritus sancti secundùm esse, eo in loco agi propriè putauerunt; alij de processione virtutis & efficaciæ propriè, sed ita vt demonstratione τοῦ ὅτι ostenderent processionem efficacitatis processioni personæ efficientis secundùm internam deitatis œconomiam & dispositionem respondere, quod est verissimum: alij denique de processione vtraque propriè, nimirum & personæ, & operationũ eius, prout in vtraque communiter vnus & idem ordo est œconomiæ. At in eum locum Beza secundam interpretationem amplexus, pro certo statuit agi de processione virtutis & efficaciæ propriè illis Christi verbis, de processione personæ propriè agi negat: cõsequentiam illam ἀποδεικτικὴν τοῦ ὅτι non tollit, sed præterit certo consilio, quia neque amplum commentarium rerum (quamuis ita Samosatenus causæ suæ quà potest commodaturus vocet) neque disputationes volebat scribere. Aliud est autem inuestigare propriam loci intelligentiam, aliud πορίσματα & cõsectaria deducere. Quare cùm neque vnus ille sit locus huius argumenti, neque sic a Beza (vt putas) euersus funditus, inanis est tota argumentatio. Quid consequentibus facias? *Ruisse illam fidem de processione Spiritus sancti:* ex falsis antecedentibus conclusio falsa. *Bezam, quamuis euerso a se fundamento, pertinaciter in ea doctrina hærere.* At neque fundamentum huius loci euertit, vt modò ostendimus, neque hoc vnicum fundamentum est: sed contrà eo ipso quod in hac doctrina constanter hæret, cùm hoc per consequentiam doctrinæ, tum alia sibi præterea esse fundamenta docet, quibus ad eam sanctè & religiosè colendam adducitur.

Samosatenvs. 27.

Mvlto *autem plura huius dissensionis exempla tibi proferre possem: sed breuitati studeo, & (quod caput rei) sapienti satis. Ex his enim paucis videre licet quantum dissidium & differentia sit inter doctrinam Christi & Antichristi de vno vero Deo, & vno Mediatore. Atque hinc etiam patet euidentissimè cultum vnius veri Dei & Iesu Christi turpissimè ab illa immanissima bestia totum fuisse pessumdatum. Licet autem etiam ij qui vulgo Euangelici appellantur, aliquo modo Babylone exijsse videantur: Si tamen bene rem introspexeris, videbis eos quidem longè ab illo Antichristo abesse, at longiùs etiam a Christo. Etenim non ille solus Antichristus est qui considet in templo Dei, & sibi gloriam eiusdem vindicat, sed etiam is quem sacræ literæ Antichristum nominant, quisquis scilicet tum doctrina, tum vita aduersarius est Christi: quales sunt ij qui Euangelici nomine tenus nuncupantur; vita autem & moribus dissolutis æquè incedunt, sibique in malis omnibus tam indulgent atque blandiuntur quàm filij Antichristi. Vbi est, obsecro, inter illos aliqua pietas? vbi verus timor Dei? ne dicam amor, qui non in verbis, sed in rebus ipsis debet spectatus esse. Vbi castitas? vbi sobrietas? vbi purus Zelus? vbi amor in proximum? qui iubet nos pro eodem mori, non eum iugulare, aut alio quocunque modo e medio tollere. Non sic nos docuit Dominus noster, qui nobis in seipso exemplum præbuit amoris & patientiæ, & illud imitandũ reliquit nobis. Quid dicam de inimicis amandis? cuius rei ne vestigium quidem inter Euangelicos demonstrari potest. Immò verò apud hos tæterrima quæque scelera quotidie nõ minùs perpetrantur, quàm apud Pontificios aut alios Ethnicos. Ibi sicario, adultero, cinædo, & (vt alia minimè commemorem) improbo cuique locus. Vbi, quæso, fructus aliquis fidei inter ipsos? vbi assiduus*

duus labor in vinea Domini? vbi Ecclesia macularum expers? Nónne in Ecclesiis illorum plus auctoritati Caluini, aut Lutheri (ignosces vera dicenti) quàm Christi ipsius tribuitur? Sed res huius seculi (proh dolor) ita comparatæ sunt, vt semper plureis paucorum auctoritas a regno cælorum auertat, quàm conuertat ad Christum, qui est ipsa veritas. Et quinam fuerunt illi, amabo te, quorum tanta exstitit auctoritas? certè homines, & ij peccatores, adeóque sicarij: vt ex discipulis eorum manifestò cognoscitur, apud quos & in quorum concionibus disputationibúsque pluris fit magísque citatur verbum Caluini & Lutheri, quàm verbũ Iehouæ. Quapropter etiam illæ loquentium phrases ab hominibus vulgo receptæ iam radices egerant in animo meo: ac proinde multum (quamquam parum me huic studio dabam) & diu mihi obfuerunt. Sed hæc & alia multa prætereo data opera, subijciens ea saniori iudicio tuo. &c.

ORTHODOXVS.

IAM a rebus dogmaticis ad Ethicas Samosatenus delabitur, ex falsis præmissis concludens quod verum est, sed diuerso sensu; *maximam esse differentiam inter doctrinam Christi & Antichristi* in duobus capitibus, *de vno vero Deo, & vno Mediatore.* Antichristi doctrinam vocat eam quæ Christi, suo more quidem, at non ex diuina veritate. Hinc primùm molliore brachio perstringit Romanum caput: deinde totis viribus infestus fertur in Ecclesias nostras. *Lõgè nos a Christo abesse* criminatur tum doctrinæ tum vitæ argumentis. De doctrina quod obijcit, falsi euicimus. De vita, quid dicturi sumus? vtinam minus occasionis daretur obloquendi ab ijs qui nostri, id est, orthodoxi ac verè Christiani haberi volunt. Horret animus, horret coram

Domino ad peccatorum nostrorum recordationem. Sed tamen non omnes per Dei gratiam ij sumus quibus hæc crimina iure ab hominibus impingi possint. Multa obijciuntur falsò: multa fiunt communia ex singularibus, ex particularibus vniuersalia: vt mos inimicorum & inuidentium est, ex vno adnato fungo aut clauo de tota arbore, ex vno adnato vitio de corpore toto iudicare. Sed vt hæc omnia vera sint, potestne mendacium hominum veritatem, aut infirmitas hominum virtutem Dei abolere? Vtraque per se, non per homines est, a Deo æterno aduersus impietatem & iniustitiam hominum æternùm constitura. Verumtamen viuunt, viuunt adhuc beneficio Dei in numero nostro, qui pietatem colunt, qui Deum reuerentur & amant seriò, qui in castitate & sobrietate ambulant, qui zelo aguntur Dei, qui proximos diligunt quamuis inimicos, qui sanctimoniam curant & contagia peccatorum fugiunt, qui fructus edunt fidei, qui in vinea Domini operam consumunt, qui denique pro sua & Ecclesiarum sanctificatione aliqua fide laborant & diligentia, non omnibus quidem spectata (nam neque te, Samosatene, tubicinem, nec alios præcones suarum laudum expetunt) sed tamen spectata & probata ipsorum Domino & nostro. Profectò nisi te maledicendi studium abripuisset transuersum, nunquam eo fuisses deuenturus, vt duobus paradoxis (mendacijs enim non placet dicere) criminationes tuas concluderes: Vnum est, *magis personare Ecclesias nostras Lutheri & Caluini nominibus, quàm Christi: pluris enim fieri auctoritatem illorum.* Quid? si vnus fortè aut alter cuculus, si tres aut quatuor homines importuni & lauro ardente clamosiores omnia complent vociferatione & columnas rumpunt vocali inscientia, an te conti-

nuò

nuò æquum est id toti Ecclesiarum corpori aspergere? Non fullo es, mi homo, sed carbonarius, si hac lege apud te viuitur. Alterum paradoxum est, *homines illos*, Caluinum & Lutherum dicis *peccatores & sicarios fuisse*. Et vnde probas? *ex discipulis eorum*, inquis, *manifestò cognoscitur*. Deus bone! an ergo omnes discipuli ex præscripto suorum præceptorum agunt? nónne his actionibus quas obijcis, & concionibus vterque interdixerunt? nónne post funera clamant & testantur scriptis? Tu verò hæc apud tuos, si potes, vendita. Sed hoc tibi confirmare possum, dum pietatem, veritatem, charitatem, virtutes intonas, me pietate, veritate, & charitate adduci, vt tibi eo ampliùs tuísque exoptem a Domino pietatem in fide, veritatem in sermonibus & scriptis, charitatem in iudicijs atque officijs erga proximos tuos, quos de te non malè meritos antehac, & nunc etiam orantes pro te consulentésque saluti tuæ laceras indignissimé. Par pari referre non statui: etsi non omnia tam bellè se habere scio in vestris coetibus, vt tantopere possitis apud homines gloriari. Sed caditis Domino vestro, qui potens est vos denuò erigere: quod vt faciat per Christum, ex animo supplex oro maiestatem ipsius.

SAMOSATENVS. 28.

TV *autem qui hactenus puro corde (vt mihi perspectum est) præditus videbaris, in his æquum te mihi iudicem præbeas velim & bene cum animo tuo perpendas, num tu etiam huic Ecclesiæ hæreas quæ omnibus maculis vacare debet. Vt enim caput est, ita & membra corporis eidem per omnia opus est respondeant. Christum non in alijs eximiæ auctoritatis viris, sed in teipso quære: tibi enim reddenda est ratio villi-*

cationis tuæ. Etsi autem me tempus deficit, amor tamen ille meus erga te incitat adigitque me, vt tibi res illas quæ ad tuam salutem pertinent, quantum in me est, commendem
Heb.12. *his meis literis, maximè verò sanctimoniam, sine qua nemo potest videre Deum. Quòd si ordinem non seruaui, hanc tamen compellationem meam in bonam partem accipies: quæ enim pro tempore mihi suppeditabat animus, ea hic sum persequutus, cupiens ea communicare tecum quæ mihi largitus est Dominus, nec ijs defraudare te. Multo autem plura & excellentiora, quæ in schola Domini mei didici, ad te perscripsissem, nisi metuerem vt ista quoque despiceres. Sed si hæc a te eo animo quo a me dantur tibi, accipi animaduertero, maiora his, fauente Domino, polliceor tibi: idémque a te fieri cupio, vt quicquid necessarium ad salutem meam existimaueris, id doceas me, aut saltem facias certiorem. Nihil gratius mihi præstare poteris: Iam enim omnino huic mundo & omnibus voluptatibus eius renunciaui: nihil nisi cœlestia quærere est animus: hîc patriam meam non esse duco, sed sursum: hîc thesauros non congero, sed in cœlis: his rebus temporaneis mentem meam non occupo, sed æternùm duraturis. Denique me totum Domino tradidi: eúmque animo prompto, tamquam cum rasa tabula, accedo, vt quicquid ei inscripserit portem, idque cum gaudio, & alia omnia quæ hic mundus suggerit abijciam at-*
Philip.3. *que aboleam, immò ea pro sordibus cum Paulo ducam, vt Christum lucrifaciam: summa, vt ea omnia quæ mihi conscientia mea dictat & testatur esse mala derelinquam, nec vnquam ad vomitum redeam. Quapropter etiam summopere te rogatum volo, vt quæ existimas conferre ad imitandum Christum, ea perscribas ad me: pergrata mihi futura sunt. Id etiam, charissime præceptor, te scire velim, me iam domi priuatam vitam & tranquillam agere, prout me mandata Domini mei instruxerunt, &*

adhuc

adhuc quotidie instruunt: ex quibus didici tenui mea sorte contentum esse, abiecta elati animi illius mei (quem bene noras) superbia, fastu, luxu, tam in vestibus quàm cibis, & id genus alijs. Itaque talem me tibi ante oculos ponas velim, qualem imaginari poteris hominem quàm simplicissimum: qui manibus etiam meis non erubesco laborare, vt alijs benefaciam, in primis autem domesticis fidei . . . .

ORTHODOXVS.

De his (vt principio monui) non sum dicturus quicquam: nihil enim ad consilium nostrum. Illi viderint, qui propiùs absunt ab homine, & cum Ecclesijs istis quotidie conuersantur. Ac propterea non fuissem appositurus ista, nisi me graues aliquot causæ in hoc consilium adduxissent. Primùm ne fortè auctor ipse, aut alij studentes partibus illius conquerantur nucleum a nobis omitti (vt solent loqui) & excuti putamina: suos illis esse nucleos malui, quàm a me desiderari, eóque nomine traduci apud illos, quamuis iniustè, hoc meum officium Christianæ in ipsos charitatis. Deinde vt exemplum habeant in oculis suis homines nostri luculentissimum illius zeli, quem optimè Paulus *zelum sine scientia* vocat: vt sibi allubescat, vt conquiescat in se, vt omnia arroget sibi, vt omnia de se prædicet, vt in alijs fastidiat, reprehendat, & damnet omnia, quamuis prætenta humilitatis specie speciosissima. Prætereà vt quicunque pij sunt pióque zelo cum scientia præditi, ab hoc exemplo meminerint ad se attendere, & vias suas explorare diligentissimè, vt & scientia a Deo data & zelo accenso vtantur ad gloriam ipsius in pietate, iustitia, charita- Rom. 10.

te, & sanctimonia: ni fecerint, cogitent istos homines surrecturos esse in die iudicij, & ipsis fore condemnationi. Postremò vt omnes errantium discamus eo studiosiùs misereri, & pro eorum salute Dominum appellare, vt a via erroris per gratiam ipsius reuocati & illustrati virtute Spiritus, nobiscum discant incedere coram Domino, & ad vnum ouile vnúmque Pastorem Christum adducantur.

SAMOSATENVS. 29.

NOVARVM *rerum quod tibi scribam, non habeo, nisi hoc: Deum per descriptas plagas hunc malignum mundum (quod ipse tamen non videt) punire statuisse, neque nos in eo nobis vllam pacem spondere posse. Nam illi ipsi motus qui istic fiunt toti Christianitati exitiosi futuri sunt. Sic Deus homines malos decreuit per alios eiusdem farinæ infestare, de quibus te docebit Apocalypsis prophetæ. Quales autem in hoc tempore nos conueniat esse, verbum Dei altißimi nos certiores facit, quum hortatur vt sursum capita nostra attollamus, & a mundo nos ipsos seiungamus, ne illa æterna flamma inuadat in nos. Deus enim se adhuc semel promisit commoturum cœlum & terram: pòst finis futurus est. Quapropter & tu, Domine præceptor, agnosce te hominem esse, eúmque mortalem: & si hactenus dormiuisti, ad benefaciendum expergiscere, mala verò a te abijce, si fortè in eis ipse indulsisti tibi. Magnum est enim, si teipsum cognoscas, & non solùm actiones nostras, verumetiam verba Deum in extremo illo iudicio examinaturum recorderis. Hæc autem monita, a quocunque tandem fueris monitus, apud te parui ne pendito, vt facit mundus: sed respice ad me, atque considera me hîc nihil meum, sed rem tuam omnino quærere: cui etiam ex animo*

mo opto, vt in aduentu Domini nostri Iesu Christi purus inueniri possis. Interim te bene valere cupio: Deúmque oro, vt cor nouum in te creet, spiritum suum sanctum tibi largiatur, aperiat oculos mentis tuæ, te a mundo liberet, pacem suam & arrhabonem illum tibi donet quem nullus alius videre potest nisi qui iam accepit eum, bonísque illis omnibus te locupletet cumulatissimè quæ ad pacem afferendam conscientiæ tuæ & ad obtinendum illud cœleste gaudium pertinent: vt adhuc in hoc mundo videre possis, quanto gaudio perfruituri sint pij & timentes Dei, quum Christo Domino iamiam conformabuntur, vt in prima sua epistola testatur Ioannes. In summa, quicquid boni est, aut nominari potest, id tibi opto precórque ex animo. Vale.

ORTHODOXVS.

CONCLVDENS Samosatenus sermonem suum rerum nouarum nuncio, primùm vaticinatur, quæ vaticinia suo loco relinquimus: deinde rerum Gallicarum recordatus ambas partes damnat. Nempe hoc ius est istis hominibus, vt quemadmodum trahuntur studijs, ita iudicia faciant, salua & integra semper ipsorum charitate. Sequuntur hortamenta, & preces: in quibus omnes studio pietatis & charitatis opus est occupari, non autem amore mundi & rerum quæ in eo sunt concupiscentia diffluere. Tu itaque, omnipotens & misericors Deus, in veritate pietatem charitatémque in nobis accende: illustra mentes virtute Spiritus & verbi tui sacrosancti face, in vera scientia pietatis, animos inflamma in Christiano & ardente zelo, bonam conscientiam in nobis statue qua fidem illam feruente zelo prehendamus retineamúsque, linguas ad communem ædificationem gratiosè dirige, & cor-

pora nostra singulorum ita compone in via veritatis, vt tum ipsi seruiamus tibi ex præscripto voluntatis tuæ, tum alios ad idem officium doctrina, exemplis, beneficiisque reuocemus aberrantes, & comitantes sanctè confirmemus ad gloriam tui nominis sempiternam.
Amen.

FINIS.



itatis, vt
atis tuæ,
lis, be-
omi-
n

III.

DEFENSIO

CATHOLICAE DOCTRINAE

DE S. TRINITATE PERSONARVM IN VNITATE ESSENTIÆ DEI, aduersus Samosatenicas interpretationes & corruptiones locorum in Scripturis sacris ad orthodoxam de Deo doctrinam pertinentium, & libello comprehensas,

Cuius hæc inscriptio:

BREVIS EXPLICATIO IN PRIMVM caput Euangelij Ioannis, sine auctoris nomine.

Opera FRANCISCI IVNII Biturigis.



HEIDELBERGÆ,

cIɔ Iɔ XCI.

IOANNIS TOSTII POETÆ coronati Epigramma.

SVstulerat IESVM *gens Ebionitica Christum:*
Tantùm nudus homo manserat inde super.
Verùm nunc IVNIVS *scribendo restituit rem:*
Sic vt relligio dixerit ipsa palam,
CHRISTVS *qui fuerat nobis in mense Decembri*
Natus, nunc iterum nascitur in Iunio.

ILLVSTRIBVS ET GENEROSIS DOMINIS, D. IOANNI HLEBOVITIO IN DAMBROVVNA, Magni Ducatus Lithuaniæ Dapifero, Capitaneo Vpitensi, &c.

ET

D. NICOLAO HLEBOVITIO IN DAMBROVVNA, CAPITANEO Onixtensi, Palatinidæ Trocensi, fratribus, Dominis summè colendis, FRANCISCVS IVNIVS S. P a Domino.

QVVM *sæpius ante biennium, Illustres & generosi Domini, & amicorum literis & sermone omnium nuncius adferretur percrebruisse in vniuersa Polonia vestra rumorem cõstantissimum, sed tamen (vt in his rebus fieri solet) ἀκέφαλον, Illustrissimos Principes, Comites Palatinos, Dominos gratiosissimos (quorum in fide & clientela annos quasi vigintiquinque vixi per voluntatem Dei) ab orthodoxa veritate turpiter defecisse, & in Arianorum atque Samosatenianorum partes transfugisse, grauiter sanè tuli & iniquo animo tam impudens hominum maleuolorum factum: præsertim cùm id quod res est probè animaduerterem, istum rumorem ab aduersarijs orthodoxæ fidei nostræ (quam ex Scripturis hausimus) certo consilio profectum esse, vt cùm eadem opera de existimatione Principum nostrorum & nostra omnium detraherent, tum bonam inprimis iuuentutem ab huius Academiæ aditu, & a diuinæ illius veritatis, quam profitemur, studio & cognitione abercerent: prout nefaria sua commenta administri Satanæ in alienam perniciem venditant simplicis veritatis loco. Sed eo me longè grauiùs affecit proximo superiore anno super-*

ueniens dolor, quum mihi nunciatum esset de obitu Illustris & generosi Domini, D. Ioannis Hlebouitij, Palatini Trocensis, &c. memoriæ sanctissimæ, parentis vestri, non vobis solum familiæq; toti, sed ipsi quoque patriæ & Ecclesiæ toti luctuosissimo. Nam illum quidem antegressum dolorem animi mei leuabat hæc consolatio, quòd rei & rumoris falsi vanitatem aperta veritas sic ementiebatur palàm, vt illud ipsum consilium improbissimum tam impudenter mentiendi confiderem in auctores suos statim recasurum. (quid enim veritate fortius?) quam ad rem etiam aliquid adiumenti me sciebam allaturum edita Defensione illa, quam aduersus philosophicas Samosateni, Arij, aliorúmque rationes, libello vno comprehensas, rogatu bonorum quorumdam exaraueram, vt exstaret istis in locis constans orthodoxæ fidei nostræ de sancta Trinitate documentum. Hunc verò mærorem, perceptum de illa migratione sanctissimi & grauissimi viri parentis vestri ad Dominum, quid leuare posset, non æquè facilè animaduertebam: cùm eum omni officio ac potiùs pietate in Deum, Ecclesiam, fidem patriámque praeluxisse omnibus, dum vixit, recordarer; sed heroem auctoritate parem, qui eadem fide, zelo, veritate, ac curabat ipse, doctrinam Christi colere & procurare videretur, vix quemquam post se, dum ex hac vita excessit, reliquisse. Atque hæc me quidem cura tenuit sollicitum quàm diutissimè, de salute popularium vestrorum cogitantem, donec quorumdam amicorum literis sum factus certior de futuro ad nos aduentu vestro. Nam huius rei exspectatio mærentem animum meum non mediocriter recreauit, cum & spectatissimum prudentiæ illius paternæ monimentum hoc fore confiderem, & pignus pietatis vestræ, in qua felicissimè adhuc cura diligentiáque summa grauissimi testis parentis vestri adoleuerũt G.V. in Domino. Nunc verò, quandoquidem hoc aduentu vestro desiderij mei exspectationem quodammodo expleuistis, & in hac pietatis veritatisque palæstra pedem posuistis, quod faustum & felix: id mihi vnum

restare

restare videtur faciendum, vt V. G. grატuler de aduentu vestro, omnem benedictionem a Deo & Seruatore nostro exoptem vobis, meáque officia (si quæ a me V. G. Il. digna & grata proficisci possunt) spondeam & deferam. Sed quid? adhuc pudibundus sum, inurbanus, ἄγροικος; nequeo austeriorem illam speciem (fateor) quam mihi natura indidit ac confirmauit educatio, hac ætate mea ingrauescente abstergere. Quapropter vnum mihi visum est facere. A studijs subsidium petij inurbanitatis istius & horridulæ rusticitatis meæ, librúmque a me recens vestrorum hominum causa perscriptum meo nomine ad Ill. G. V. allegaui. Etenim iamdiu vestra illa Polonia suis quidem beata bonis, sed malis importatis aliunde & per alios misera, iamdiu Lithuania cum ingenijs perditissimis conflictatur, quæ vltro ipsa ruunt in perniciem suam & alios in eamdem labem summo labore, diligentia, contentione, & peruicacia sollicitant sermonibus, exemplis, & scriptis, omnémque lapidem (quod aiunt) mouent vt socios mali sui quamplurimos adiungant sibi. Hoc autem malum (quod est profectò grauissimum) quum audiuissem iamdiu, afficiebar grauissimè Christiana popularium vestrorum commiseratione: & virum aliquem auctoritate grauem, scientia rerum diuinarum instructum, fortémque & generosum Christi militem optabam exsistere, qui gladio diuini verbi in virtute & demonstratione spiritus illud expugnaret. Vt autem multis hinc inde scriptis ad me antehac transmissis comperi tantis malis non admodum obsisti, nedum compesci alieno studio, nec sua infirmitate ipsa concidere, sed populi imperiti mentes in dies infici rationis humanæ & popularitatis inani specie, quæ falsis istis dogmatis inest quamplurimùm: eò me tandem compulerunt Dei auctoritas, bonorum postulationes, meáque ipsius conscientia, vt de excutiendis & confutandis ex Dei verbo impuris aliquot scriptionibus seriò cogitarem, in quibus arcem & præsidium istius mali videbam præcipuè collocari. Rationibus naturalibus & humanis orthodoxam doctri-

nam de sancta Trinitate oppugnarunt: breuiter confutaui, ostendens physicis legibus non expendi metaphysicas; multo minus res diuinas physicis aut metaphysicis, & tamen eos ipsos Physicæ admiratores etiam in re physica non rarò alucinari. Auctoritatibus Scripturæ sacræ detortis ad suum illud consilium obtinendum insciè atque impiè abutuntur: Easdem auctoritates malè ab illis aliò abripi, auctoritate Scripturæ ipsius demonstraui, quemadmodum fieri omnino a nobis necesse est ad iustam Scripturæ veritatísque diuinæ (quæ vna & vniformis est) intelligentiam. Vnum ad confutationis iustæ rationem desiderari prætereà videbatur: nempe vt qui loci a nobis adducuntur ad demonstrationem diuinæ & orthodoxæ veritatis, eos ab iniquis falsisq; interpretationibus istorum vindicaremus. Istius autem generis neque apud venerandam illam antiquitatem (quod mihi quidem constare posit) neque hac memoria nostra scriptum vllum argumento tam exitiale, aut arte lubricum vix puto exstitisse, quam illud est quod ante annos aliquot Senensis cuiusdam opera in manus primùm multorum fuit disseminatum, deinde verò & typis exaratum postremò etiam opera singulari amplius recognitum, cuius manuscriptum exemplar fuit Tiguro transmissum ad me. In hoc enim scripto sanctissimum illud primum caput in Euangelio Ioannis mysteriísque diuinis confertissimum, ineptis argutijs atque impijs interpretationibus ex tota hæreseωn colluuie, quæ vnquam exstiterunt, collectis turpissimè maculatur, & accumulantur omnia quæ ab istis hominibus adserendæ impietati suæ vnquam adscripta fuerunt. Hoc igitur scriptum vtrumque, impressum & manuscriptum excutiendū sumsi, & ex verbo Dei sine offensa cuiusquam aut acerbitate animi confutandum. Atque hanc confutationem, Illustres & generosi Domini, in præsentia allego ad vos: scriptum vobis συνηδυστικὸν de aduentu vestro, publicum vestræ pietatis studiorúmque testem, certissimum obseruantiæ meæ erga Ill. G. V. indicem, & veritatis diuinæ pro eo ac potui vindicem

cem religiosißimum futurum apud vestros: quorum saluti consultum cupio in Christo Seruatore nostro. V. itaque Ill. G. rogo quàm possum studiosißimè, vt cùm meum hunc laborem vobis gratulatorium æquo animo a me accipiatis ipsi, tum pro insigni studio pietatis illius vestræ, sanctáq; zelotypia erga Deum, Ecclesiam, patriámque vestram (quem zelum iamdiu ab Illustri & generoso heroe parente vestro acceptum colitis diligentißimé) efficiatis vt quicunque fructus ex hoc scripto potest obtingere, ad populareis vestros (quorum causa hoc elaboratum est maximè) transmittatur, fiántque illi eiusdem salutis viæq; salutaris, quam fide optima ex Scripturis docemus, participes in Christo Iesu Domino & Seruatore nostro. Deus V. Ill. G. protegat virtute sui Spiritus ab omni malo, & in omni bono confirmet augeátque ad laudem gratiæ gloriosæ suæ.

Amen.



TERTIA DEFENSIO

CATHOLICAE DOCTRINAE DE S. TRINITATE PERSONARVM IN VNITATE ESSENTIAE DEI.

DE summo omnium grauissimoq; mysterio, de Deo dicturus, atque defensurus veræ pietatis & Christianæ religionis arcem a periculosis eorum cuniculis qui ratione humana freti conantur labefactare veritatis diuinæ fidem, primùm Deum optimum maximum doctorem veritatis auctoremque fidei nostræ orthodoxæ oro supplex, & meam ipsius & legentium omniũ mentem a natiua cæcitate liberet, animosq; a studiis omnibus siue fluctuantibus ignoratione, siue aduersantibus infirmitate & malitia, potenter vindicet in Christo Iesu virtute æterna Spiritus; vt de veritate diuina secundum veritatem, ipso duce & doctore solo, piè sanctè & sobriè possimus quærere, eam quærentes inuenire ex promissione ipsius, inuentam condere magis magisque in thesauro cordis nostri, & conditam ad ædificationem fratrum nostrorum expromere, quod gloriæ Dei ipsius & Seruatoris nostri inseruiat. Expugnauimus antè per Dei gratiam duo impedimentorum genera quibus Samosateniani, Ariani, alii, tum sibiipsis ad cognoscendam veritatem Dei præcludunt viam, tum aliis obsistunt vehementissimè in via veritatis, ne assequantur salutarem illam cognitionem veritatis quam ex verbo Dei, id est, Scriptura sacra didicimus. Nam obiicientibus naturæ lucem & argumenta ex ea sumta, ostendimus eam lucem nihil nisi tenebras esse, cum luce diuina comparatam, & argumenta eius non ad peruestigandam maiestatem gloriamque Dei, sed ad redarguendam vanita-

tem nostram & inscientiam pertinere. Deinde verò quia speciem aliquam Scripturæ solent obtendere, cuius au-ctoritatibus principia sua naturalia & rationis in diuinis planè cæcutientis semina student confirmare, modum exposuimus quo sanctissimæ illæ purissimæq; auctorita-tes Scripturæ a sordibus & inquinamentis ipsorum de-fendantur, & integra Dei veritas in ouili Christi ex eiusdem Scripturæ fontibus conseruetur. Nunc tertium restat opus confutationis absoluendum: nempe vt quos Scripturæ locos ad sanctissimi & augustissimi huius my-sterii declarationem a nobis allatos iidem artifices suis corruptelis inspurcant, & abripiunt a germana ipsorum interpretatione, eosdem testes veritatis, quam colimus docemúsque, esse demonstremus. Hoc igitur consilium nostrũ Deo auctore effecturi ad gloriam ipsius, assertio-némque veritatis, & tam multarum animarum salutem quæ his telis in Sarmatia maximè appetitæ fluctuant mi-serrimè, & a vero Deo in falsa hominũ commenta tradu-cuntur: argumentum vnum ad manum sumsimus con-futandum, in quo sic apertè omnia doctrinæ suæ initia descripserunt, vt nihil mihi quidem ad tenendam eam desiderari ampliùs videatur posse. Cùm enim firmissi-mam certissimámque totius huius mysterii declaratio-nem primo capite Euangelii Ioannis exstare animaduer-terent, omneis ingenii sui neruos quam potuerunt ma-ximè contenderunt, vt lucem illius fumo suarum inter-pretationum obscurarent, & multiplice τεχνολογίᾳ sim-plicitatem, mendacio veritatem Christi obruerent. Hu-ius autem illorum scripti duo ad me exempla fuerunt perlata: quorum vnum, tempore (si bene coniicio) ve-tustius aliquanto, fuit commissum typis studio & opera auctoris, alterum posterius siue ab auctore, siue a certo homine auctoris necessario limatiùs & accuratiùs exara-

tum,

tum, quod per manus multorum (vt solent isti) submissum est, vt peritos semper fugeret, imperitos verò plurimùm falleret. Quapropter vtrumque scriptum visum est nobis suo ordine & fide optima coniungere, vt aliis scriptis antehac fecimus: sperantes fore (quod olim dicebat Irenæus) vt quo magis erunt ex scriptis ipsorum cognita, eo sint magis attendentibus piis & consideratis ἀσάλευτα. Fecimus autem hoc ordine, vt primùm impressi, tum verò Manuscripti verba haberentur: quibus responsa Defensionis nostræ coniunctim subiecimus, ne idem sæpius a nobis repeti cum tædio legentium oporteret.

BREVIS EXPLICATIO IN PRIMUM Ioannis caput.

SAMOSATENI PRAEFATIO. I.

CVM *plerique abutantur hoc Ioannis capite ad hominum commenta stabilienda de filio Dei Christo, quem fingunt æternum, bis genitum, duarum naturarum, incarnatum, hócque contra omnem veritatem faciant: quo non tantùm tota Scriptura de Christo Filio Dei obscuratur, corrumpitur, atque peruertitur, sed etiam ille Christus Dei Filius a Mose, Prophetis, & in toto veteri Testamento prænunciatus, & a pijs omnibus semper ante exspectatus, qui posteà de Spiritu sancto conceptus, ex Maria natus, pro nobis passus & mortuus, funditus exstirpatur: quin & secundus Deus introducitur, ad abolendum illum solum, verum, altissimúmque Deum Patrem Christi: Quare ne pii patiantur se abduci ab illo vno solóque Deo Patre, & a Christo etiam vnico eius filio, quem nobis Pater de cælo commendauit, breuiter summas tantùm rerum in hoc capite controuersarum attingam.*

M S. Præfatio.

Quoniam quæ dicenda sunt, fortasse vti noua & hactenus

inaudita, suspecta prima fronte videbuntur: ante quàm ergo scriptum hoc legatur, paucula quædam præfari visum est, quæ scilicet & suspicionem tollere possint, & simul ad eius intelligentiam non mediocrem lucem adferre. Primùm ergo quicquid de Ebione & Cerintho vulgo iactatur, figmentum esse censebitur: nempe quòd Ioannes contra eos qui Christum ante Mariam esse negabant, suum scripserit Euangelium. Nam vltra quòd nihil solidi ad eius probationem in medium adfertur, non desunt etiam efficaces rationes quæ diuersum sentire cogant. Causa autem huiusce erroris fuit falsa quorundam imaginatio. Cùm enim viderent sic Ioannem primo hoc cap. appellare Christum verbum Deum, audirentque mundum per ipsum esse creatum, carnem denique esse factum, & huiusmodi alia; non intelligentes veram Euangelistæ mentem, cœperunt nescio quid altius ac diuinius mente concipere, quàm Ioannes intelligere voluerit: nempe Christum esse æternum Dei filium, æqualem in omnibus Deo Patri, & secundam in Trinitate personam, immò ipsissimum Deum omnipotentem. Sed si ita res haberet vt dicunt, certè diuina Scriptura alicubi clarè, apertè, ac sine verborum inuolucris & ambagibus ista docuisset. Mirum siquidem esset Ioannem & cæteros, Euangelistas, Apostolos, omneis in re tanti momenti (nam ad salutem pertinere contendunt) nihil penitus scripsisse: maximè cùm in multis aliis describendis longè minoris momenti & ad salutem non vsque adeò necessariis occupentur. Et, si alii omnes hæc præteriissent, certè Lucas diligentissimus scriptor annotasset, qui magna cum diligentia (vt ipsemet scribit) omnibus ab initio peruestigatis perfectè de Iesu Christo scripsit. Nimium ergo grandem ipsi & aliis scriptoribus iniuriam faciunt, qui ipsos aliquid prætermisisse asserunt quod ad salutem pertineat. Vt & aliud quod vehementer vrget, nempe non alium Messiam a nobis ad salutem exspectandum ac credendum esse, quàm eum qui a Prophetis descriptus &

promissus

promissus fuerat, nempe ex semine Dauidis. Atqui Prophetæ nunquam dixerunt venturum Messiam qui esset verus Deus & homo, sed simpliciter ex semine Dauidis. Aduertendum est præterea, quòd quando in Instrumento nouo fit mentio, Christum fecisse mundum, omnia condidisse, &c. non hæc ad materialia & visibilia esse trahenda, vt ipsi faciunt, sed solummodò ad spirituale suum regnum, quod appellatur mundus, domus, orbis, Ioan. 3. Hebr. 2. vt fusiùs infrà probabimus: siquidem Christus spiritualis rex est, non carnalis: datus a Deo Patre ad ædificandum, faciendum, creandum spirituale regnum hoc, quod est Ecclesia. Sicut enim Moses, vti minister, inquit Paulus Hebr. 3. fuit fidelis in tota domo sua, ita Christus, tanquam Filius administrauit domum ipsius, cuius domus sumus nos.

Quantum verò ad Ebionem & Cerinthum attinet, in quorum odium Ioannem scripsisse asseritur, id ab omni veritate alienum videtur. Si enim ita res haberet, verisimile non est Ioannem rem hanc tam leuiter silentio præteriisse, quin saltem vel semel hæreticos huiusmodi nominaret. Quòd si videmus ipsum tam acriter in Apocalypsi Nicolaitarum facta reprehendisse, quomodo hæc in historia Ebionitarum & Cerinthi falsa dogmata non reprehendisset? Cur nusquam clarè testatur ipsum Christum natura Deum esse simul & hominem? cur huiusmodi hæreticos deuitandos & cauendos esse non admonuit? Verùm quòd Ioannes horum in scribendo nullam habuerit rationem, vel ex eo euidentissimè apparet, quòd in fine suæ historiæ rationem reddens in quem finem scripserit, non alium fuisse tradit quàm vt homines credant Christum esse filium Dei, & ita credendo vitam haberent æternam. Nam hîc opportunum fuisset Euangelistæ aliquid contra pestiferos hos homines scribere. Poterat enim ita dicere, vt credatis Christum esse filium Dei coæternum, consubstantialem cum Patre, ac in omnibus coæ-

qualem, & ita credendo vitam æternam habeatis. Sed quid pluribus opus est? Quod demum requiritur, benigne Lector, illud est, vt omni persuasione hactenus concepta spoliatus huc accedas, ac libero iudicio iuxta normam verbi Dei indices, fusis primùm ad Deum ardentibus precibus. Hac siquidem sola ratione veritatem assequêre. Vale.

ORTHODOXVS.

VTRAMQVE hanc præfationem, Christiane Lector, hoc loco visum est coniungere, tum vt ex ipsarum inter se comparatione videas quantum momenti secundæ curæ prioribus ad oppugnandam veritatem Dei adiecerint, tum verò vt ad vtramque vna & eadem opera simul respondeam, nequando actum agi sæpius oporteat. Equidem non dubito quin austera illa frons & censoria quasi virgula, quæ priore illa præfatione cœperat occupari, multorum animos pietati seriò dantium operam in ipso limine offenderit: adeò superciliosè iudiciũ suum de plerisque omnibus, de nostra communi fide, & de Iesu Christo Seruatore nostro enunciat. Sed postquã hoc malum euentus præter opinionem auctoris comprobauit, tum manus altera sperans (quod dici solet) δευτέρων ἀμεινόνων, est admota, subiectáque præfatio noua; in qua, prioris illius austera simplicitate remota, lenius instillantur & propinantur imbibenda, quæ prius epotare & exhaurire vno spiritu multorum animi renuerant, fastidierántque. Sed missa arte, quam quiuis de vulgo potest animaduertere, ne artem sectari putemur aut dicamur ipsi, (quam hîc laudare non possumus) ad argumentum ipsum veniamus. In priore sua præfatione exponit Samosatenus caput controuersiæ, cuius causa se ad istud scriptionis genus adductum fuisse pronunciat.

nunciat. Id autem vt commodiùs singuli queant percipere, hoc syllogismo breuiter concludemus: *Qui filiũ Dei æternum, bis genitum, duarum naturarum, & incarnatum fuisse docent, hi contra omnem veritatem absurda statuunt quàm plurima: Hoc faciunt Orthodoxi, qui primo capite Ioannis in eam sententiam abutuntur: Hi ergo absurda statuunt quàm plurima.* Negamus simpliciter omneis huius argumentationis partes. Nec propositio maior, nec assumtio vera: proinde nec in conclusione plus veritatis est. Ac de minore quidem ex professo agitur posteà in scripto reliquo: singula itaque membra suo ordine & loco expendentur. De maiore videamus. Hæc illa, inquit, absurda sunt quæ inde consequuntur. 1. quòd *tota Scriptura de Christo filio Dei obscuratur, corrumpitur, atque peruertitur.* 2. quòd *Christus ille Dei Filius funditus exstirpatur.* 3. quòd *secundus Deus introducitur ad abolendum illum solum verum, altissimumq́; Deum Patrem Christi.* Atqui his omnibus Samosatenus principium petit, vt loquuntur Scholastici. Nam primùm negamus horum absurdorum quicquam ex orthodoxa illa doctrina consequi quam sanctè profitemur: neque vlla vis argumentorum non modò vera, sed ne probabilis quidem afferri potest, vnde hæc absurda, quæ obiiciuntur nobis, neri aut necti possint. deinde verò hæc ipsa absurda, quæ tam grauiter Samosatenus in nos visus est intorquere, per necessariã consequutionem ex doctrina ipsius singula confici affirmamus, certísq; tum auctoritatibus diuini verbi, tum argumentationibus possumus conuincere. Sed quia hîc τὸ ἀνασκευαστικὸν a nobis petitur, præstat loquentem Samosatenum audiamus, & nouis suis interpretationibus, quas ausus est comminisci, alterum nobis Euangelium, alterum Christum, & Deum alterum adornantem.

MS. Posteriore præfatione interpolaturus illud asperius scribendi genus artifex, insinuatione vtitur ῥητορικῶς, quam nos in medio relinquemus. Nemo enim homo tam hebes atque obesus est, qui nesciat de re noua atque inaudita auctorem potius & scholam veritatis, quàm hominem ignotum & aliud agentem audiri oportere. Auctorem habemus veritatis Deum, qui instrumento Scripturæ suæ instruxit domum suam, & in ea iam olim seruos suos de hoc mysterio informauit. Hîc veritas vniformis & docentis, & doctrinæ, & discentium quos docet Deus: veritas Catholica in consensione sanctorum posita, quam hic Samosatenus non dubitat oppugnare. Insinuet se nouator iste: at sapientia & veritas Dei in compitis clamat, cuius vocem cum orthodoxa illa & prisca Ecclesia agnoscimus. Huic verò insinuationis modo non bene conueniunt præfidentes illæ Samosateni affirmationes duæ, quas perinde cupit Ecclesiæ obtrudere atque aphorismos omnium certissimos & indubitatas planè demonstrationes. Prior est, figmentum esse quod vulgo iactatur de Ebione & Cerintho, aduersus hos puta Ioannem scripsisse Euangelium: posterior falsam imaginationem, quamuis vetustã, esse, quæcunque Orthodoxi adferunt ad huius capitis intelligentiam, de filio Dei. Cùm autem propositionum istarum argumenta a Samosateno in præfatione reliqua ὕστερον πρότερον adferantur, eodem ordine de illis dicemus paucis. Malè hoc caput intelligi, & contra mentem Ioannis ex eo doceri, *Christum æternum Dei filium esse, Deo Patri æqualem in omnibus, secundam in Trinitate personam, ipsissimum omnipotentem Deum,* hanc denique puram putam imaginationem esse, tribus argumentis probare nititur, quæ ordine exponemus. Primum: *Si hoc verum esset, diuina Scriptura alicubi clarè & apertè docuisset, præser-*

tim cùm ad salutem contendant pertinere: Non fecerunt autem, ne Ioannes quidem aut Lucas: Non igitur verum. Maiorem concedimus: etsi non est simpliciter ac per se necessaria. Nam vel vnus apertus locus, vt hic ipse est, ad diuinam auctoritatem satis. Quid enim? nónne semel dicta veritas a Deo tam est veritas & fidem nostram obligans, quàm millies recantata? nónne quum primùm semel fuisset dicta, & veritas diuina fuit, & audientis Adami obstrinxit fidem? Minor falsissima est: fecerunt enim Apostoli & Euangelistæ passim; fecit Ioannes hoc loco, & singulis fermè capitibus: fecit Lucas cap. 1. & 2. prout singulari opere (si Deus volet) ostendemus, ne idem centies repeti oporteat. Sic ergo conclusio falsa. Secundum: *Apostoli & Euangelistæ eum Messiam excipi & credi voluerunt, qui a Prophetis descriptus & promissus fuerat: Fuerat autem promissus ex semine Dauidis, non autem Deus verus & homo: Hunc ergo excipi & credi voluerunt.* Maior verissima est: Minor falsissima: quemadmodum vel ex Esaiæ 7. & sequentibus confirmatur. Nã propterea dictus est *Immanuel*, vt si θεάνθρωπον dicas, id est, Deum & hominem in vnitate personæ. Solus certè Propheta Esaias (vt alios taceamus) plus satis argumentorum legentibus orthodoxis est suppeditaturus, vnde huius affirmationis vanitatem, & affirmantium (vt ita dicam) ἀπέραμνον ἦθος redarguant. Sed hæc aliâs. Neque hæc ergo conclusio verior superiore est. Tertium: *Quæ de Christo prædicantur, secundùm conditionem regis & regni prædicantur, & ita accipienda sunt: Conditio regis & regni spiritualis est: ergo spiritualiter prædicantur, & ita accipienda.* Hinc, *Christus fecisse mundum, omniáque per ipsum facta prædicantur: hæc igitur prædicata spiritualiter sunt accipienda.* Prosyllogismi vtraque propositio est valde ambigua. Nam *Christus rex, & Christi regnum* bifariam di-

citur: primùm respectu vniuersalis regni, quod regnum diuinum atque æternum est, commune Patris, Filii, & Spiritus sancti in vnitate essentiæ: secundò respectu singularis regni, quo vt Rex Mediator, regnum obtinet Ecclesiæ suæ in persona sua: quorum prius a natura habet, posterius a dispensatione diuina. Præterea loquutio ambigua item est, *secundùm conditionem regis & regni prædicari, & accipi*, & quæcunque in hanc sententiam a Samosateno dicuntur. Nam siue prædicata hæc enuncientur de rege, qui subiectum est, siue de regno, quod obiectum, siue de administrationis modo, quæ relatiua actio regis ad regnum est, hæc *conditio* ambiguè dicitur. Rex, quà Deus, semper spiritualis est: quà Mediator, non item: assumsit enim corpus, & in eo regnat, in quo etiam fecit & passus est ea corporaliter quæ ex historiis Euangelicis cognouimus. Regnum vtrumuis dixeris, si obiectum materiámque in qua regnat Christus, respicias, non nisi æquiuocè dici potest secundùm conditionē regis: cùm secundùm essentiam, potentiam, operationem, & affectiones quaslibet res subiectæ ipsæ inter se plurimùm differant, & omnes a conditione regis sui absint quàm longissimè: soli homini cum suo rege conuenit identitate naturæ, quà homo est similis fratribus suis excepto peccato. Modus, si ad formam essentialem regni & administrationis vtriusque huius respexeris, omnino spiritualis est: si ad cætera, summè varius spiritualiter & corporaliter, prout illa Dei sapientia est πολυποίκιλος. Cùm ergo conditio regis & regni huius secundùm hoc spiritualiter, secundùm illud aliter sit accipienda, prout prædicatur variè, omnino sequitur hîc Samosatenum ex ambiguo fallere: aut (si aliter placet) inconsequentem argumentationem a non distributo ad distributum exstruere. Nam vt maiorem veram esse demus secundùm

Ephes. 3.

ea quæ

ea quæ modò distinximus, particularis futura est & indefinita: Minor itidem particularis, nec alia ratione vera quàm si dixeris, conditionem regis & regni ex parte, non vniuersè, spiritualem esse. Indefinitè autem, vel sine vniuersali signo a genere ad speciem quis nescit tantùm negantia duci argumenta posse? Sic falsam esse vides, Samosatene, argumentationem tuam. Euerso autem prosyllogismo, quid iam consequente syllogismo facias? Quæ Christus fecisse prædicatur, spiritualiter sunt accipienda: Christus fecisse mundũ, omnia prædicatur: Mundus ergo, omnia spiritualiter. Maior indefinitè vera, sed particularis: si fiat vniuersalis, falsissima futura est. Et hîc ergo ex particularibus concluditur ἀσυλλογίστως. Siquidē porrò sic pugnaturus es, omnib. iudicibus vincéris, qui solus currens tibi videris vincere. Quæ de *mundi, orbis, domus* interpretatione adfert παρέργως, nihil ad rē, neq; ex veritate. sed de eis alibi. Quæ de Ebione & Cerintho narrantur, déque Ioannis consilio Euangeliũ perscripturi, aliqua ex parte falsa sunt, & huius scriptoris produnt ἀνιστορησίαν. Nam primùm nomen *Ebion* non est viri proprium, sed Hebræum vocabulum & Syrum, appellatiuè pauperem significans, vt ipse Eusebius interpretatus est. Hinc plurali numero *Ebionim* dicti, vulgo Ebionæi, fratres pauperes siue mendicantes, a sectæ illius modo. Quapropter non Ebionem, sed Ebionæos a Samosateno dici oportuit: nisi forte Ebionem, vt Epiphanius, singulariter per enallagen pronunciauerit, & ad caput istius ordinis respexerit. Huius rei ignoratione posteriores scriptores Ebionem viri proprium nomen putauerunt. Secundò non abest a falso, quòd vnam solùm causam, cur Ioannes scripserit ista, in medium protulit, cùm duæ ab orthodoxis Patribus adducantur passim: vna, vt quæ alii Euangelistæ prætermiserant de Christo

Lib. 3. histor. Eccles. cap. 27.

dicenda, siue a Christo gesta, etiam ante quàm Baptistes in vincula coniectus esset, ab eo perscripta haberentur; quod Ecclesiæ in Asia rogauerant: altera, vt erroribus quos disseminabat Satan occurreret. Priorem copiosè narrat Eusebius libro 3. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 23. & Augustinus commodè notauit his verbis: *Ioannes est reliquus, qui iam non restat cui conferatur. Quicquid enim singuli dixerunt, quæ ab aliis non dicta sunt, difficile est vt habeat aliquam repugnantiæ quæstionem.* Idem Chrysostomus, Cyrillus, alii. Hanc sanè omitti à Samosateno indignum fuit. Postremò falsum est ad Ebionem & Cerinthum solummodò respexisse: & quòd *in odium eorum scripsisse* dicitur, odiosum. vt enim veritas mendaciis omnibus, sic præco veritatis præconibus quibuslibet mendaciorum obsistit, & veritatis παραχαράκταις aduersatur. Non autem ad hos duntaxat respexisse locupletissimus testis vnus de multis nobis futurus est Irenæus, auctor idoneus & ab antiquitate summa: qui Ebionæos quidem in hac causa minimè, sed Nicolaitas, Cerinthũ, & alios aliquot disertè nominat. *Omnia igitur talia,* inquit, *circumscribere volens discipulus Domini, & regulam veritatis constituere in Ecclesia, quòd sit vnus Deus omnipotens, qui per verbum suum omnia fecit, & visibilia & inuisibilia: significans quoque, per quod verbum Deus creationem perfecit, per idem etiam salutem iis qui in creatione sunt hominibus præstitisse, sic inchoauit in ea quæ est secundùm Euangelium institutione, In principio erat Verbum,* &c. Et paulo pòst. *omnia, inquit, per ipsum facta sunt: in omnibus ergo est & hæc quæ secundùm nos est conditio,* siue creatio. Quæ verba eo de industria adduco, vt antiquitatis vera sententia de tertio illo Samosateni argumento videatur, quod antè refellimus. Vt autem falsum illud esse vincat quod in opinione est vulgi, rationibus quatuor abutitur. Prima: *non fuisset*

Lib. 4. de consensu Euangelist.

Lib. 3. aduersus hęreses, ca. 11.

fuisset Ioannes tam leuiter præteriturus silentio rē hanc, quin semel saltem hæreticos nominasset. Negatur consequens: nam primùm alia est ratio scribendi Euangelii, alia epistolæ, aut cuiuscunque scripti alterius. Euangelio veritas narratur simpliciter, quod Ioannes fecit: epistolis, aliis sic narratur veritas, vt in contraria excurratur singulari applicatione. Deinde si vel vnum hæretici hominis nomen in Euangelium inserciri fuisset alienum, quanto magis, si plura, quæ eodem tempore in veritatem Christi insurgebant? Huius autem rei Iustinus, Irenæus, alii testes sunt, ab antiquo illo, non ab hoc perturbato & factionibus feruente seculo; non vnum inquam, sed varios fuisse aduersarios. Tum fuisset illud alienum a Christiana prudentia & charitate factum; quæ sic veritatem Dei asserit, vt mendacia ipsa auctorúmque nomina non prodat foras, sed prodeuntia foras tum demum publicè excipit vt veritatis, charitatis, prudentiæque Christianæ rationibus senserit conuenire. Postremò tu ipse, Samosatene, respondes, quum exemplum Nicolaitarum adducis. *At Nicolaitas palàm traducit, quidni etiam istos?* Nam Cerinthus synecdochicè comprehenditur Nicolaitarum nomine, a quibus didicerat. Demonstrat illud ibidem Irenæus non obscurè, dicens, *Hanc fidem annuncians Ioannes Domini discipulus, volens per Euangelii annunciationem auferre eum qui a Cerintho inseminatus erat hominibus errorem, & multo priùs ab iis qui dicuntur Nicolaitæ, qui sunt vulsio* (ἀπόσπασμα) *eius quæ falsò cognominatur scientia*; &c. De Ebionæis, hoc loco nullum verbum. Secunda ratio: *Cur Ioannes nusquam clarè testatur Christum natura simul esse Deum & hominem?* Hoc idem argumentum est primum, quod huius præfationis principio confutauimus. Itaq; actum ne agamus, tantùm Irenæi verba adferam ibidem posita: *Secundùm nullam*, inquit, *sen-*

tentiam hæreticorum, verbum Dei caro factum est. Siqui *enim regulas ipsorum omnium perscrutetur, inueniet quòd sine carne & impassibilis ab omnibus illis inducitur Dei verbum & qui est in superioribus Christus.* Hoc signum hæreticorum iam illo tempore habebatur. Tertia ratio: *Cur huiusmodi hæreticos deuitandos & cauendos esse non admonuit?* Respondeo vt antè, non esse istud opus Euangelicæ historiæ: non fuisse futurum prudentiæ & charitatis Christianæ opus, eum hominem palàm configere calamo qui se vltrò & turpiter non dedisset palàm: doctrinam falsam fuisse satis retectam, tum proposita veritate luculentissima, tum notato principe illius falsitatis qui palàm mendacia sua & impietatem notandam præbuerat, vt fit in Apocalypsi iterato Nicolaitarum nomine.
Apoc. 2. Quarta: *hanc causam scribendi Euangelii non adfert Ioannes, sed ita solùm dicit, Hæc scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum illum, Filium illum Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius.*
Ioan. 20. Immò verò hæc causa non Cerinthum quidem singulariter, sed omnes hæreticos attingens communiter, illis verbis disertè expressa est, quum Dei veritas speciatim aduersus mendacia hæreticorum qui tum exstiterant distinctè asseritur. Nam eorum alij personam, alij beneficium Christi indignè lacerabant. Qui personam, aut Iesum esse negabant Christum, aut Christum diuidebant, aut negabant Filium Dei, aut illum negabant quem Apostoli & Euangelistæ docuerāt: Qui beneficium, aut omnino in eum credi negabant oportere, aut credentibus ab eo vitam æternam fore: quæ omnia Irenæus libro 1. & 3. narrat copiosissimè. Quum ergo diceret Ioannes, *hæc scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum illum*, &c. nónne quasi digito omneis illas hæreses commonstrabat, vt Ecclesiam in veritate aduersus mendacia hominum confirmaret? Atque hæc virtus est

historiæ Euangelicæ, ab epistolarum & Apocalypseos natura differens. Nam in his mendacia quoque notauit diligentissimè, in Euangelio puram expresit veritatem. Atque hanc in sua præfatione vtinam Samosatenus imitatus esset: nam a veritate ablusit plurimùm, vt iis quæ modò sunt dicta euicimus.

SAMOSATENVS. 2.

In principio.

VOCE *principii æternitatem quidam significari volunt: alii verò tempus ante conditum mundum. Sed nihil horum intelligit Ioannes. Tempus enim Euangelii, quo cœptum est a Christo prædicari, designat nomine principii seu initii; quemadmodum ipse Ioannes alibi hoc apertè comprobat dicēs, sed & vos testabimini (Christus ait ad Apostolos) qui mecum ab initio estis: sic, hæc vobis initio non dixi, quia fui vobiscum. Vox* ἀρχῇ *vtrobique posita, vt Ioannis cap. 1. Sed & Marcus ab eadem voce & re incipit Euangelium suū,* ἀρχὴν *seu principium Euangelii Christi nominans. Sic & Lucas quoque orditur suum Euangelium, eadem voce vsus: Sicut, inquit, nobis tradiderunt qui a principio spectatores erant & ministri sermonis, visum est quoque mihi omnia ab initio tibi describere. Sic Actor. 1. de eodem initio scribit, quando (inquit) Iesus cœpit facere & docere, incipiens a baptismo Ioannis. Sic Actor. 11. illapsus est Spiritus sanctus in eos, quemadmodum & in nos* ἐν ἀρχῇ, *ab initio: certè non ab æterno, nec ante conditum mundum, sed tempore ministerii, quando missus fuit. Eadem voce vtitur describens hunc sermonē Christum hominem, Quod erat a principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus & manus nostræ contrectauerunt de sermone vitæ. De Christo verbo, visibili oculis, palpabili manibus, qui ex Maria natus est, loquitur. Nam ille æternus qui fingitur, a nemine vnquam palpatus ab æter-*

Rodolphus Gualterus, Vox principii æternitati nequaquā conuenit.

1. Ioan. 1.

no, vel pòst legitur, neque vnquam auditus. Cæterùm ostendant qui aliter sentiunt, alicubi Scripturam sub nomine principii æternitatem designasse. Quod si ostendere solido aliquo testimonio non poterunt, quid temere pronunciant, detorquentes genuinas vocum significationes?

MS.

QVI *hoc loco principii nomine Christi æternitatem designare volunt, manifestè erroris conuincuntur, tum quòd nulla Scripturæ auctoritate fulcitur, tum quòd omni rationi aduersatur. Neque enim datur principium sine principio: sed principium solùm datur in his rebus quæ principiū habere possunt. At æternitas nulla admittit principium: immo quum principium dico, consequenter ac necessariò æternitatem excludo. Nomen ergo principii hoc loco non æternitatem, sed ordinem earum rerum respicit, quas Ioannes de Iesu Christo dilectissimo Dei filio descripturus est. Imitatúsque est Ioannes hac in re Mosem & Marcum Euangelistam, qui historias suas describentes similiter ab hoc nomine principii exordium sumpserunt. Et sanè mirum est, quòd cùm Theologi ferè omnes passim deprædicent, nullum interpretationis genus melius ac securius inueniri posse, quàm si Scriptura per eamdemmet scripturam exponatur, hoc tamen loco sui ipsorum obliti valere iussa Scripturæ diuinæ auctoritate suis somniis indulgent. Causa autem huius erroris fuit, quòd* Verbum *hoc, cuius fit a Ioanne mentio, finxerunt esse quemdam æternum ac consubstantialem Dei filium, immo ipsummet æternum Deum omnis principij expertem. Sed quàm vanum hoc sit, infrà videbitur.*

ORTHODOXVS.

Hîc verò Samosatenus in ipso limine, commodo suo & interpretationes adfert, & argumentationes a nostris (vt quidem videri cupit) fabricatas. Sic enim adfingit:

Principium

Principium istis hominibus aut est æternitas, aut tempus ante mundum conditum: Sermo ille fuit in principio: In æternitate igitur, & ante mundum conditum. Maiorem negat allata alia principij interpretatione & exemplis eius: atque vt negationem suam amplius confirmet, Gualteri adhibet testimonium, tamquam si æquiuocatione non obscura, & ab hominibus quoque nostris oculatioribus perspecta soleremus aut vellemus in rebus tantis (quod absit) illudere. Ne multa, Samosatene, dum hæc impingis hominibus nostris, peccas trifariam: 1. ea quæ ad interpretationem loci iustam coniungimus, prout re sunt coniunctissima, ad fallaciam tuam diuidendo. 2. vocis interpretationem, quæ a nostris non est nec vnquam fuit, nobis adfingendo. 3. nouam quandam atque inauditam homonymiam siue æquiuocationem, vbi nulla est nec esse aut videri potest, aucupando. Singula hæc itaque videamus: tum verò tu ipse videris quid futurum sit hac interpretatione tua. 1. Fallaciam diuisionis, vt vocant, his verbis commissam demonstramus hoc modo: Quicunque tum ex illis orthodoxis Patribus, tum ex nostris æternitatem personæ Christi hoc Ioannis loco docuerunt, ij non ex voce *principij* sola, sed ex prædicato (vt loquuntur) toto asseruerunt æternitatem λόγου, quum dicitur, *erat in principio*: contra quàm tu, Samosatene, adfingis nobis. Sic enim illi, & rectè, sunt ratiocinati: *Qui iam erat in principio, ante principium est: erat autem in principio λόγος, Scriptura teste: ante principium igitur est.* Quid? nónne hoc vides ex illo consequi necessariò, & hunc λόγον ante principium exstitisse? Auctores vetustos & recentiores si opus esset adducere, facerem sanè libenter: sed exstant in manibus omnium. Itaque dicā Augustini verbis, *Quid ait Euangelista? in principio erat verbum. Si erat, non est factum, vt ista omnia per ipsum fierent* Tractatu 1. in Ioannem.

& sine ipso nihil. Si ergo erat in principio verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: si non potes cogitare quid sit, differ vt crescas, &c. Item Chrysostomi, *Hoc in loco, erat, proprium non solum significat, sed erat in principio, & verbum erat. Quemadmodum igitur, est, verbum si de homine dicatur, præsens duntaxat tempus significat: sin autem de Deo, sempiternum atque perpetuum: itidem & erat. Nam quum de humana natura habetur sermo, præteritũ tempus, & hoc ipsum finitum: quando verò de Deo, æternitatem ipsam ostendit.* Concludã illis Basilij luculentissimis: *Audi Euangeliũ, in principio erat. Quòd si erat in principio, quando non erat? vtrùm horum impietatẽ defleam, an inscientiã horream? Sed, inquiunt, antequàm gigneretur, non erat. Scilicet nouisti quando sit genitus, vt aliquid anterius possis inferre tempori? istud enim quod dicis, ante, vox est temporis, alteri tempus alteri anteponens ad antiquitatẽ. Quî autem cum ratione conueniat, eũ qui fecit tempus generationẽ habere subiectam temporalib. appellationibus? In principio igitur erat. Nisi a voce erat, discesseris, nullum profectò aditum isti blasphemiæ improbæ daturus es.* Atq; hęc iudicio meo satis, ad fallaciã diuisionis, quã Samosatenus vtitur, demonstrandam. 2. Falsam interpretationẽ adfingi hominib. nostris vt apertè demonstremus, quid alia probatione opus est, quàm a Samosateno ipso? falsum est quod dicit, *voce principij æternitatem quidam significari volunt, alij verò tempus ante conditum mundum.* Nam primùm quid est tempus ante conditum mundum, si tempus dicitur, nisi χρόνος αἰώνιος, & ipsa æternitas? Ex vno falso duo facit, vt videatur habere plura quæ in nobis reprehendat, & speciẽ apud imperitos obtendit contradictionis. Sed posteriorem puduit istius ineptiæ, vt MS. ostendit comparatio. Valeat igitur, quum posteriore cura Samosatenus sustulerit. Secundò vix vllus est rerum Theologicarum,

Homil. 2. in Ioan.

Homil. in principium Euãgelij Ioan.

gicarum, aut etiam naturaliũ peritus mediocriter, qui ita ſentiat aut doceat, vt a Gualtero rectè affirmatur: ſed quicunque ad hunc locum de æternitate dixerunt, ij non ad nudam vocem *principij*, ſed ad propoſitionem hanc coniunctam, *erat in principio*, reſpexerunt, vt antè oſtendimus. Poſtremò vt demus fuiſſe nonnullos qui ita ſimpliciter principium definiuerint, at iniquum eſt profectò vtrumq; iſtud: tum particularem Titij aut Mæuij interpretationem omnibus tribui, vt omnes reprehendantur quamuis aliud ſentientes, cùm ex particulari non poſſit confici vniuerſale, niſi forte particularia omnia ſimul comportentur: tum verò alias interpretationes ab omnibus doctis vno conſenſu poſitas reticeri. Quam rē qua fidefaciat, Samoſatenus viderit. Quæ autem interpretationes? fortaſſe dixerit. Dicam paucis, ne quid diſſimulem. Duæ interpretationes olim a Patribus fuerunt allatæ: vna ſimplex, quã affirmant, vt antè vidimus: altera ſubtilior, quam non affirmatè dicunt, ſed hypotheticè ſuppeditant, nectentes ex conſequentia. Simplex eſt hæc: *principium* eſſe hoc loco principiatorum (ſic enim liceat loqui ad relationis commoditatē) id eſt, eorum omnium quæ principiũ habent in tempore, adeóq; primum ipſius temporis terminũ, momentum, ſeu punctũ, quo cœperunt eſſe tempus, locus, creatio, & res creatæ tempore & loco. In hoc principio, inquiunt, iam erat Sermo ille, de quo Ioannes inſtituit dicere: ergo ante tempus, locum, creationem, & res creatas omneis. Hæc ſimpliciſſima veriſſimáque interpretatio; ad quam omnes vno conſenſu reſpexerunt, quamuis diuerſo (vt fit) interpretationis modo. Altera autem interpretatio eſt relationis ad intus, vt vocant, a Patribus orthodoxis, non vt primaria, ſed vt ſecundaria ſemper vſurpata: nõ vt propria, ſed vt adhærens propriæ: quum illi dicerent, *in principio*,

id est, in Patre, qui principium est originarium siue Pater Filij. Quam interpretationem eo adferimus, vt Samosateniani videant nos bona fide agere, nec quicquam dissimulare velle quod ad causam hanc adferri possit. Quòd si falsam esse hanc interpretationem contenderint, facilè respondebimus, primùm veram atque simplicem præcessisse: tum aliud esse si de re dixeris simpliciter, aliud si de loci interpretatione: rem enim veram esse, quòd Pater sit principium Filij, & Filius sit in Patre, sed hanc interpretationem propriam horum verborum non esse; propriam magis sequentium illorum, *& sermo erat apud Deum*, vt posteà exponemus. Atque hæc ita se habere vel vnus Cyrillus, auctor grauissimus, in hunc locum testis est. Nos itaque omnes vno consensu cum veritate & cum Ecclesia orthodoxa propriam interpretationem amplectimur, & certa fide colimus. Quapropter cùm neque veras, neque omneis omnium interpretationes hîc noster attulerit, iniquè facit qui ex insufficiente enumeratione falsóque supposito æquiuocationes struit, & falsi probationes a nobis exigit dicens, *ostendant qui aliter sentiunt, alicubi Scripturam sub nomine principij æternitatem designasse*, &c. Sed iam de æquiuocatione videamus. 3. Nouam & inauditam æquiuocationem a Samosateno quæri vbi nulla est, etsi iam satis superiore loco ostendimus producta vera & genuina verborum Ioannis interpretatione, ampliùs tamen a consilio Euangelistæ, a perpetuo consensu Ecclesiæ orthodoxæ, a natura rei, & a conditione loci ipsius adhuc demonstrari potest. Consilium Ioannis hoc fuit, vt quæ ab alijs Euangelistis non fuerant disertè exposita de Christo Seruatore nostro, inprimis autem veritatem personæ illius aduersus hæreses falsas, quæ post tempus aliorum Euangelistarum natæ sunt, assereret: vt in præfationem

secundam

ſecundam obſeruauimus. Nam hæreſes quàmplurimas Satan excitauerat aduerſus veritatem perſonæ Christi, vt labefaceret doctrinam Euangelij: quarum aliæ negabant Ieſum eſſe Chriſtum aut λόγον, aliæ λόγον eſſe, aliæ æternum eſſe, aliæ ſubſiſtere perſonaliter, aliæ eſſe in Patre, aliæ hanc perſonam Deum eſſe vel diuinam perſonam, aliæ coniunctim eſſe perſonam diuinam æternùm in ſe ſubſiſtentem, & exſiſtentem in Patre, aliꝫ creatorem eſſe vniuerſitatis, aliæ ſuſtentantem atq; gubernantem, aliꝫ homines illuſtrantem & agentem virtute diuina ſua ſecundùm modum naturæ & gratiæ tum communis, tum etiā particularis in homines deriuatæ, aliæ denique, vel potiùs omnes (vt antè ex Irenæo docuimus) incarnatum eſſe, & perſonam vnam θεάνθρωπον, Deum & hominem in vnitate perſonæ: quas omneis hæreſes iā eo tempore ſuccreuiſſe demonſtrat Irenæus, qui ſucceſſit proximè ſanctorum Apoſtolorum tempora (vt ipſe ait libro 3. & 5. aduerſus hæreſes) & diſcipulorū Ioannis auditor fuit. His ergo hæreſibus & conſimilibus per Spiritum Dei cupiens Ioannes obſiſtere, vt Apoſtolus Chriſti, ſingula hæc confirmauit; Ieſum eſſe Chriſtum & λόγον, quū diceret, ὁ λόγος, *ille ſermo*, ac non alter: eſſe λόγον, *erat:* æternum eſſe, *erat in principio:* ſubſiſtere perſonaliter & eſſe in Patre, *hic Sermo erat apud Deum:* eſſe Deum ſeu diuinam perſonam, *hic Sermo erat Deus:* perſonam diuinā vnam & eamdem eſſe in ſe ſubſiſtentem æternúmq; exſiſtentem in Patre, *hic erat in principio apud Deum:* eumdem eſſe λόγον καὶ δημιουργὸν ſermonem & opificē ſiue creatorem mundi, *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt:* commune principium eſſe, ſuſtentans & gubernans omnia, in quo viuimus, mouemur, & ſumus, *in ipſo vita erat:* homines verò illuſtrans & gubernans communiter & ſingulariter ſecundùm na-

turam & gratiam suam, *hæc vita erat lux hominum*, &c. incarnatum esse, & Deum verum hominem verum in vnitate personæ, non autem alium Deum aliúmq; hominem, nec alium Iesum aliúmq; Christum, *& hic Sermo factus est caro*, &c. Negabit Samosatenus hoc consilium Ioanni fuisse propositum: scilicet quia aduersatur causæ quam obtendit. Sed de prisca illa historia vtri parti magis credituri sunt boni? Patribus illis, qui partim ijsdem proximísque temporibus vixerunt, partim continua seculorum serie hanc doctrinam a maioribus acceptam posteris per manus tradiderunt, an hominibus nouis? Illorum quidem proprium fuit veram historiam tradere qui aut viderunt ipsi, aut proximè ab his acceperunt: isti possunt, homines noui, cudere, si a tradita (vt faciunt apertè) discesserint. Atque hoc secundum illud est argumentum, quo antè diximus nouam istam æquiuocationem conuelli & confutari oportere: quòd hic perpetuus fuit consensus Ecclesiæ illius orthodoxæ in veritate huius doctrinæ constanter retinenda contra particulares ἑτεροδιδασκαλίας eorum hominum quos insanis spiritus interdum excitauit. Nam ex eo Patrum sanctorum consensu tum occasionem foris ab hæreticis ex parte oblatam, tum pium Ioannis Apostoli & Euangelistæ consilium ac finem, tum inuictam denique huius doctrinæ veritatem per Spiritum Dei cognoscimus. Sed ne forte Samosatenus hoc loco (vt solent isti) criminetur, nos ab auctoritate hominum argumentari, huic testimonio in rebus diuinis habendam non esse fidem (etsi Dei testimonio caruisse illos quis dicat?) videri quid Christus, quid Deus, quid Scriptura dicat, oportere: iam tertium illud affirmamus, ipsius rei natura quæ agitur æquiuocationē istam euerti, quam Samosatenus cupit obtrudere. Hanc autem rei naturam verbis Chrysostomi iam

mi iam antè satis expressimus principio fermè segmenti huius: quæ verba ita plana sunt, vt nihil a nobis ad illustrationem eorū possit accedere. Agitur de persona diuina: res ergo æterna agitur, quæ non supponitur temporali principio (vt ita loquar) sed magis præponitur. Hanc verò æternam personam quorsum diceret Ioannes fuisse in principio prædicationis Euangelicæ? Si negabit diuinam personam esse (vt facit) nos affirmamus, & pòst vbi de hac re agitur, id est, sequente loco demonstrabimus. Summa, verum est illud Logicorum dictum, Talia esse subiecta, qualia permittuntur esse a prædicatis suis commodè intellectis: & vicissim, talia esse prædicata, qualia esse a subiectis permittūtur: quia alterū circumscriptionē quamdā alterius in veris enunciatis cōplectitur. Hîc autē de subiecto diuino, id est, æterno agitur, & quidem de rebus essentialibus eius, quę dicuntur de eo per se: Sic ergo prædicatum accipi, non angustius fieri necesse est. Nunc de natura & conditione loci ipsius videamus. *Principiū, ait ille, tempus est illud Euangelij, quo cœptum est a Christo prædicari:* & locos adfert ad dicti sui confirmationem. Ego verò (vt taceā, quòd tu ipse euertis hanc restrictionē tuā segmento 4. vt in eum locū dicturi sumus) vtrumq; nego ad hunc locum pertinere, determinationē principij, & locos istos qui ad determinationem probandā adducuntur. Probamus hoc modo: *Quod per se indeterminatū est, eius varia est ac multiplex pro ratione locorū determinatio: Ita est autē principiū per se: Ergo variæ determinationis capax.* Tum *quod, variæ est determinationis capax, id ex loco ipso determinatur, nō autē ex alijs locis, nisi forte idē dixerint re aut analogia: Principiū est variæ determinationis capax: Ex loco ipso igitur determinandū, non autē ex alijs qui nec re, nec analogia dicunt idē.* His autē locis (vltimū si exceperis, de quo suo ordine posteà) idē non dici probo tum ex Samosateni ipsius confessione, tum ex ipsis Scripturæ verbis.

Hîc enim agitur de Sermone Dei abſolutè & de illius eſſe: illic de relatione temporaria, ſine qua nulla humana actio apud alios inſtitui fieríque, aut ab alijs obſeruari poteſt. Non igitur neceſſaria eſt hæc determinatio, petita ex alijs locis & differentibus. Non neceſſariam eſſe docui: docebo non eſſe iuſtam. *Eorum quæ per ſe indeterminata ſunt iuſta eſt determinatio quæ ex loco ſumitur: nempe ex ſubiecto prædicato, & adiunctis ipſorum: Non conuenit autem ſubiecto, prædicato, vel adiunctis hæc determinatio: non iuſta igitur.* Subiecto non conuenit: nam hîc agitur de eo Sermone qui eſt ὑφιστάμενος, ſubſiſtens in ſe, exiſtens in Patre, & Deus cum Patre. Nec prædicato conuenit: nam de eo dicitur quòd *erat*, quòd *erat apud Deum*, & quòd *erat Deus in principio*: quæ omnia de Deo enunciata omne principium temporale tranſcendunt. Nec adiunctis conuenit: etenim de eo dicitur, quòd *omnia per ipſum facta ſunt*, quòd *in ipſo vita erat*, *& vita erat lux hominum*, &c. quorum alia ante principium ſunt, nempe quæcunque eſſentialia perſonæ ipſius, alia inde a principio temporis, nempe quæ relationem habent ad res creatas & factas in tempore. Negat Samoſatenus? atqui res ipſa loquitur, verba ſunt euidentiſsima, & pòſt ſuo ordine gloſſemata illius confutabimus: quem in locum, ne longiores ſimus, & ne actum (quod aiunt) agi oporteat, lectorem reijcimus. Quid? quòd etiam inepta eſt hæc interpretatio? nam tibi, Samoſatene, quid eſt illud, *in principio erat ſermo?* nempe erat tempore Euangelij, quo cœptum eſt a Chriſto Euangelium prædicari. Et quis, quæſo, ita loquitur? homo ille erat, quo tempore cœpit Rempub. adminiſtrare, concionari, peregrinari, &c. Id quidem per conuerſionem dici poteſt, quum de rei exiſtentia forte dubitatur: concionabatur, erat igitur: nam ab eſt tertij adiecti (vt loquuntur) ad eſt

ſecundi

secundi adiecti valet consequentia. Sed vt vice versa loquatur quisquam, erat ille quum cœpit concionari, ineptissimum est, puerile est, non solùm Apostolo, sed etiam viro indignum qui modò ratione vti possit. Quemadmodum si dicimus, omnia per Christum facta sunt in principio, erat igitur, iusta conclusio est: sin autem dicamus, erat quum omnia per ipsum fierent, nihil insulsius. Atque id tamen, Samosatene, vt probes, adducis locos aliquot, futilitérque operam consumis in falso illo tuo glossemate ac puerili dicto alienis probationibus & nihil ad rem facientibus confirmando. Vides nec esse necessariam, nec iustam, sed ineptam interpretationem tuam. Restat vt vnum aliquid addam, quod tu ipse facilè animaduerteris. Erat Christus, inquis, quum cœpit prędicare. Agnosco: quid autem? non antè erat? Erat certè, quum cœpit Ioannes prædicare: hic autem prædicauit ante Christum. Neque id solùm, sed erat etiam ex quo cœpit in mundo esse, id est, ex quo conceptus est, natus, &c. Quòd si erat in principio prædicationis suæ, & fuit ante principium illud, quis iam non videt loquutione hac, *erat in principio*, non excludi tempus quod isti principio præcesserit? Itaque non est cur ægrè Samosatenus ferat, si vel ipso annuente ita concludimus; *Qui erat in principio hoc, ante hoc principium erat: Sermo erat in principio: Ergo & ante principium fuit. Est autem principium hoc temporis, & eorum omnium quæ sunt in tempore: fuit ergo hic Sermo ante principium temporis, rerúmque temporalium omnium.* Quæ cùm ita sint, falsam esse interpretationem Samosateni huius, alienam probationem (loci enim qui adducuntur, nihil ad rem) & inanem conclusionem affirmamus: quod omnes boni visuri sunt. Turpiter verò ex loco 1. Ioan. 1. disputator noster παραλογίζεται, quũ ex natura vna Christi & proprietatibus ipsius concludit

ad tollendam naturam alteram cum ſuis proprietatibus. Primùm enim locum interpretatur malè, deinde etiam argumentatur ex eo malé. Dicit Ioannes, *quod erat a principio*, &c. nempe, ait iſte, principio prædicationis. Si ſolùm tunc fuiſſe dicit, negamus, & negari oportere antè oſtendimus nouum iſtud reſtrictionis genus: falſum enim. Si iam antè fuit (vt certè fuit) quando fuiſſe dicendus eſt? Reſpondet Ioannes, *Sermo eſt vita æterna, & vita æterna: Vita æterna erat in principio apud Patrem: Sermo igitur erat in principio apud Patrem.* Negat iſte. cur autem? nam *de Chriſto verbo, viſibili oculis, palpabili manibus, qui ex Maria natus eſt, loquitur:* non igitur de æterno. Conſequens falſum, quia vtrumque de Chriſto verum eſt diuerſa ratione. Propterea enim dicit Ioannes primùm de natura vtraque diſtinctè, tum verò de perſona ex naturis duabus conſtante. De diuina dicit, *quod erat a principio:* de humana, *quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod ſpectauimus, & manus noſtræ contrectarunt:* vtrumque verò ad vnitatem perſonæ eiuſdem pertinere oſtendit ſubdens, *de Sermone illo vitæ:* non enim totum Sermonis auditum eſt, viſum, &c. ſed tantùm de eo aliquid. Ergo ex falſa loci interpretatione Samoſatenus argumentatur falsò, poſita natura vna alteram tolli exiſtimans. Quid ergo? an tibi, Samoſatene, hæc propoſitio placet? *Qui viſibilis & palpabilis eſt, is non eſt inuiſibilis & impalpabilis.* Nos verò ita reſpondemus: ſi ſecundùm idem dixeris, concedimus: ſunt enim membra hæc contradictoria. Sin minùs, quid obſtat quin vt Aethiops niger & albus eſt, ita homo ſit idem viſibilis & palpabilis ſecundùm hoc, & contrà ſecundùm illud? Homo ſecundùm naturam corporis, viſibilis & palpabilis eſt: ſecundùm naturam ſpiritus ſui, minimé: idem ergo viſibilis, & inuiſibilis. Hoc ipſum eodem iure de Chriſto dici-

ſto dicimus: nam quod erat a principio, id eſt inuiſibile: quod aſſumſit in tempore, id auditum, viſum, ſpectatum, & contrectatum eſt. Eadem igitur perſona ſecundùm illud inuiſibilis, ſecundùm hoc viſibilis eſt. Impium verò genus illud argumentationis eſt, ex quo ſententiam ſuam hic Samoſatenus ſe putat confirmare, quum ait, *Ille æternus qui fingitur, a nemine vnquam palpatus ab æterno, vel poſt legitur, neque vnquam auditus.* Nunquam hoc argumento quiſquam vſurus eſt, quin ſupponat principium ἄθεον, ſiue ſciens prudens, ſiue imprudens faciat: nempe qui non eſt palpatus ab æterno, eum non eſſe æternum: & (quod amplius) qui nunquam palpatus eſt, neque auditus, eum ne eſſe quidem. Sine hoc axiomate inconſequens futura eſt tota Samoſateni argumentatio. Hoc autem principium & axioma ridiculum non Epicurus, non Diagoras atheos, non Theodorus Cyrenaicus auſus eſt dicere, quod Samoſatenus imprudens occupauit. Sed hîc in tota hac quæſtione varijs modis errat, & ſupponit opinionum monſtra: 1. Chriſtum non eſſe æternum Deum, &c. quod ſuo loco alibi (ſi Deus volet) demonſtrabimus. 2. non aſſumpſiſſe in tempore humanam carnem in vnitatem perſonæ, vt ſit Immanuel. 3. illum æternum non fuiſſe corporaliter auditum, viſum, ſpectatum, palpatum, &c. quod de natura illa æterna verum, de perſona falſum eſt. Poſterioris editionis eadem planè ratio eſt. MS. Nam principium pro æternitate accipi poſſe negat, & confirmat: damus. Tum principium reſtringit ad ordinem rerum quæ in tempore de Chriſto prædicantur, exemplo Moſis & Marci: nos confutauimus, exempláque diſſimilia eſſe docuimus. Poſtremò miratur Theologos vir acutus a ſua illa regula hîc diſcedere, qua dicunt, *nullum interpretationis genus melius ac ſecurius in-*

ueniri posse, quàm si Scriptura per eamdem scripturam expinatur: id a nobis in hoc loco minimè obseruari. Priorem propositionem agnoscimus, si ab æquiuocatione caueatur. Eamdem enim scripturam non voce solùm oportet esse, verumetiam reipsa & analogia, vt defensionis secundæ segmento 13. ostendimus: nec aliter iustã esse ex loco vno expositionem alterius. Etsi autem loci illi, Mosis inquam & Marci, vocem eamdem habent, tamen nullam reipsa & analogia cum hoc habent conuenientiam, vt de hoc iudicium fieri ex illis possit. Quòd si hæc distinctio nõ obseruabitur, nulla fermè pagina est in scripturis sacris, ex qua absurda plurima grauissimáq; non sint consequutura, facta confusione sensus propter vnius eiusdémq; vocis occupationem. Regula ergo, quam Samosatenus iactat, a nobis facit: qui non miramur verissimam hanc regulam ab ipso minimè seruari; sed monemus vt seruata hac eadem regula deinceps magis discat sapere in rerum sacrarum inuestigatione, & similia similibus nõ secundùm literam solùm, sed magis secundùm veritatem expendat spiritualitérq; diiudicet, spiritualia cum ijs quæ spiritualia sunt coniungendo, vt Apostolus præcipit, non autem corporalia & temporalia (vt hic facit) cum spiritualibus atque æternis confundendo.

1. Cor. 2.

SAMOSATENVS. 3.

Erat verbum.

VERBI *nomine putant denotari aliquem filium æternum, per quem Deus omnia ageret sub veteri Testamento, & loquutus fuerit cum Patribus. Sed hæc commenta hominum refutant multi loci Scripturæ; & præcipuè Actor. 13. capite, quòd omnia quæ erant facta & promissa in vetere Testamento vnus ille Deus Pater præstiterit, & filium etiam eduxerit ex*

semine

ſemine Dauidis: Et Hebr. 1. cap. dicitur Deum olim ſub vetere Teſtamento loquutum per Prophetas, nunc autem nouiſsimis temporibus, id eſt, ſub nouo Teſtamento loquutum per filium: & Actor. 1. Lucas dicit ſe ſcribere quæ cœpit Ieſus docere & facere, nihil vnquam ſcribens de geſtis Chriſti ſub vetere Teſtamento. Nos verò Sermonem ſeu Verbum eſſe dicimus Chriſtum hominem viſibilem ex Maria natum, qui voluntatem paternam homines docuit: vnde etiam, quòd proloquutor eſſet paternorum mandatorum, nomen habet Sermonis vel Verbi. Qui enim hîc Verbum appellatur, alio in loco a Ioanne & aliјs vocatur eodem ſenſu Magiſter, præceptor, doctor, Apoſtolus confeſsionis noſtræ, Pontifex, imago Dei inconſpicui: quæ omnia Chriſtus homo expreſsit tum dictis, tum factis, &c. Sed & omnes loci Scripturæ, quicunque de hoc Verbo loquuntur, non intelligunt aliquem Chriſtum æternum ante Mariam, vel binaturium, ſed hunc de quo loquimur hominem: vt 1. Ioan. 1. Sermonem ſeu Verbum deſcribit viſibile, palpabile, quod & auditum eſt, Chriſtum intelligens hominem. Sic Actor. 13. Sermo ſalutis vocatur, qui ignoratus ab Hieroſolymitanis, condemnatus & occiſus eſt. Sic Apoc. 19. amictus veſte ſanguinolenta, cuius nomen SERMO DEI. *Hi loci omnes hominem Chriſtum Verbum eſſe docent, Sermonem videlicet illum qui docendo loquebatur, non aliquem æternum, qui nihil docuiſſe legitur.*

M S.

Præterea interpretes in expoſitione huius nominis, Verbum, variant: in genere autem concordant, quòd Verbum ſit quidam æternus Dei filius, ſine initio a Patre genitus ante omnia ſecula, coæternus, conſubſtantialis, ac per omnia Patri coæqualis, ſecũda in Trinitate perſona: & huiuſmodi alia quædam comminiſcuntur. Sed hoc fuit merum humanum inuentum. Ex diuinis enim Scripturis hæc nunquam probare pote-

runt: immò tota Scriptura aduersatur. Ioannes ergo Verbi nomine ipsum Dominum Iesum Christum Dei filium intellexit: non tamen respectu alicuius naturæ aut substantiæ, sed tantummodò ratione officij, quo ipse Dei Filius vsus est in manifestando Euangelio Dei Patris sui verbo. Nam nihil omnino Christus, quantum ad sui naturam ac substantiam, nobis profuisset, nisi Euangelij arcanum annunciasset. Et obserua hanc esse ipsius Ioannis peculiarem phrasim: habet enim Ioannes peculiares quasdam phrases, quibus nemo alius scriptorum Ecclesiasticorum vtitur. Nam in tota Scriptura non inuenitur Christum appellatum fuisse Verbum, præterquàm ab ipso Ioanne: nec alia ratione id factum est, quàm quòd ipsius officio ac opera nobis ipsum Euangelij verbum, quòd prius latebat, innotuit. Est enim Metonymia, seu denominatiu: nam ideò (vt dictum est) Christus Verbum dicitur, quia Dei iussu verbum Euangelij nobis primus ex sinu Patris annunciauit. In hanc sententiam Ioannes ipse in sua Apocalypsi cap. 19. hoc Verbi nomine vsus est, quum dixit Verbum esse nomen Christi. Cæterùm quod magnam lucem adfert huic loco est, quòd omnia nomina quæ ipsi Christo posita inueniuntur, non ratione alicuius naturæ aut substantiæ æternæ, sed ratione solùm officij ac effecti fuerunt indita. Nuncupatur enim lux mundi, via, veritas, vita, ostium, pastor bonus, Iesus, Christus, magister, vitis vera, panis viuus, agnus Dei, aduocatus, Sacerdos, iustificatio, sanctificatio, resurrectio, Pontifex, ac infinitis alijs nominibus. Quemadmodum ergo nomina ista quæ recensuimus (nam huiusmodi nominibus ipse Ioannes ferè omnibus metaphoricè vtitur præter aliorum Scriptorum morem) rei aliquid nouæ non adferunt, quam & cæteri Euangelistæ & Apostoli non tradiderint: eadem ratione dicendũ est hoc loco, Verbi nomẽ nihil noui ab alijs scriptoribus adferre: æquè enim istis omnibus nominibus metaphoricè vtitur Ioannes: ita vt vel hinc discere liceat, in rebus ad salutem

pertinen-

pertinentibus non anxiè nobis laborandum esse in inquirendo quid in substantia Christus sit, sed quid ratione multorum beneficiorum ac effectuum nobis attulerit ac profuerit. Summa ergo est hæc: Scripturus Ioannes de Domino Iesu Christo Dei filio, mundíque Redemptore, nec non & de spirituali mundo spiritualiter per eum instaurato, altiùs ab origine, vel ante ipsius Christi manifestationem orditur dicens, In principio erat Verbum, *id est, Christus Dei filius in principio sui Euangelij, antequàm ad suos veniret & manifestaretur,* erat, *id est, versabatur, & id quidem per triginta annos, in mundo apud Iudæos, illísque de nomine & facie notus erat: nam vulgo habebatur ac appellabatur filius Iosephi fabri. Sed quòd ipse Iesus esset Dei filius, annunciaturúsque esset Euangelium Dei, Verbum hoc ipsum omnibus prorsus ignotum erat. Ideò sequitur,* Et verbum erat apud Deum.

ORTHODOXVS.

Hîc pium Lectorem rogo ad duo capita seorsim velit attendere: vnũ, quid prior ille Samosatenus reticeat: alterum, quid dicat. Quid reticeat, iam antè ostendimus: nempe verbum, *erat:* cuius vim certo consilio dissimilat, de qua superiore loco dicebamus ex sanctorum Patrum testimonio. Hoc autẽ suo commodo, vel potiùs incommodo imperitorũ reticet: qua fide, nouit & cognoscet Dominus. Omnino tamen factum absurdũ esse posterior Samosatenus vidit: ac propterea interpretationem adiecit illius verbi quam prior dissimulauerat. Iam quid dicat, videamus. Hoc autem duobus membris concluditur: nam primùm doctrinam nostram adfert oppugnátq;: deinde adfert & confirmat suam. In adferenda doctrina nostra (de vocibus enim curiosè nolo contendere, ad rem aduerto) sic definit Verbum, quà

persona diuina est solùm, vt illud bellè dissimulet quod sanctè credimus profitemúrque, Verbum hoc esse carnem factum, personam vnam ex duabus naturis constitutam. Cur autem dissimulat? quia non credit, neque rationibus eius commodat quòd credimus: at nos tamen credimus, quod a disputante (si modò bona fide velit disputare) minimè dissimulari oportuit. Iniquè igitur. Nam si vtrumq, profitemur in vnitate personæ (profitemur autem) certè vnum ponendo alterum minimè tollimus: atque hinc tamen profluere, hîc hærere, huc spectare singula ipsius argumenta omnes visuri sunt, qui æquo animo & sine præiudicato ad rem aduerterint. Atque hæc causa est, cur omissa parte de qua inter nos conuenit, Deum his vltimis temporibus nobiscum per Filiū loquutum esse, eam solùm oppugnat quam nos de Christo ante aduentum ipsius in carne affirmamus, Deum in Testamento vetere omnia per hunc Sermonem egisse & loquutum esse cum Patribus. Hoc enim si vicerit, alterum illud eádem se putat obtinere, si tum non fecit aut dixit quicquam, ergo non fuisse tunc: ac proinde multo minùs veram affirmationem nostram de æternitate eius haberi oportere. Doctrinam nostram de Verbo, Filio æterno Dei, per quem olim Pater egit omnia, tribus oppugnat locis. Ex primo, qui est Actor. 13. duas argumentationes colligit. Prior, in hunc modum: *Quod Deus Pater fecit in Testamento vetere, non fecit Filius: Deus Pater promisit & præstitit omnia in Testamento vetere: non ergo Filius.* Maior omnino falsa est, & contradictoria sanctissimis illis certissimisque Christi propositionibus, *Pater*
Ioan. 5. *meus vsque adhuc operatur, & ego operor:* item, *quæcunque Pater facit, hæc etiam Filius pariter facit.* Priore omnis temporum, posteriore omnis operationum in res creatas diuisio tollitur. Grauiter itaque erratur in hac argumentatione,

mentatione, quum de operatione per omnia & in omne tempus communi diuisio statuitur. Est enim communis operatio, vna eademq; est Patris & Filij. Non est autem Samosatenus nescius, a communi ad particulare argumenta quæuis negantia, affirmantia verò vniuersalia solùm rectè confici. Itaque si dixeris, *Filius nihil promisit, nec præstitit in Testamento vetere*, optimè consequetur, *nec Pater igitur*. E contrario autem si dixeris, *Pater promisit olim & præstitit omnia*, consequetur iusta consequentia, *ergo & Filius*: nam Pater & Filius operantur vsque adhuc, & quæcunque facit Pater, ea Filius pariter facit. Posterior argumentatio sic habet: *Qui ex semine alicuius est, non antè fuit quàm educeretur ex semine: Filiũ eduxit Pater ex semine Dauidis: ergo non antè fuit.* In hac Samosatenus itidem παραλογίζεται. Nam primùm Maior propositio physica seu naturalis est, de simplice & naturali homine vera naturaliter: hoc autem quid ad supernaturale & diuinum opus? quum itaque de Christo agitur, non aliter vera est hæc propositio, quàm si adieceris, quà ex semine alterius est, non antè fuisse quàm educeretur ex semine. Deinde Minor insidiosa est, latente æquiuocatione: Filium enim Samosatenus intelligit appellari Christum respectu naturæ humanæ, quam solam habeat, & habere a Patre. Falsum, vt antè diximus: & falsò ex naturæ vnius positione statuens remotionem alterius, eam sibi videtur tollere: nam vt parte vna essentiali rei cuiuscunque posita, altera non tollitur, sed contrà necessariò ponitur ad constituendum totum: sic natura vna essentiali Christi posita, altera non tollitur, sed contrà, ex quo illa est, ponitur eadem necessariò ad constitutionem personæ. Postremò etiam errat, quum naturæ vnius propria attribuit alteri, eáque de toto personæ prædicari iubet. *Filius non antè est*, inquit, *quàm pro-*

ducatur a Patre: Filium eduxit Pater ex semine Dauidis, nempe secundùm naturam humanam quam eduxit: *Ergo non antè fuit:* certè secundùm eam naturam qua ex semine Dauidis est. Nobis verò pari iure licebit argumentari, & verè: *Filium Pater antè, immo æternùm genuit: ergo antè, immo æternùm est*, nempe quà persona diuina est, Sermo æternus æterni Patris. Probationes posteà videbimus. Ex secundo loco, qui est Hebr. 1. sic argumentatur: *Deus olim per Prophetas loquutus est, his verò vltimis temporibus & nunc per Filium: Non ergo Filius olim loquutus est, ac ne fuit quidem.* Negatur vterque conclusionis locus. Prior locus, non esse olim loquutum Filiũ, euidenter fallit ex elenchi ignoratione, quia non secundùm idem & eodem modo Filius in Testamento vetere & nouo loquutus est. Nam olim quidem loquutus est vt Sermo Dei, at non in carne assumta personaliter: pòst autem loquutus est vt Sermo factus caro, & in carne (in qua Filius Dei venerat) patefactus: quod ipse Apostolus interpretatur principio cap. 2. eiusdem epistolæ. Olim loquutus est, quà Sermo Deus solùm: vltimis verò temporibus loquutus est, quà Deus & homo, in vnitate personæ ex assumente persona & assumta natura constitutę. At nos e diuerso ita statuimus, *Deus Pater olim & temporibus vltimis loquutus est, ergo & Filius:* nam communis est (vt paulo antè diximus) operatio Patris & Filij, atque hic pariter facit quæcunque facit Pater. Posterioris conclusionis, Filium ne fuisse quidem, falsitas reuincitur maiore apposita. Ea est huiusmodi, *homo qui non loquitur, non est.* Alia dari non potest iusta argumentationum lege. At primùm quid magis falsum? quid absurdius adferri potest? nam si homo est, est igitur, quamuis nihil dicat: prædicatum est contrarium subiecto. Deinde mutus homo est, & non loquitur: nam mutus est. Ta-

cens non loquitur, etsi homo est: sed tacet. Postremò hoc dicitur de homine qui tantùm homo, homo ψιλὸς, vel de homine simplice: Nos autem hunc Sermonem Dei non simplicem nudúmque hominem, sed Immanuelem agnoscimus, id est, Deum & hominem: quid hîc simile? Proinde ita religiosè credimus & docemus: Sermo, quà Sermo Dei est, a principio loquutus est cum Patre: quà homo factus est, his vltimis demum temporibus secundùm humanam illam naturam, quam assumsit, loquutus est. Malè itaque ex naturæ vnius modo concluditur de personæ totius conditione: quod vitiosum esse & ἀσυλλόγιστον antè docuimus. Ex tertio loco (est autem ille Actor. 1.) sic argumentatur: *Lucas dicit se scribere quæ cœpit Iesus docere & facere, & nihil vnquam scribit de gestis Christi sub Testamento vetere: nec igitur fuit Christus sub Testamento vetere, nec gessit quicquam.* Atqui fallacia est in hac comparatione duplex. Primùm enim res secundùm humanitatem assumtam, & in eadem a Christi persona doceri & geri cœptas respexit Lucas, vt historia Euangelica ipsius demonstratur: hîc verò Samosatenus de persona in se ἀσυλλογίστως accipit: sic a dicto secundùm quid (vt vocant) concludit simpliciter. Deinde res diuersas diuerso tempore gestas conturbat elenchi ignoratione, & a non distributo ad distributum concludit vitiosè: aliæ enim res sub Testamento vetere gestæ sunt, & aliæ sub nouo. De rebus autem sub hoc, id est, huius tempore, non sub illo gestis Lucas loquutus est. Postremò id planè alienum est (vt Scholasticè loquar) quòd ab auctoritate negatiuè συλλογίζεται: hoc non dicit Lucas, non ergo fuit Sermo, neque hoc a Sermone gestum. Quis sanus sic argumentetur? fieri enim potest, vt id fuerit, factúmve sit quod nemo dicat aut scribat: fieri etiam potest, vt dicat ille quod hic non

dixerit, prout ab Euangelistis videmus factum. Hic ergo gladius plumbeus. At dicit Lucas, *de omnibus qua cœpit Iesus facere & docere: nihil ergo excipitur.* Verum est: propterea quum Lucas non dicat *de omnibus* simpliciter, sed circumscriptionem adhibeat dicens, *quæ cœpit Iesus facere & docere*, vniuersalem istam ex determinatione intelligimus, ne fallaciam diuisionis (quò te Samosatene, non vides ruere) committamus. Sic enim ostendit Lucas aliud esse, si quis de omnibus Christi operibus sermonibúsq; scribere velit vniuersè; aliud verò, si de ijs operibus quæ certo modo, id est, in assumta carne, certóque tempore, nimirum Euangelij post assumtam carnem facere & docere cœpit in persona sua, & continuauit facere & docere in persona Apostolorum seruorúmque suorum, ex quo sursum in cœlum receptus est. Nam principiũ Euangelicæ veritatis Christo tribuitur, quod principium Euangelio suo Lucas descripserat: continuatio prædicationis illius, Apostolis consequente ordine tributa est, cuius continuationis historiam Lucas secundo libro pertexuit, qui Acta Apostolorum inscribitur. Hæc ergo argumentationum genera qui sciens prudens obijcit, sciens prudens fallit: qui imprudens, fallitur: sed neutrum a nobis scientibus videntibúsque probari bona fide potest. In adferenda & confirmanda doctrina sua quid Samosatenus agat, videamus. Primùm adfert Sermonis huius, de quo Ioannes agit, interpretationem & definitionem quamdam: esse Christum *hominem visibilem, ex Maria natum*, &c. quæ nos omnia non solùm damus, sed etiam religiosè ex verbo Dei affirmamus. At definitio hæc imperfecta est, si ad mentem Samosateni respexeris: quæ alia mente ab homine orthodoxo & pio enunciata non æquè iniusta aut imperfecta haberetur. Pius enim hæc legens & dicens, Christum intelliget verè

Deum

Deum verè hominem in vnitate perſonæ: hic verò *Christum hominem* dicens, hominem ſolùm intelligit. Deinde illud etiam pius optima fide annuet, *eò quod proloquutor eſt paternorum mandatorum, nomen habere Sermonis vel Verbi:* ſed hic intelligit ea ſolùm de cauſa Sermonem appellari, &c. id eſt, Sermonem eſſe non eſſentialem natura genitum a Patre, ſed accidentarium, & ita ſolùm ab officio dictum: quod nos freti veritate negamus, & auctoritate Scripturæ. Atque eadem quoque eſt probationum ratio, quæ pòſt adferuntur: hæ ex appellationibus Chriſti, illæ ex prædicationib. de Chriſto enunciatis ſumtæ. In ijs enim ab eo quod dicitur de vna natura eius, vel potiùs de perſona eius ſecundùm naturam vnam, id eſt, humanam quam aſſumſit, argumentatur & concludit de toto perſonæ, contra omneis iuſtas, vt antè diximus, argumentandi leges. Falſa itaque concluſio eſt totius Sermonis huius, in qua poſitionē naturæ vnius eſſe ſtatuitur remotionem alterius. Vt enim poſitio materiæ non eſt remotio formæ, & poſitio partis vnius de toto aliquo eſſentialis non eſt remotio alterius: ſic etiam in Chriſto poſita natura vna alteram non ſequitur tolli, cùm vtraque coëat in conſtituenda perſona Chriſti Domini & Seruatoris noſtri. Chriſtus enim Deus & homo, ac non homo ſolùm ab Eccleſia creditur colitúrque. Etſi (vt in tranſcurſu moneam) de appellationibus Chriſti quæ hîc congeſtæ habentur, vnam oportet excipi, quòd Chriſtus *imago Dei inconſpicui* appellatur. Nam cæteræ appellationes quidem reſpiciunt ad nos, & ad nos ſimplicem relationem habent. Magiſter enim, præceptor, doctor, & Apoſtolus confeſſionis noſtræ eo dicitur, quòd inſtituat nos: Pontifex vel Sacerdos, quòd reconciliet nos: omnia ex operatione dicta. Sed quum imago Dei inconſpicui dicitur, duplex reſpectus eſt, vnus perſonæ,

alter operationis. Personæ respectus est, quà Christus imago essentialis est Patris, perfecta, & Patrem perfectè exprimens, persona personam, vt Defensionis 2. segmento 6. docuimus. Operationis verò respectus est ex proprietate personæ profluens, quòd Christus imago essentialis Patris nos informat de veritate, & nos renouans in spiritu mentis nostræ facit vt omnes retecta facie gloriam Domini, vt in speculo, intuentes transformemur in eamdem imaginem ex gloria in gloriam. Atque hæc duo sic conueniunt in persona Christi, vt alterum altero minimè destruatur, quia illud est principium huius, hoc verò nihil est aliud quàm actus ex illo principio indesinenter profluens: quemadmodum dispensatio operationum in nos cum proprietate personarum inter se, œconomia externa cum interna suum commensum & conuenientiam habet quodammodo. Sed (vt eò redeamus vnde digressi sumus) quia non satis animaduertere fortè imperitiores possunt, quò illa verba pertineant, *eo quòd proloquutor est paternorum mandatorum, nomen habere Sermonis vel Verbi:* id apertè opus est explicari, vt singuli videant veram quidem hanc rationem esse ex Scripturis sacris, sed neque solam esse, neque sufficientem ad tanti mysterij explicationem. Igitur Sermo quum dicitur, aut absolutè, aut relatè dicitur. Nam duos habet terminos, vt loquuntur vulgo, terminum a quo, & terminum ad quem: quorum prior terminus recentioribus Logicis fundamentum, posterior verò terminus simpliciter appellatur. Itaque Sermo ratione quidem duplex, sed reipsa vnus est. Absolutè dicitur, quum sermonis essentialis (nam de essentiali hîc agitur, non autem de enunciato, qui accidentarius est) id est, λόγυ in mente, velut in suo principio, positi ad suum fundamentum habetur ratio. Relatè autem dicitur, quum termini vtriusque

2. Cor. 3.

usque ratio reipsa conuenit atque obseruatur. Hoc in rebus corporeis λόγον habentibus est euidentissimum: in spiritualibus analogicè obseruandum. Nam exempli causa, Angeli & formæ intelligentiæq; cœlestes tum in sese λόγον suum vel sermonem habent, quem manat & gignit intelligentia, & est de esse (vt loquuntur) ipsius, tum suum sermonem alij alijs exponunt προφορικῶς: etsi non hoc corporali, sed spirituali & intellectuali modo. Hoc posito, iam quid Samosatenus dicat, animaduertant pij. Est quidem sermo Dei Christus, sed respectu solùm (vt ille vult) posterioris termini. Habent quidem homines, habent Angeli suum λόγον absolutè, eúmque essentialem intelligentiæ suæ: habent & λόγον relatè. Sed Deus relatè solùm habet, Christus sermo Dei relatè solùm est. Deus bone, quid audio? tantámne insaniam animos hominum occupare, vt Sermonem absolutum illum ac essentialem sibi inesse, non Deo statuant! Hoc ego quidem non dico, inquiet Samosatenus. Immo verò, mi homo, hoc ipsum. Nam si Christus eo solùm est Sermo Dei, quòd paternorum mandatorum (vt tu loqueris) proloquutor est, relatè solùm est Sermo, & Deus relatè solùm Sermonem habet. Quòd si dixeris, Deo nihilominùs suum sermonem absolutum esse & internum λόγον, vide & attende quàm multa concurrant absurda, eáque grauissima: ergo re aliud est sermo absolutus & internus, aliud Christus: ergo Deo sermones reipsa duo sunt: ergo Deus non est simplicissimus: Et sermo ille absolutus, quem dicis non esse Christum, is ipse est qui erat in principio, qui erat apud Deum, qui erat Deus (nam quicquid est in Deo Deus est, aut Deus (quod absit) non erit simplicissimus) qui erat in principio apud Deum, per quem omnia facta sunt, &c. Si non, ergo Deus sine sermone absoluto fuerit, feceritq; omnia:

ergo res creatæ eo præſtabunt creatori ſuo, quòd ſermonem abſolutè habent quem ſermonem non habet Deus. Innumera denique abſurda ſunt ex tuo illo dogmate cōſequentia, quæ colligi in hunc locum poſſunt, & quæ tu, Samoſatene, reſipiſcentia fugies, ſi te recolligas. Vide autem quàm id certò breuitérque poſſis perficere: *Qui Sermo erat in principio, erat apud Deum, erat Deus, is Sermo Dei abſolutus & eſſentialis eſt: Chriſtus ſermo ille eſt qui erat in principio, erat apud Deum, & erat Deus: Chriſtus ergo Sermo Dei abſolutus & eſſentialis eſt.* Sic partem quam dicis, agnoſcimus: quam negas, oſtendimus.

MS. Etſi autem poſterius ſcriptum reipſa cum priore conuenit, quia tamen nouum pigmentum ſuperiori adiectum eſt, & axiomata quædam a veritate diſcrepantia, de ijs quoque dicendum paucis. Obijcit primùm *interpretes in expoſitione huius nominis, Verbum, variare:* idque vt incertam eſſe doctrinam noſtram redarguat. Poſſem quidem multò maiorē varietatem Samoſateno obijcere, & velut contra dictoriam eius doctrinā apertè reuincere: ſed optimus erit ad eam rem ſegmento ſequente locus. Varij ſunt, at non contradictorij; diuerſi, at non aduerſi hoc loco interpretes. Cur autem? quia Chriſtus vario reſpectu Sermo Dei ac multiplice appellatur: ſic, huic reſpectus vnus, illi alter ſeſe obtulit, ex quo Sermonem interpretaretur. Eorum præcipui duo, quos antè expoſuimus, ab vtroque Sermonis termino, vt Nazianzenus optimè obſeruauit: accedunt aliquot ſecundarij, tamquā riui ex capitibus iſtis duobus dimanantes, nimirum ex termino a quo, vt vocant, & termino ad quem. Sed hi omnes reſpectus reipſa conueniunt, *in genere concordant,* vt hic ipſe loquitur. Hoc igitur obeſſe non poteſt cauſæ noſtræ, ſed magis admirabilitatem multiformis illius ſapientiæ Dei oſtendere. Deſcriptionem Verbi accipimus

cipimus: ſed commentum negamus eſſe. Eſſe commentum Samoſatenus affirmat duobus argumentis: probari non poſſe ex Scripturis: Scripturam aduerſari. Prius falſum: nam vt de hoc loco & ſequentibus taceam, *quod Eſaias de Iehoua magnificè prædicauit, id Ioannes de Chriſto affirmat dictum: Chriſtus ergo Iehoua eſt, æternus Deus, eſſentialis Deus.* Alia ſuo tempore adferemus: hoc in præſentia ſatis. Poſterius ſimiliter falſum: nam quod Scriptura affirmat, id non aduerſatur Scripturæ: alioqui Scriptura ipſa pugnaret ſecum: hoc autem Scriptura affirmat: quomodo Scripturæ aduerſetur? Chriſtum non reſpectu perſonæ in ſe (hoc enim malo, quàm quod Samoſatenus pronunciat) *ſed tantummodo ratione officij* Verbum appellari, falſum: atque hoc perſpicuè paulo antè nos demonſtrauiſſe cõfidimus. Ridiculè verò hoc ſuum paradoxum confirmat, dicens, *nihil omnino Chriſtum, quantum ad ſui naturam ac ſubſtantiam, nobis fuiſſe profuturum, niſi Euangelij arcanum annunciaſſet.* Nam primùm profuiſſet, vt prodeſt omnibus communiter, ſed non profuiſſet nobis ſalutariter. Secundò hic quidem vnus modus eſt, ſed non ſolus, quo prodeſt nobis. Poſtremò ſi hoc modo prodeſt quantum ad naturam & ſubſtantiam ſuam (vt Samoſateni vtamur verbis) prodeſt igitur. Non eſt autem hic ſolus modus: non igitur ſolo hoc modo prodeſt nobis in perſona ſua. Quid? quòd diuinitus prodeſt? ſalute? gloria? quas res Deus ſolus ſibi vindicat, nec ſe alteri cuiquam daturum affirmat per Prophetas conſtantiſſimé. His ſubijciuntur axiomata, & determinationes pro auctoritate a Samoſateno factæ: quas eſſem neglecturus, niſi me imperitiorum ratio commoueret. Primum axioma: *hanc eſſe Ioannis peculiarem phraſin: nam in tota Scriptura Chriſtum non appellari Verbum, præterquàm ab ipſo Ioanne.* Modeſtiam

Eſaiæ 6.
Ioan. 12.

tuam, Samosatene, desidero. Testes apud Romanos olim solenni formula modestiæ suæ indice non dicebant affirmatè pro testimonio, sed verbo *Arbitror* vtebantur, vt narrat Tullius. Quid, si hîc diceres, non obseruaui, non memini, si bene obseruaui, aut aliquid simile? Ferrem faciliùs dictum, & laudarem modestiam tuam in errore tuo. Nam qui sic affirmatè dicit, negat se ampliùs doceri velle: quod in homine nato est insolens. Sed, vt ad rem, credo ego te non obseruauisse: iniquè tamen concludis, mi homo: *non obseruaui, non est igitur*, & hanc conclusionem tuam sic nobis offers, vt olim Sibyllæ folium. Ego verò contrà, hanc Ioannis peculiarem phrasin esse nego: & alios in Scripturis affirmo vti. Non dicam Christum Angelum Iehouæ, Angelum federis appellari analogica appellatione & idem significante: sed verbum vel Sermo Iehouæ disertè appellatur in Scriptura, his verbis: *reuelauit se Iehoua Samueli Silunte in sermone Iehouæ*: item, *propter Sermonem tuum, & secundùm animum tuum præstas has omneis res maximas* (nam Sermonem hîc de persona dici, non autem de transeunte verbo ostendit eiusdem laudationis antigraphum 1. Chron. 17.) item, *Spiritus Iehouæ loquutus est in me, & Sermo eius per linguam meam*: item, *sum vobiscum, dictum Iehoua exercituum, Cum Verbo, quo pepigeram vobiscum exeuntibus vobis ex Aegypto, & Spiritu meo stante in medio vestri.* Hæc non obseruauerat Samosatenus: sunt tamen a Scriptura, & in Scriptura sunt, quibus vanitas huius axiomatis facilè ostenditur. Hoc autem verbum non solùm respectu officij, verumetiam ortus a Patre, vt Filius Patris æterni æternus est, appellari antè satis confirmauimus. De Metonymia & denominatione Samosatenus viderit: Ego neque hîc Metonymiam aut denominationem vllam video: neque ab optimæ notæ

auctoribus,

In orat. pro Fonteio.

1. Sam. 3.

2. Sam. 7.

2. Sam. 23

Aggæi 2.

auctoribus, etiam Grammaticis, Metonymiam denominationem audio appellari: nam denominatio *παρωνυμία* est. Secundum axioma, quod luculentum vocat, huiusmodi est: *omnia nomina Christo imposita, non ratione alicuius naturæ aut substantiæ, sed ratione solùm officij ac effecti fuisse indita.* Negamus hoc axioma vniuersale esse, & ei rectè apponi vniuersale signum. Nam Christus appellatur *Filius hominis* respectu naturæ, non officij aut effecti vllius: atque eodem iure *Filius Dei vel Filius Patris* appellatur respectu naturæ æternæ illius quam habet a persona Patris in vnitate essentiæ: eodem *vnigenitus.* Sic etiam Iehouam ab Esaia dici antè ostendimus, quod essentiæ est nomen, ac non officij: vt & *κυρίε* nomen, quà Iehouæ interpretamentum est, Græcè accipi Defensionis 2. segmento 13. docuimus. Falsum igitur axioma, nec semper verum, quod Samosatenus audacter affirmauit. Exempla quæ adfert agnoscimus. Sed in ijs tamen variè fallitur. Horum enim primùm quædam attributa sunt, quæ causam cum effectis, principium cum operationibus continent & connotant (vt loquuntur) complexione quadam necessaria. Nam lux vera est secundùm veritatem naturæ essentia sua: lux mundi est communicatione gratiæ: & eodem modo veritas. Et certè cùm vnica sit veritas, & vera lux vnica, non potest Filius quin sit idem cum Patre, aut duplex veritas & lux vera (quod absit) futura est, primaria Patris, & secundaria Filij. Et ita appellatur Sermo, respectu naturæ & operationum ipsius. Secundò etiã in eo fallitur, quòd istis omnibus nominibus metaphoricè Ioannem vti dicit: sunt enim alia propria, vt veritas, Iesus, Christus, Magister, & similia: alia analogica, vt lux (nam lux etiam spiritualis est) Sacerdos, Pontifex: alia denique metaphorica, vt a Samosateno appellantur.

Postremò, cùm non sit adæquata planè istorum nominum ratio, quod hic supponit pro vero & indubitato, sequitur non valere axioma illud consectarium, eamdem omnium istorum nominum rationem esse. Quòd si hanc demus eamdem esse, tamen hac Verbi appellatione & interpretatione *nihil noui adferimus, quod non cæteri Euangelistæ & Apostoli tradiderint*, qui Christum filium Dei, vnigenitum, Dominum (id est, Iehouam) appellarunt, & in quorum numero Apostolus ad Hebræos dicit
Heb. 4. *Sermonem Dei viuum & efficacem esse, diiudicantem cogitationes & conceptiones cordis: nec vllam rem creatam esse quæ non manifesta sit in conspectu ipsius, sed omnia esse nuda & patentia oculis ipsius*: quæ verba de Sermone subsistente necessarium est accipi. Tertium axioma ex præcedentibus (quæ falsa esse ostendimus) infert Samosatenus: nempe *non anxiè nobis laborandum esse quærendo quid Christus in substantia sit, sed quid ratione multorum beneficiorum ac effectuum nobis attulerit profuerítque.* Axioma impiū simul & impudens. Nam primùm quod Scriptura exponit nobis, impium fuerit de eo cognoscendo nō anxiè laborare: hoc autem, quid Christus in substantia sit, Scriptura diligentissimè exponit nobis. Prætereà quàm nauiter impudentem eum oportet esse, qui in se respiciat alienis ornatum beneficijs, in auctorem verò beneficiorum minimè, vt eum cognoscat & agnoscat ex officio
Esai. 1. suo? Nouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: hic de Deo suo, sancto Israëlis cognoscendo minimè laboraturus est. Postremò si vllum est argumentum, quo ad resipiscentiam, fidem, charitatem accendamur, illud est inprimis habendum, quòd Christus filius Dei propter nos homines inaniuit sese, & prout Deus est natura, sic gratia edidit operationes diuinas humano generi salutareis. De hoc fundamento qui non anxiè

anxiè laborari docent oportere, ij ſalutis veritatem, neglecta ſalutis cauſa, de mentibus hominum vt decutiant anxiè videntur laborare. Nam cùm actiones ſequantur eorum conditionem qui agunt, & perfectæ operationes non niſi a perfectis auctoribus præſtari poſſint, vtrumque certum eſt, ignorato auctore nunquam bene cognoſci qualitatem operationum, & contrà non bene expenſis operationibus non bene agnoſci cauſam efficientem illarum. Quod malum in Samoſateno & grege ipſius animaduertimus, qui ſalutem noſtram diuinum opus confitetur verbis; ſed reipſa diuinum opus non agnoſcit, quum de effectore non vult ita anxiè laborari, vt eum diuinum & reuera Deum agentem cognoſcamus. Reſtat iam poſtremus locus de ſumma horum verborum, *in principio erat verbum*, interpretatione, quam prior Samoſatenus certo conſilio in hunc locum diſſimulauerat. Sed quia hæc ipſa ſumma ijſdem propè verbis in loco ſequente, & eadem planè ſententia exponitur, hoc totum quicquid eſt eodem ſumus reiecturi.

SAMOSATENVS. 4.

Et Verbum erat apud Deum. Hoc erat in principio apud Deum.

QVI *Chriſtum æternum tuentur, his verbis abutuntur, vt ſtatuant Chriſtum fuiſſe realiter in cœlo ante mundum conditum, cùm nulla Scriptura hoc doceat. Pij verò facilè vident 1. Petri 1. ad præordinationem hoc referri, tum ad promiſſionem, & figuras, & vmbras, ſacrificia & oblationes, in quibus prænunciatus & præfiguratus fuit Chriſtus.*[1] *Sic ſe ante Abrahamum fuiſſe dicit ille homo Chriſtus, Ioan. 8. non enim alius ibi loquitur. Ab initio enim mundi, ante Abrahamum erat promiſſus, cognitus, & exſpectatus. Erant typi varij eius &*

ſacrificia, quibus præfigurabatur Chriſtus, ſine quibus nunquam pij adoraturi Deum in cœtus coibant. Quare etiam Abraham diem Chriſti futuri, non ipſum Chriſtum præſentem, videre cupiuit; quem in promiſsione tunc & figuris videbat, eius natiuitatem, mortem, & reſurrectionem, & quæ nomine noſtro facturus erat exſpectans. [2] *Sic Patres eumdem Chriſtum habebant in cibum ſub typis: eumdem enim cibum habuerunt quem nos, teſte Paulo 1. Cor. 10. Petra enim erat Chriſtus, qui ſequebatur eos pòſt venturus: non vt nos, quos iam præceſsit. Sic & baptiſmum nobiſcum communem habebant, vt probat inibi Paulus.* [3] *Certè Chriſti caro, qui eſt cibus omnium electorum (non aliqua eius æterna deitas) tunc non fuit reipſa: nondum enim erat Maria, ex qua natus eſt.* [4] *Ad eumdem quoque modum reſpectans Ioannes in Apocalypſi cap. 13. dixit Agnum fuiſſe occiſum ab origine mundi in typis & ſacrificijs, & vmbris: in pijs quoque, vt in Abele occiſo: quemadmodum & nunc occiditur & perſequutionem patitur infidelibus ſuis membris (quod etiam ipſe Chriſtus contra Paulum perſequentem Eccleſiam teſtatur) quamquam hîc præſens nobiſcum non verſetur carne, vt tangi poſsit: & crucifigitur ab Antichriſto, Apocal. 11. & ab impijs,* [5] *qui eum conculcant & crucifigunt denuò, Hebr. 6. Sed & ipſe Paulus optimus interpres horum docet Hebr. 11. quomodo illi promiſſa adepti ſunt, eminus omnia conſpicati.* [6] *Qui quoque doctiorum Neotericorum ſententias quærunt ea de re, videant (etiamſi in hac re aduerſarios noſtros) Caluinum, Bucerum in hos locos, Marloratum quoque, qui omnium ferè huius ſeculi ſententias collegit, & Caſtalionem in nouo eius Teſtamento.* [7] *Fuiſſe ergo Verbum apud Deum docet: ſed addit,* in principio, *id eſt, ſui miniſterij & officij tempore, vt audiſti. In illo enim principio Chriſtus cœpit eſſe nobis Verbum, & magiſter, & Propheta, prædicans mandata paterna. In hoc ergo principio erat apud Patrem, nondum notus hominibus, ſed ſoli Patri.*

Non

Non enim ab hominibus agnoſcebatur eſſe Meßias, qui tam vilis, ex Nazareth, ex Ioſepho, fabri filius reputabatur, pro Dei filio & Meßia non habebatur, cui omnes primores contradicebant: & in cauſa mortis hic titulus, quaſi ab illo falsò vſurpatus, Chriſto obijcitur. Non fuit notus Ioanni: quia etſi venerat ad manifeſtandum eum Iſraëli, dicit tamen, Et ego non noueram eum. Non nouerant eum & Iſraëlitæ, vt Ioannes teſtatur, in medio veſtrum ſtat quem vos neſcitis. Immo & Apoſtolis ignotus erat, quem nec moriturum, nec etiam reſurrecturum credebant, ſine quo Chriſtus agnoſci non poterat verè: immo non tantùm Chriſtum, ſed & eius officium, facta, & verba non agnoſcebant, neque intelligebant, vt multi loci Euangelij docent, Ioan. 13. & 20. Eodem ſpectat & illud, quando fratres ſuadent Chriſto, vt ſe manifeſtet mundo. Sed & ipſe Chriſtus nolebat ſciri ante tempus, quum vetaret non tantùm dæmonijs, quæ eijciebat, de ſe prædicare, ſed & illis quos ſanabat, Marc. 9. Matth. 8. Transfigurationem quoque, qua ſe præcipuè ante mortem eſſe Dei filium vnigenitum demonſtrauit, ſilentio præterire ad reſurrectionem vſque iußit. Nam plenaria eius patefactio, quæ erat apud Deum, pertinebat ad reſurrectionem, vbi abſorpta cruce, morte, & exinanitione, filium eſſe ſuum potenter per ſpiritum ſanctificationis per reſurrectionem declarauit Pater, vt Paulus docet Roman. 1. Nemo enim ita ex morte ſeruatus eſt, vt reſurgeret viueretque perpetuò, quemadmodum Chriſtus, Roman. 6. nemo accepit poteſtatem in cælo & in terra, vt Chriſtus de ſe teſtatur poſt reſurrectionem, Matth. 28. nemo etiam ſedit ad dexteram Dei præter hunc, Marc. 16. hæc autem omnia poſt reſurrectionem facta. Quare etiam illud teſtimonium Dauidis Pſalm. 2. ego hodie genui te, non æternæ generationi, ſed Chriſto rediuiuo conſentienter aptat Paulus, quia ibi iam exemtus omni cruce, filius Dei eſſet plenariè declaratus, Act. 13. vt & Rom. 1. hoc ipſum & Ioannes dicit cap. 7. ſpiritum quoq;

non fuisse tunc datum antequàm Christus glorificaretur, id est, priusquàm Filius esse Dei plenè demonstraretur. Actorum quoque cap. 10 hoc ipsum comprobat dicens, hunc Deus suscitauit tertio die, effecitque vt manifestus fieret toti populo, sed testibus priùs designatis qui comederunt & biberunt vnà cum eo posteà. Quare etiam quadraginta diebus manens apud suos [10] *manifestauit se eis verè: posteà verò perfectiùs, quum Spiritum sanctum doctorem misit, Actor. 1. & 2.* [11] *Certum ergo est, Christum in principio fuisse apud Deum, non fuisse cognitum plenè ab initio non tantùm a plebe, sed etiam ab Apostolis. Sed & Ioannes apertis verbis hoc comprobat primæ primo, quum scribit vitæ illum Sermonem, quem viderunt, audiuerunt, contrectarunt (ne quis alium fingat æternum, inuisibilem, impalpabilem) fuisse apud Patrem, id est, in principio non notum hominibus: ideóque statim addit per antithesin, sed posteà hæc vita patefacta est, vt iam audisti ex multis locis. Non dissimilis quoque phrasis est Matth. 13. Nónne omnes sorores eius sunt apud nos? Eadem Græca vox, πρὸς ἡμᾶς, nobis notæ. Sic quum Christus rogaretur a Caiapha de doctrina, Matth 26. & Marc 14. respondit, vt de ea quæ illis nota esse debuit, semper docui apud vos in templo, Ioan 18. Sic Galat 2. non cessi ad momentum, vt veritas Euangelij permaneret apud vos, id est, vt vobis integra & nota esset. Sed & communis loquendi modus hoc indicat, quum quæ nescimus & certa esse putamus, respondemus Apud Deum illa esse abscondita, Deū illa scire, nos latere quæ apud Deum sunt: vt contrà scimus quæ ille vult esse apud nos. Sic apud se habere, sibi tantùm nota esse dicimus, apud se loqui: vt de Pharisæo, Luc. 18. Apud Deum sunt omnia quæ futura sunt, necdum sunt etiam: vt iudicium futurum, Antichristi abolitio, & Babylonis ruina: nihil enim illi vel occultum, vel non præsens, vt nobis hominibus. Quòd si verò Ioannes voluisset intelligere, Christum in principio fuisse apud Deum in cælo, tunc quoque quum scriberet*

beret

beret hoc Ioannes, post ascensionem Christi, erat in cœlo Christus. Dixisset ergo & fuisse, & nunc esse apud Deum in cœlo Christum, non tantùm in principio. Mentiretur enim fuisse illum in principio, quum & tunc longè post principium illud esset in eodem cœlo, quum scriberet hoc Ioannes. [12] Sed animaduerte eiusmodi phrases in Scripturis idem sonare, fuit apud Deum, est in Patre, est ex Deo, est in sinu Patris, est in cœlo, a Deo processit, a Deo venit, a Patre exiuit, descendit de cœlo, pro a Deo edoctus & sanctificatus.

M S.

Et Verbum erat apud Deum.

ID est, Iesus Christus Dei filius, vti verbum, antequàm veniret ad suos Iudæos, ac manifestaretur, tantummodò soli Deo notus erat, hominibus autem prorsus ignotus. In hanc sententiam Ioannes Baptista dicebat, ego baptizo vos aqua: in medio vestrum stat quem vos nescitis: ipse, &c. Immo ipsemet Ioannes hac ratione ipsum ignorabat: proinde dicebat, Et ego nesciebam eum, sed vt manifestaretur in Israël, propterea ego veni aqua baptizans, &c. Et ideò etiam veluti digito ipsum demonstrabat dicens, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et notum est hanc dictionem, apud, in hanc significationem vsurpari. Nam in hancmet sententiam ipse Ioannes epistola 1. cap. 1. ita scribit, & annunciamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem & manifestata est nobis, &c. Et obserua locum illum Ioannis plurimum facere ad intelligentiam primæ partis huius capitis. Sed & cæteri Apostoli, & præcipuè Paulus verbum hoc fuisse apud Deum absconditũ, & postmodùm hominibus reuelatum clarissimè demonstrant. Ad hæc Ephes. 3. ita legitur, Et in lucem proferam omnibus quæ sit communio mysterij quod erat in Deo absconditum a seculis: & in eadem epistola cap. 1. habetur Deum nobis patefecisse arcanum voluntatis suæ iuxta beneplacitum suum, quod

proposuerat in semetipso, vsque ad dispositionem plenitudinis temporum, vt omnia per Christum restauraret. Et 2. Tim. 1. *dicit gratiam Euangelij nobis fuisse datam ante tempora aeterna, sed palàm factam esse per apparitionem Domini nostri Iesu Christi, qui & mortem aboleuit, & in lucem produxit vitam & incorruptibilitatem per Euangelium.* Et ad Titum cap. 1. *Deum ante tempora secularia promisisse, sed patefecisse temporibus suis verbum per praedicationem, &c.* Petrus quoq; epistolae 1. cap. 1 *dicit praeordinatum quidem fuisse Christum ante conditum mundum, sed manifestatum fuisse hodiernis temporibus propter nos, & caetera.*

ORTHODOXVS.

NVNC se demum Samosatenus ampliùs aperit, qui verbi *erat* interpretationem superiore membro dissimulauerat. Huius autem verbi perspecta significatione, tota haec quaestio facilem exitum, spero, habitura est. Quapropter ordinem hunc seruari video a nobis oportere, vt primùm dicamus de antecedentis membri, quam Samosatenus voluit, interpretatione: secundò de interpretatione eiusdem verbi in hoc vtroque, quod praefixit, membro: tertiò denique de veritate interpretationum eius. In antecedente membro vel propositione Euangelistae, aut idem significatum verbi *erat* Samosatenus seruari voluit, aut sensit alterum. De significato altero sensisse vix est credibile, aut id fide mala hoc loco dissimulauerit: quamuis rationibus illius forte futura fuisset commodior altera interpretatio ad oppugnandam (vt facit) veritatem. Concludemus itaque, breuitatis caussa, illic Samosatenum a priore membro ad hunc locum interpretationem huius verbi *erat* (quod est membrorum

rum omnium commune) reiecisse : proinde eodem modo illic quoque accipi oportere. Atque hac in sententia verbis M S. omnino confirmamur. De veritate autem illius interpretationis posteà communiter in horum locorum declaratione videbimus. Quas igitur verbi *erat* interpretationes adferat, cognoscamus. Si verbi illius *erat* vnicam interpretationem Samosatenus prior attulisset (cuius periculo posterior magis didicit sapere, & meliùs cauere sibi) ratio nobis foret expeditior ad mentem ipsius assequendam & peruestigandam rei veritatem. Sed ita se hîc inuoluit varijs interpretationibus, vt ego quidem mirari satis non possim hominem fuisse ausum hæc sua volucria & instabilia cogitata in hunc modum conscripta luci & typis publicè committere. Etenim primo in loco hæc ipsa sunt illius verba: *Pij facilè vident 1. Petri 1. ad præordinationem hoc referri, tum ad promißionem, & figuras, & vmbras, sacrificia & oblationes, in quibus prænunciatus & præfiguratus erat Christus.* Secundò autem his verbis vtitur: *fuisse ergo Verbum apud Deum docet, sed addit, in principio, id est, sui ministerij & officij tempore, vt audisti. In illo enim principio Christus esse cœpit nobis Verbum, & Magister, & Propheta, prædicans mandata paterna. In hoc ergo principio erat apud Patrem, nondum notus hominibus, sed soli Patri: non enim ab hominibus agnoscebatur esse Meßias,* &c. Postremò autem corollarium in fine adhibet, vt putauit ipse, δογματικώτατον: vt ego sentio, & verè sentio, παραδοξότατον, quum dicit, *Animaduerte eiusmodi phraseis in Scripturis idem sonare: fuit apud Deum, est in Patre, est ex Deo, est in sinu Patris, est in cælo, a Deo processit, a Deo venit, a Patre exiuit, descendit de cælo: pro a Deo edoctus & sanctificatus.* Hæc ipsa verba, quibus

Samosatenus vtitur: quorum ex primo loco duæ exsurgunt interpretationes verbi istius *erat:* vna, erat præordinatus, aut (si cui magis placet) erat præordinatione: altera verò, promissus erat, prænunciatus, & præfiguratus. Ex secundo, consimiliter duæ: nam prima Ioannis propositio, in principio erat Verbum, hoc modo exponitur, esse cœpit nobis verbum, & Magister, & Propheta, prædicans mandata paterna: secunda verò illa, & Verbum erat apud Deum, hoc significare dicitur, in hoc principio erat apud Patrem, nondum notus hominibus, sed soli Patri. Ex tertio, vna: erat apud Deum, pro eo quod est, edoctus est & sanctificatus est a Deo, nempe vt docendi apud præceptorem discipuli locari solent. Quid Samosatenum, obsecro, impulit, vt exundante ingenij sui flumine tam multos atque multiplices interpretationum riuos profunderet, omnésque eodem in loco affirmaret? Atqui omnes simul constare non possunt, vtcunque se hic interpres huc illuc conetur vertere: pugnant enim reipsa inter se, ac non solùm interpretationis modo. Si enim de præordinatione sunt ista, quæ penes Deum est & ab æterno est, non sunt de prænunciatione & promissione apud homines figurata, quæ penes homines est, & inde a creatione est solùm. Si de hac dicuntur, vicissim certè de præordinatione apud Deum non possunt accipi: hæc enim rationem habent inter se toto cœlo (vt aiunt) dissidentem, cùm toti enunciato & singulis membris fermè eius diuersam tribuant significationem. Quòd si de eo accipiantur, quòd Christus nobis Verbum esse cœpit, quid iam huic loco cum præordinatione, aut cum promissione ac præfiguratione illa? Aliter planè hîc *principium*, quàm illic accipitur, aliter verbum *erat*. Si de eo quòd innotuit, postquàm nobis Verbum esse cœpit, vt hic quidem argutè sibi videtur loqui,

omnia

omnia ruunt antecedentia. Si denique de eo quòd edoctus a Patre & sanctificatus dicitur apud ipsum, valeant interpretationes reliquæ: nam si hoc dixit Ioannes (vnum autem aliquid eum dixisse necesse est) certè reliqua illa hoc quidem in loco non dixerit. Miseret me profectò Samosateni huius; qui aut Ioannem ita putauit desipere, vt vno verbo in eodem loco tam multa diuersa pugnantiáque dixerit, aut pios sibi res vsqueadeò diuersas atque differentes eumdem in locum affirmanti præsumsit credituros. Atque huius mali posteriorem Samosatenum ita puduit, vt ab ista varietate insulsa discesserit: sed hanc reduuiam non est medicatus anulus ipsius, vtcunq; pretiosum esse putauerit. Nunc expendamus istarum interpretationum dissidentium inter se veritatem, vt tertio loco recepimus. Harum igitur interpretationum nulli cum mente sancti Apostoli & Euangelistæ Ioannis hoc in loco dicimus conuenire. Id quidem non negamus, Christum ab æterno fuisse præordinatum; a seculo promissum, prænunciatum, & præfiguratum: quum cœpit nobis prædicare in carne, tum fuisse nobis Verbum vel Sermonem Patris, & Magistrum, & Prophetam singulari modo præterquàm antè fuerit: Patri fuisse antè notum quàm hominibus; a Deo Patre omnia accepisse, edoctum & sanctificatum esse, & si qua sunt eiusmodi. Sed ea omnia, & singula huius loci negamus esse. Hanc autem negationem nostram cùm Samosatenus ipse inconstantia sua probat & instabili incertóque interpretationum modo, tum verò ipsius rei natura quæ agitur, & consilium Ioannis Euangelistæ, & verba ipsius, & alij denique loci confirmant luculentissimè, in quibus orthodoxa planè sententia & interpretatio nostra statuitur. Samosateni huius instabilitatem in exponendo hoc loco incertissimam modò demonstrauimus.

Nam quod vno in loco exstruit, id eodem (ne longiùs ab. eamus) destruit imprudens altera interpretatione. Quapropter nihil opus est ampliùs, vt in destruendis & labefactandis interpretationibus illius operã consumamus, cùm ille nobis suam tam strenuè commodet, suóque iumento malum accersat sibi. Omnino incertam hominis istius mentem esse oportuit, quæ incertas expositiones tam multas fluctuans attulerit. Atque hac ratione plurimùm homines contentiosi, noui Hyperboli, aut ostentabundi Thrasones abutuntur, quibus facilè non ausis obloqui: sed veritatis percipiendæ & tradendæ amantes abstinent diligentissimé. Rei naturam, quæ agitur, omnibus istis interpretationibus hoc quidem in loco aduersari demonstramus in hunc modum. Agitur de supposito vno, seu persona Christi, vt ipse agnoscit disputator noster: & ordine agitur ab Euangelista. Quale hoc sit suppositum, ex Chrysostomo antè audiuimus, & quid prædicationes flagitent quæ fiunt de hoc supposito. Negabit Samosatenus. Nobis verò, vt alias probationes omneis taceamus, solus ordo satis futurus est ad reuincenda commenta ipsius. Nam orsus ab æternitate Apostolus ad principium temporis venit, a principio ad progressum, a progressu ad complementum: eum denique ordinem in hac narratione de Christo obseruauit, quem nemo religiosus non est summè admiraturus; nemo nisi religionis expers, ex quo viderit, neglecturus. Orditur ab æternitate & ijs quæ de natura sunt huius Sermonis diuini in se, his verbis, *In principio erat Sermo ille, & Sermo erat apud Deum, & Sermo erat Deus: Hic erat in principio apud Deum.* Ad principium temporis venit, quum se foris explicauisse dicit in creatione & operationibus erga res creatas, illis, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est.* Ab hoc principio ad progressum

greſſum tranſiens, commodiſſimè diſtribuit illius tempora, & exponit prouidentiam eius inde a creatione potentiſſimè ſuſtentantem & gubernantem omnia, inprimis autem homines communi & particulari virtute ſecundùm naturæ legem ab ipſo poſitam, tum ante peccatum, dicens, *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum*; tum verò poſt triſtem hominis lapſum, etiam perſtantem in ſua illa communi & ſingulari ſuſtentatione & gubernatione hominum, quamuis indigniſſimorum: primùm quidem ordinariè naturæ & gratiæ teſtimonijs, *Et lux iſta in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*: deinde verò extraordinariè, & modo ſingulari gratiæ, tum præmiſſo ſigno anteambulonis ſeu præcurſoris ſui, dicens, *Fuit quidam miſſus a Deo, cui nomen Ioannes*, & cætera, quæ διακελτικῶς per modum hyperbati ab Euangeliſta Ioanne adiecta ſunt: tum priore aduentu gratioſo ipſius in carne, *Et Sermo ille caro factus eſt*, &c. poſt quem aduentum commoratus eſt inter ſuos, eiſque ſe contemplandum & recognoſcendum gradatim & ſucceſſiuè (vt loquuntur) præbuit plenus gratiæ & veritatis. Nam ex eo demum aduentu miniſterium illud conſequutum eſt, de quo Samoſatenus ait Chriſtum *nobis factum eſſe Verbum, & Magiſtrum, & Prophetam, proloquendo verba paterna*. Iam verò cum hoc diuino ordine & planè incomparabili, ſi placet, comparetur iſtius ordo imaginarius. Quàm verè dixeris, ὔρεα πολλὰ μεταξύ! Sanè quamcunque expendamus ex eius interpretationibus, confuſa, præpoſtera, peruerſa omnia. Ac propterea vir, ſi quiſquam, δωδεκαμήχανος hæc ad præordinationem, illa ad promiſſa & figuras & typos, alia ad communicationem & exhibitionem præſentem, nonnulla ad notitiam, quædam ad inſtitutionem & ſanctificationem perſonæ rapit: & vno denique loco nomen *principij* ſine fine variat, ver-

búmq; illud vnicum *erat* tam diſtorquet miſerè, vt nulla vnquam certa apud homines futura ſit mentis aut loci interpretatio, ſi hæc admittantur atque obtineant. Sed vt tam multis omiſſis, vnam aliquam, eámque omnium quas hic adfert ſpecioſiſſimam producamus: age, fingamus hæc dixiſſe Ioannem (a quibus tamen δὶς διὰ πασῶν pius animus ſemper abhorrebit) prout Samoſateno ſemel, ac non ſemper video placuiſſe, & Manuſcripto confirmari: In principio miniſterij Euangelici erat quidem Verbum vel Sermo ille ſeipſum patefaciens & voluntatem Patris: ſed erat apud Deum ſoli Patri notus, & idem erat Deus præordinatione & inſtitutione a Deo Patre facta, per gratioſam communicationem illius. Hic, inquam, Sermo erat in principio illius miniſterij apud Patrem, id eſt, ſoli Patri notus, hominibus autem minimè. Omnia per ipſum facta, id eſt, inſtaurata ſunt ſpiritali inſtauratione: & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt ad hanc inſtaurationem pertinens, & quæ ſequuntur. Tandem verò his omnibus poſitis, quum venitur ad illum locum, Et Sermo ille factus eſt caro, quis homo non videt ineptiſſimum ordinem (ne quid dicam grauius) huic Euangeliſtæ & Euangelio ipſius affictum eſſe? Pura puta certè eſt ſynchyſis in ſacra hac narratione, ſi obtinebit iſtorum hominum interpretatio. Atque hæc vniuersè de ordine huius narrationis ſatis. De conſilio autem Ioannis quid dicturi ſumus? nempe idipſum quod antè ſegmento 2. ſtatuimus: nam alterum altero funditus euertitur. Aut ergo illud conſilium Ioannis euerſa huius Samoſateni ſententia ſtare neceſſe, aut e contrario hac conſiſtente ruere: adeò ſunt inter ſe contradicentia. Sed de hac re confido eo in loco ſatis a nobis fuiſſe dictũ pro inſtituto noſtro. Quamobrem de verbis videamus. *Principij* igitur & *Verbi* ſeu *Sermonis* voces quid propriè

hoc

hoc loco deſignent, ſuprà oſtendimus ſegmento 2. & 3. & quàm turpiter in *principio* exponendo hic nouator offendat, paulo antè euicimus. Iam nobis excutienda reſtat hoc quidem in loco primum verbi *erat*, deinde loqutionis huius vtriusque, *in principio erat Sermo*, & *hic erat in principio apud Deum*, interpretatio, & iuſta ſignificatio. Verbi *erat* ſignificationem aut propriam eſſe, aut figuratam neceſſe eſt: Si propria, aut eſſe καθηγορουμένην, quam ſecundi adiecti vocant, aut προσκατηγορουμένην ſiue (vt alijs placet) συγκατηγορηματικὴν, quæ tertij adiecti appellatur. Verbum autem *eſt* vel *erat* κατηγορούμενον, aut prædicatur de ſubſtantia quæ eſt reipſa & exſiſtit per ſe, aut de accidente, quod ratione ineſt in alio, non autem exſiſtit per ſe. Ens enim de ſubſtantia & de accidente dicitur ἀναλόγως. Hîc de ſubſtantia agi inter nos conuenit. Itaque omiſſo accidente, de eſſentiali modo τοῦ εἶναι videndum eſt. Hoc genus eſſendi (vt ita loquamur) vel exſiſtendi eſt triplex in rebus creatis omnibus: vnũ, quod commune; alterum, quod ſpeciale, tertium denique quod indiuiduale vocant. Secundùm primum genus, ſubſtantiæ ab accidentibus diſparantur, & ſimpliciter dicuntur eſſe: ſecundùm alterum, ſpecies diſparantur ſubſtantiarum inter ſe, & dicuntur ſubſtare: ſecundùm tertium denique, primæ ſubſtantiæ vel indiuidua ſubſiſtentia diſtingui ſolent, & dicuntur ſubſiſtere: hæc autem indiuidua ſubſiſtentíæque, ſi ratione præditæ ſunt, perſonæ appellantur. Iam de primo illo genere ſeu modo eſſendi ſolùm hîc non agi, inter nos quoque (vt puto) conuenit. De ſecundo agi, Samoſatenum ipſum vix dicturum puto: cùm hîc quæſtio ſit non de ſpecie vlla, aut etiam de indiuiduo ſecundùm rationem ſpeciei ſolùm, ſed de indiuiduo vno certo ſecundùm rationem (vt ita dicam) indiuidualem ipſius, ſecundùm quam hoc vnum ſuppo-

situm erat in principio, & apud Deum, & Deus, &c. Quæ cùm ita sint, verbum *erat* hoc loco aut est κατηγορούμενον tertio modo, aut προσκατηγορούμενον, aut denique figuratum. Esse autem προσκατηγορούμενον, & simplicem prædicationis copulam, simpliciter nego: & multis argumentis Ioannes docet manifestissimé. Nam *si erat in principio, si erat apud Deum, si erat Deus, si erat in principio apud Deum, erat igitur:* ac proinde hoc Verbum *erat* perinde significat ac si Ioannes dixisset, hic Sermo erat non solùm primo modo (hic enim analogicè communis est omnium entium, puta essentiarum & accidentium) non solùm item secundo modo, siue communi, siue speciali (horum enim prior omnium substantiarum communis est, posterior speciei cuiusque proprius) sed erat tertio modo, id est, erat vnum suppositum, & subsistebat indiuidualiter. Atque hoc probatur eo, quòd Deus est Ens vniuocè (vt loquuntur) non communi cum entibus lege, non genus, non species, sed essentia ὑπερούσιος, ens entium, & principium principiorum omnium. In principio autem & ante principium nihil erat quàm Deus essentia ὑπερούσιος, nihil quod non esset Deus. Nam aliquid aliud præter Deum ante principium omnium statuere, id non piorum prudentiúmque placitum, sed furentium Manichæorum est delirium. *Erat autem in principio Sermo, & apud Deum, & Deus: erat igitur,* id est, subsistebat persona Sermonis in principio apud Deũ Deus, apud Patrem Filius. Hæc a se videns Samosatenus commodè eludi non posse, subterfugit noua ratione & inaudita quadam, affirmans ea secundùm quid & figuratè dici, quæ tam simpliciter propriéque ab Euangelista fuerunt dicta quàm quod maximé. *Principium*, ait ille, secundùm quid dicitur: & verbum *erat*, figuratè, quamuis non eo sublata subsistentia Verbi. Erat enim Sermo

aut præcognitione & præordinatione apud Deum, aut promiſſione, aut exhibitione, aut declaratione & manifeſtatione publica, aut denique inſtitutione & ſanctificatione a Patre. Itaque *principium* ſecundùm præcognitionem ad æternitatem ſpectat, ſecundùm promiſſionẽ ad primordia humani generis, ſecundùm exhibitionem ad primordia humanæ naturæ Chriſti, ſecundùm declarationem manifeſtationémque ad primordia miniſterij illius, ſecundùm inſtitutionem denique & ſanctificationem a Patre, ad tempus Baptiſmi, quo Chriſtus diuinitus inauguratus eſt, quum ſuper eum Spiritus ſanctus deſcendiſſet, teſtante e cœlo Patre. Ergo hoc primum nobis, Samoſatene, affirmas non eſſe propriam & ſimplicem huius loci interpretationem: deinde verò & illud oſtendis, te in multiplice varietate iſtarum interpretationum pendêre animi, quam earum tenere debeas. Sic incertus doces, & rem tibi incertam doces: ecquis propriè iſto docendi modo reddatur certior? Ego verò contrà & nominis *principium* ſimplicem, & verbi *erat* proprijſſimam adfirmo eſſe hoc in loco ſignificationem, & loquutionem quamque propriè accipi oportere. De nomine principij, relatiuum eſſe ad res principiatas (vt ita vocemus) antè vicimus ſegmento 2. Verbum *erat* accipi quàm proprijſſimè demonſtrabimus tribus argumentis. Vnum hoc eſto: *Omnium vocum in ſermone noſtro naturalis potiùs quàm ficta, propria quàm figurata ſeruanda eſt ſignificatio, niſi aut rei fortè, id eſt, ſubiecti, aut loci natura poſtulauerit, id eſt, prædicationis & adiunctorum eius. Et verbi, erat, igitur naturalis propriáq; tenenda ſignificatio.* Quòd ſi forte Samoſatenus dixerit, aliud rei naturam poſtulare, id ego conſentiente veritate, & boni omnes qui res diuinas aliquo pacto ſapiunt, negaturi ſumus. Taceo quod antè ſatis docuimus, id rei naturã omnino

flagitare, vt propria seruetur huius verbi significatio. Quid? quòd noster hic Samosatenus titubans, ex tot figuratis suis interpretationibus quam eligat nescit, & altera subruit alteram præ inscientia? Proprium igitur hoc verbum, & de Sermone Dei exponendum proprié. Sed & loquutiones ipsas propriè accipi iubent tum rei natura, tum loquutionum modus, tum denique alij consimiles loci. Ex rei natura quæ agitur has loquutiones proprias esse vincimus, quia res diuina agitur, ac non accidentaria. Deo enim quid accidat? aut quî accidat Deus? Nam *quicquid Deus in Scripturis* ὑπαρκτικῶς, non autem τροπικῶς aut συγχωρητικῶς *esse dicitur, aut Deo inesse prædicatur, id ex communi omnium consensu essentiale est. Hîc autem agitur de eo Sermone qui erat in principio, & apud Deum, & Deus: essentialis igitur prædicatio.* Nec refert quod Samosatenus potest regerere, hoc ab Ioanne non dici simpliciter, sed ita dici, erat in principio, erat apud Deum, erat Deus, &c. Nam si erat in principio (vt antè diximus) si erat apud Deum, erátque Deus, erat igitur: & quidem erat non accidentali, sed essentiali ratione, quia erat in principio, erat apud Deum, & erat Deus: nam quod erat in principio, apud Deum, Deus, id accidens esse non potest, aut Deo insunt accidentia. Est autem simplicissimus: expers igitur accidentium, ab æterno, in æternum. De modo verò loquutionum quid dicturi sumus? Certè hæ loquutiones aut propriæ dicendæ sunt, aut figuratæ schemate vel tropo: Non autem figuratæ, nec schemate, nec tropo: Propriæ igitur. Quòd si figuratas Samosatenus dixerit schemate, quo tandem? obsecro. Non pleonasmo: quid enim pressius, ac minus redundans. Non ellipsi: quid enim plenius? Non denique enallage: quid enim rectius? Atqui ad hos tres fontes capitáque pertinent omnes figurarum riui. Sin tropo figuratas

ritas dixerit, quisnam ille ſit audiamus. Non enim redundant hæ loquutiones per ſynecdochen: non deficiuntur per metonymiam, aut metalepſin vllam: non mutationem tropicam induunt μεταφορικῶς. ſed omnia de Deo & ſecundùm Deum propriè ſimpliciterque enunciantur. Propriè autem? immo proprijſſimé: quid enim magis proprium, quàm quod dicitur vniuocé? Quid autem magis vniuocè, quàm quum vox vniuoca per ſe, de Deo propriè eſt enunciata? Sic autem hoc loco ſe habet hæc vox, ſic loquutio tota. Nam λόγος vniuocè appellatur Sermo, id eſt, perſona illa Filij vnigeniti, quem Pater de ſe in ſe gignit: æquiuocè autem in nobis dicitur eſſentialis facultas illa quam mens de ſe in ſe generat συναϊδίως. Tum verbum *erat* vniuocè de eo prædicatur, qui reuera Deus eſt. Cùm enim ſit Deus non τροπικῶς aut συγχωρητικῶς, ſed ὑπάρχων, (vt loquitur Paulus) ſiue ὑπαρκτικῶς, omnino eum in ſe & per ſe eſſe entem (vt ita dicamus) ſubſtantem, & ſubſiſtentem neceſſe eſt, & ita de eo dici vniuocè: cætera autem æquiuocè entia, ſubſtantia, & ſubſiſtentia ab eo communi vel vniuerſali principio appellari. Sic ergo erat in principio Sermo, & apud Deum, & Deus propriè, magis inquam propriè quàm vnquam dici de re vlla poſſit: immo hoc propriè, cætera æquiuocé. Locos autem conſimiles ad huius rei demonſtrationem adferri quid attinet? Nam hic ipſe locus eſt euidentiſſimus. Tum pleni ſunt Scripturæ ſacroſanctæ libri, plenæ illorum paginæ exemplis vocum, & teſtimonijs ad hanc rem pertinentibus. Certè quum Apoſtolus inquit, *Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſecula,* eumdem modum oſtendit ad Chriſtum pertinere τοῦ εἶναι, τῆς οὐσίας, καὶ τῆς ὑποστάσεως, eumdem, inquam, affirmat modum de eſſentia & ſubſtantia & ſubſiſtentia

Philip. 2.

Hebr. 13.

Christi, æternáque (vt ita dicam) identitate earum. quid enim magis idem est, quàm quod simplicissimum? quid magis simplex, quàm Deus? Et suam hanc affirmationem Apostolus ex eo cōstare voluit euidentissimè, quod vnico verbo ad tria membra distincta, quamuis ἐστὶν suppresso, vtitur: nam vbi verbum deficit, substantiuum ex naturæ lege & Hebræorum constante vsu oportet in-
1.Ioan.5. telligi. Eadem quoque ratione dicebat Ioannes, *hic est verus Deus & vita æterna*, postquam de pijs fidelibusque affirmasset dicens, *sumus in verace illo, in Filio Dei Iesu Christo:* nempe quia in illo sumus participatione gratiæ, qui in sese est veritas & vita æterna diuinæ suæ naturæ im-
Ioan. 11. mutabili veritate. Sic idem sese prædicat *esse resurrectio-*
Ioan. 14. *nem & vitam, esse viam veritatem & vitam, esse lucē mundi*,
Ioan. 8. &c. nam qui ita est, eum esse omnino necesse est, & quidem esse ὄντως, οὐσιωδῶς, καὶ ὑποστατικῶς, essentia, substantia, & subsistentia, prout distinguunt Scholastici. Sed hæc in præsentia satis: quæ alibi (si Deus volet) copiosiùs persequemur. Statuimus igitur nullo pacto hîc figuratam esse verborum Ioannis significationem ex communi iure. Nunc age, de particularibus istis interpretationibus singillatim quoque videamus. Prima. *In principio*, inquit Samosatenus, *prædicationis suæ erat Verbum vel Sermo Patris, id est, Christus Iesus præordinatione.* Vide acumen hominis. Præordinationem, Samosatene, si opponis rei existentiæ, vt certè fieri necesse est, falsum est quod dicis. Nam in principio prædicationis suæ, qua Christus ipse in carne prædicauit Euangelium, iam fuit Christus re & existentia, ac non præordinatione solùm. Si coniungis, quorsum ista tua interpretatio? & quorsum hæc Euangelista dixerit? In principio prædicationis erat, & erat præordinatus. Bellè sanè, vt antè segmento 2. arguimus. Dices fortasse, hanc interpretationem ad secundum

cundum membrum, *hic Sermo erat apud Deum*, non autem ad primum pertinere. Ergo te hoc non reticuisse oportuit: nam quis possit? quis velit diuinare? Sed esto, de secundo dixeris. An verò hunc Sermonem fuisse apud Deum præordinatione statues in principio prædicationis suæ? nam propterea præcauit Apostolus, quum iteratò diceret, *hic erat in principio apud Deum*. Quòd si fuit præordinatione, non igitur re fuit & existentia. Atqui reipsa exstitit, vt antè dicebamus, quum prædicare cœpit: nam quid operetur qui non est? Si re exstitit, non ergo præordinatione solùm. Sin vtroque, amabo te, quid attinuit præordinationis solius meminisse? & principium illud ab vtro sumes? nam præordinationis non est principium, cùm in Deo æterna sit: existentiæ verò humanitatis, & prædicationi principium temporale est. Quinetiam, vt amplius dicamus, si secundùm hanc præordinationem fuisse dicitu[r] quà fuit, eadem quoque ratione fecisse & fuisse alijs, quà se communicauit cum illis, dicendus est. Nempe omnia per hunc facta fuerint, præordinatione: in ipso vita fuerit omnium, præordinatione: lux fuerit hominum, præordinatione: & in tenebris præordinatione luxerit: ad suos præordinatione venerit: & credentibus, quotquot acceperunt ipsum, dignitatem illam contulerit præordinatione, vt filij Dei fierent: omnia denique ad versum vsque illum, *& Sermo ille caro factus est*, præordinatione fuerit, fecerit, præstiterit, non autem reipsa compleuerit horum quicquam.

Secunda. Quòd si ad secundam interpretationẽ Samosatenus venerit, fuisse illum promisso, prænunciatione, præfiguratione (horum enim ratio communis est) nihil inde assequuturus est. Nam ea ipsa, quæ modò ad præordinationem diximus, ad hunc locum ex æquo pertinent, cùm omnia sint in ideis, vt loquuntur, posita: Si

promiſſo, prænunciatione, præfiguratione fuit, non ergo fuiſſe exiſtentia: ſi exſtitit re, non ergo promiſſo, &c. ſi vtroque, ergo ſuperuacaneam hanc feſtiuam diſtinctionem eſſe: tum eodem modo ſequentia omnia ad verſum vſque 14. reſtringi oportere, niſi ineptam & putidam ὑςερολογίαν in verbis Euangeliſtæ placet ſtatuere. Hoc autem Samoſateno quî placeat? nam interpretatur diuerſo modo. Nec illud igitur placere ipſi oportuit. Tertiæ & quartæ interpretationis modum coniungit Samoſatenus, quum ait, *in principio ſui miniſterij & officij Chriſtus eſſe cœpit nobis Verbum, & Magiſter, & Propheta, prædicans mandata paterna: & in hoc principio erat apud Patrem, nondum notus hominibus, ſed ſoli Patri.* Hæc fermè Samoſateni verba, quæ anteà iam ſatis falſi reuicimus. Nam gloſſema eſt ſuppoſititium, quum additur iſtud, *nobis:* nec probari poteſt. Etenim Chriſtus (vt verbis Samoſateni vtar) cœpit nobis eſſe Verbum, quum per Baptiſmũ eum initiauit Pater. ac priùs quidem Ioanni Baptiſtę non innotuerat: ſed tum eodem momento, in illo, inquam, principio diuinitus illi innotuit Chriſtus, & alijs poſtridie per illum, contra quàm hic auſus eſt affirmare. Tum
Ioan. 1. enim dicebat Ioannes, *ego non noueram eum: ſed qui miſit me vt baptizarem aqua, ille mihi dixerat, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem ac manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat Spiritu ſancto. Ego igitur vidi, & teſtor hunc eſſe Filium illũ Dei.*699 Prætereà hîc adtexitur interpretatio iuſto verborum ordini, quem antè demonſtrauimus, aduerſaria. Primùm enim agitur de Sermone, vt in ipſo eſt: tum de operationibus ipſius, quæ inde a creatione ad tempus illud vſque quo venit in carnem, exſtiterunt: poſtremò autem de aduentu in carnem. At noſter hic antagoniſtes veritatis præire vult ante hæc omnia locum de notitia Sermonis illius, poſtquàm in carnem aduentauit.
Quid

Quid autem eſt capiti ocream (quod aiunt) tibiæque galeam aptare, niſi hoc eſt? Deinde neſcio quis vnquam iſtum docuerit hunc interpretationis modum, *erat*, id eſt, cœpit eſſe: hoc nulla ratione, exemplo, auctoritate iuſta defendi poteſt. Adde, quòd ſi cœpit eſſe verbum adminiſtratione ſua quod antè non fuit, iniquum eſt ſecundum membrum & huic oppoſitum (vt quidem Samoſateno placet) ad cognitionem rapi, & idem verbum variè accipi in ijs membris quæ inter ſe comparantur. Dicitur autem reſpectu noſtri fuiſſe, id eſt, cœpiſſe prædicare: Dei verò reſpectu, fuiſſe, id eſt, Deo Patri ſoli fuiſſe cognitum. Quid? quòd antè Sermo fuit Deo cognitus, quàm obiret adminiſtrationem ſuam? quàm veniret in carne? addo etiam, quàm omnia per ipſum facta eſſent? quæ omnia ſuo ordine deinceps a Ioanne affirmantur: etſi a Samoſateno ſtudio quidem maximo, ſed fruſtrà detorquentur alió. Quinta interpretatio eiuſdem modi eſt planè, & rationibus ijſdem refellitur: quas, ne longiores ſimus, æquo Lectori & pietatis amanti ex antecedentib. reuocandas in hunc locum permittimus. Enimuerò ſi Deus erat idem qui erat apud Deum, quomodo edoctus & ſanctificatus eſt a Patre, quà erat Deus? Hæc attributa Chriſti ſunt quà homo, non quà Deus: hîc autem a Ioanne agitur de Chriſto quà Deus, non quà homo. Nam quà erat in principio, & apud Deum, & Deus, & operatus eſt vt Deus, hoc Ioannes exponit verſibus 13. pòſt ad humanitatem aſſumtam tranſit, in verſu 14. Hæc qui non vident quum docentur, eos voluntaria cæcitas in luce præpedit, non humana infirmitas. Tu verò, ô lux mundi, tenebras iſtas diſcute, eoſque dirige in luce qui tui ſunt propter nomen & veritatem tuam. Atque hæc generatim de horum verborum interpretatione. Nunc videndum eſt, quia multa quoque in hunc locum a veri-

tate aliena varijs modis infarcta sunt, vt ea breuiter & suo ordine destringamus. 1. Falsò & vitiosè hic locus de Abrahamo adducitur. Non enim hæc Christus simpliciter dicit de prænunciatione & præfiguratione aduentus & carnis suæ, quem diem vidit Abraham & lætatus est, vt antè pronunciauerat, sed de persona dicit, quæ persona erat in principio, & apud Deum, & Deus, quamuis suo tempore patefacienda in carne: non, inquam, de modo reuelationis & cognitionis ipsius, sed de esse (vt ita loquamur) personali suo. Probatur hypothesi. Nam postquam Christus Iudæis dixerat, *Abraham Pater vester gestiuit vt videret diem hunc meum, & vidit, atque gauisus est,* Iudæi regesserunt Christo, *quinquaginta annos nondum habes, & Abrahamum vidisti?* sic argumentantes, fieri non potest vt homo necdum quinquagenarius sit visus Abrahamo, aut Abrahamum ipse viderit: tu autem necdum es quinquagenarius: itaque de persona Christi, tamquam homine solùm iudicabant. His respondet Christus, se non λιτὸν hominem & factum in tempore haberi oportere, sed longè superiorem humana conditione, quę ante oculos erat, agnoscendum: nam etsi persona ipsius, quà homo, necdum est quinquagenaria, personam tamen æternam esse, quæ iam substiterit ante Abrahami tempus: personam ipsius diuinam esse atque æternam hypostasin, sed ἐνυπόστατον humanitatem eius. Atque hoc ipsum, quod Samosatenus negat, Iudæi intelligentes ex Christi verbis, eò insaniæ atque furoris eruperunt, vt lapides humo sustulerint in eum coniecturi. Quòd si forte aduersarius iste obiecerit, Christum de die illo suo, quo Sermo factus est caro & conuersatus est inter nos, loquutum esse, quem diem Abraham prænunciatione, promissione, præfiguratione viderit: itaque fore vt ineptè Christus ad alium sermonem transiliuisse videatur, nisi de

de eadem re eodémque modo sequentia illa enunciauerit: nos ergo ineptè hæc verba transferre aliò, & præter sententiam illius: speciosa quidem hæc, sed falsa argumentatio futura est. Non enim Christus ipse ad hunc sermonem transgressus est per se, & sine occasione vlla, vt de natura sua ὑπερανθρωπίνῃ gloriaretur temere: sed ineptè & impiè Iudæi ipsi eò transiuerant dicentes, *quinquaginta annos nondum habes*, &c. quorum ineptiā a Christo refelli oportuit. Ineptè ergo insciteque Iudæi ab instituto sermone discesserant: sed ijs Christus ex veritate respondit sapientissimè, æternitatem asserens non carnis illius promissæ & præfiguratæ, sed personæ suæ, quæ in tempore promissam illam & præfiguratam assumsit carnem. Huius verò personæ immutabilem veritatem secundùm esse ipsius vt ampliùs confirmaret, non dicit Christus, ego fui aut eram: sed diuino modo loquitur τὸ ἀμετάβολον illius significante, *Antequam Abraham fieret, vel esset, ego sum.* In hoc autem loco & sequentibus quàm plurimis pium Lectorem velim obseruare, quàm sit falsa huius disputatoris nostri argumentatio, qua fretus velut Orci galea (quod aiunt) hunc locum & alios accumulat. Sic enim ille: *Qui prænunciatur, præfiguratur, promittitúrque, tantisper dum prænunciatur, non est: Christus prænunciatus fuit in Testamento vetere, &c. non fuit igitur.* Falsissima est argumentatio. Ecquis te vnquam, Samosatene, docuit ab eo quod secundùm quid (vt loquuntur Scholastici) ad dictum simpliciter valere consequentiam? Nam maior & minor secundùm aduentum ipsius in carne de Christo enunciantur: cõclusio affirmat simpliciter. Nempe sic te auctore licebit argumentari: *Qui prænunciatur fore medicus, non est: qui prænunciatur fore catholicus, non est: qui prænunciatur fore caro, siue in carne non est.* Id quidem verum est, personam

illam non esse medicam, non esse catholicam, non esse in carne, dum verè prænunciatur. Nam si est ita, falsò prænunciatur fore: sin verè prænunciatur, nondum ita est. Sed eum qui medicus, qui catholicus, qui in carne futurus est (futura enim est resurrectio, vnde peti exemplum potest) propterea non esse, id est, subsistere, quis homo sanæ mentis possit concludere? Ab est enim tertij adiecti, vt vocant, ad est secundi tum demum consequentia valet, quum accidens positiuum de substantia prædicatur: ex priuantibus verò, aut ideis atque vmbraculis non valet. In hoc autem genere promissa & præfigurationes sunt. Suppositum est homo, quum nondum homo iste medicus, aut catholicus est: sic etiam suppositum est Christus, quum nondum esset in carne. Subiectum prius est assumto, hypostasis enhypostato. Itaque secundùm subiectum, suppositum, siue hypostasin, antequàm Abraham esset, Christus est: secundùm carnem assumtam & enhypostaton, Christus Iudæos alloquens non erat quinquagenarius. Falsum ergo illud Samosateni *sic* ὁμοιωματικὸν dicentis, *Sic se ante Abrahamum fuisse dicit ille homo Christus Ioan. 8.* non enim alius loquitur. ab initio enim mundi, ante Abrahamum erat promissus, cognitus, & exspectatus. Non enim Christus, quà Deus, fuit præfiguratione, sed antequàm Abraham esset, immo ab æterno est: contrà verò, quà homo, vel secundùm carnem, ad quam Iudæi contumaciter intendebant aciẽ oculorum suorum, non fuit reipsa ante illam temporum plenitudinem: sed præordinatione, prænunciatione, promissione, typo, & si quid aliud est quo id exprimamus quod volumus, Christum hominem fuisse concedimus. Non ergo persona Filij Dei simpliciter, id est, quà æternus Dei filius & Deus, præfigurata est (fuit enim ante figuras & vmbracula quæuis æternus Dei Sermo) sed

Mediator

Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, quà assumsit carnem, & in carne sua fecit ac pertulit quæcunque fuerunt opus ad salutem nostram. Aut etiam (si aliter placet) non ratione eiusdem Christum eodem tempore fuisse & non fuisse affirmamus: sed fuisse illũ secundùm æternam hypostasin, non fuisse autẽ secundùm humanitatem illã quam æterna hypostasis assumsit in tempore. Atque hic ille scopulus est, in quem Samosatenus offendit hoc loco atque sequentibus. Non enim alius tum Iudæos alloquutus est quàm qui ante Abrahamum est, non alia persona, sed idem ipse Christus, licet alia ratione & modo, nimirum in assumta carne. Ac proinde pater ille Abraham vtrumque vidit: & Christum præsentem, quà Sermo Dei Patris coæternus est, & ante Abrahamum est: & diem illum Christi vidit quo Christus inaniuit sese forma serui assumta, obediénsque factus est ad mortem vsq; crucis. Vidit autem fide Christum præsentem reipsa, quà Deus: nam fides index est eorum quæ nõ videntur, vt qua videmus Deum: Diem verò futurum illum, Christi in carne futuri, gesturi, & perpessuri quæ sunt ad salutem nostram fide eadem vidit in spe præordinationem cernente, promissis hærente, & typis ac vmbraculis obsignata, donec in re exhiberetur Ecclesiæ Dei. Itaque non cupiuit solùm videre Christum, aut diem illum (hoc enim verbo Samosatenus suum illud dogma sufflaminandum putauit esse) sed vtrumque ratione diuersa vidit, atque lætatus est, vt ipse Christus disertè pronunciauit. Hebr. 11.

2. Eumdẽ Christum verè habuerunt in persona Patres, sed non in assumta carne: eumdem, inquam, ratione personæ, deitatis & humanitatis ipsius; sed non eodem modo, vt antè docuimus. Sophistica itaque est hæc argumentatio, vt & sequentes omnes loci in fallaciam elenchi incidunt, quia tempora ante & post carnem a Christo

assumtam inter se conturbantur. His enim substantia communis est in persona Christi, & communis ratio: nã personam suam Christus tradidit Spiritu, Patres acceperunt fide: sed modus differens, exhibendæ in persona carnis alius quàm exhibitç. Dicerem de eo quòd locum illum 1. Cor. 10. Bibebant ex sequente spirituali petra, hic exponit *sequente*, id est, pòst ventura: subtiliter sané. Sed hanc ego festucam non mouero. Grauiora, & quæ magis cum argumento sunt coniuncta persequar.

3. Ad eumdem lapidem semper offendit miser. Non erat Christi caro: sed erat Christus seu persona Christi, quæ persona pòst suo tempore carnem assumsit & aptauit sibi. Vt enim anima hominis sibi assumit & adunat corpus in matris vtero natura formatum in vnitatem personæ, sic persona Christi suam humanitatem vnione personali aptauit sibi. Eo est ratio dissimilis, quòd anima naturaliter non est persona, & quòd præformatum corpus assumit sibi: Christi verò persona est, eáque æterna, quæ pòst suo tempore humanitatem fecit assumendam. Turpis verò fallacia diuisionis est, quum Samosatenus his verbis vtitur, *caro Christi cibus omnium electorum est, non aliqua eius æterna deitas.* Nam res omnino coniungendas distrahit, & opponit componendas, carnem, & Spiritũ, qui est ipsa deitas & vis diuina Christi. In materiali hoc cibo quis nescit duo concurrere? nempe alimentum hoc materiale & instrumentale huic vitæ accommodum, &
Deut. 8. verbum benedictionis a Domino? Non enim ex solo pane viuit homo, sed ex omni verbo prodeunte ab ore Dei. Similiter in carne Christi duo opus est obseruari: primùm carnem, vt caro est alimentum spiritale & instrumentum spiritualis vitæ: deinde spiritum, id est, deitatem vimque diuinam Christi, per quam caro illa viua est atque viuifica, vt caro Christi, caro inquam æternæ deitatis eius.

Christus

Christus itaque viuificat & per ſe in ſe, quoſcunque viuificat: Per ſe, virtute ſpiritus vel deitatis ſuæ: in ſe verò, inſtrumento etiam carnis ſeu humanitatis ſuæ. Spiritus enim is eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam, niſi quà caro Filij Dei eſt & diuina caro. Eo differunt hæc duo inter ſe, quòd materialis cibus in ſe nec principium vitæ, nec cauſam efficientem habet, ſed principium & cauſa efficiens vitæ Deus eſt, qui vim attribuit foris: caro autem Christi principium vitæ ſpiritualis habet in perſona, vnione perſonali Spiritus, id eſt, deitatis cum carne: qua gratia vnionis vim carni intus attribuit ſpiritus, vt viuifica ſit, Cyrillo teſte, ſaluis vtriuſque naturæ proprietatibus: quia in ipſo omnis plenitudo deitatis habitat corporaliter. Hæc duo quiſquis opponit, diſcerpit Chriſtum. Hic enim vnus eſt. Mediator Dei & hominum vnitate perſonæ, quamuis e duabus naturis, ex quo aſſumſit carnem, conſtitutæ. 4. Duo hîc deſideramus: vnum, quòd ex ambiguo loco non ſecus argumentatur Samoſatenus, quàm ſi indubitata certáque apud omneis eſſet hæc interpretatio: alterum, quòd duas interpretationes vni loco aptat inter ſe diuerſiſſimas. Locum ambiguum eſſe inter cæteros docet Aretas his verbis, ἐν ὑπερβάτῳ ἀκουστέον τὸ, ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς τοῦ ἀρνίου τοῦ ἐσφαγμένου. ἐπεὶ ὧν γέγραπται, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου γέγραπται. & quæ ſequuntur. id eſt, *hyperbaticè hoc intelligendum eſt, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ agni mactati: nam quorum ſcripta ſunt nomina, a iactis fundamentis mundi ſcripta ſunt.* Ambiguitas igitur in eo eſt, quòd illa verba, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *a iactis fundamentis mundi*, hi referunt ad participium proximum, *occiſi vel mactati*, vt hîc Samoſatenus facit, & compluresalij: illi ad verbum, *ſcripta ſunt*, vt facit Aretas, & confirmat dicens, *nam quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ agni ma-*

Ioan. 6.

Coloſ. 2.

ctati, eorum nomina a iactis mundi fundamentis scripta sunt, & contrà: agni verò cædes non fuit inde a iactis fundamentis mundi. Hanc interpretationem ne ipse quidem Samosatenus tam piam esse negauerit quàm altera illa est: atque haud scio an etiam verior ac simplicior dicenda sit. Primùm ergo quid responsurus est Samosatenus, si negare interpretationem illam placuerit? etenim verba in ambiguo sunt, vt iam ostendimus. Deinde vt illa concedatur, quid tandem ex ea confecturus est? *Agnus*, inquit, *fuit occisus ab origine mundi in typis & sacrificijs & vmbris: ergo fuit agnus in typis & sacrificijs & vmbris, non autem realiter & substantialiter.* Atqui hoc genus argumentationis puerile esse atque inefficax antè ostendimus, quũ ab est tertij adiecti ad est secundi (vt vocant) in priuantibus ideisque nectitur consequentia. Tamquam si de ægroto, cuius sectionem medicus matutino pingens chirurgum cautionis ergô docuerit, postquam dixeris ægrotum hunc fuisse a matutino sectum, ex eo concludat alter, hunc ergo ægrotum fuisse in typo, non realiter & substantialiter: aut etiam concludat alius, fuisse illum a matutino solùm, ac non antè. Atqui, vir bone, & antè vir fuerit necesse est, quàm secaretur, pingeretúrque, & antè ægrotauerit. Quid ergo ex hoc argumentationis modo concluseris? Etenim antè fuit Agnus quàm occideretur, antè fuit persona quàm caro Agni: quinetiam antè fuit ipsa caro Agni quàm occideretur propter peccata nostra; neque tum demum cœpit Agnus esse, quando occisus est: quod ex singulari isto argumentationis genere sequi oporteret. Quòd autem huic suæ interpretationi alteram diuersissimam coniungit aduersarius orthodoxæ huius doctrinæ, nihil ad rem facit. *Agnus*, inquit, *fuit occisus in pijs, vt in Abele occiso, &c.* Et quorsum ista? Contendit iste antè fuisse Christum præordinatione,

re

non existentia: promissione, non exhibitione; figuris, nō veritate; spe (vt ita dicam) non re. Iam verò vt illud probet, restim ex arena nectens dicit *eum in pijs, vt in Abele, alijsque occidi, & ab origine mundi occisum esse*. Quid ista, obsecro, οἰκείωσις (vt vocarunt Patres) siue ἐφάρμοσις, id est, appropriatio & applicatio perpessionum quas sustinere fideles oportuit, ad sermonem institutum? Nam ex ea, Samosatene, dic amabo te, an vnquam Christum Iesum inde a principio non fuisse probaturus es? Etenim οἰκειώσεις & applicationes istę relationis sunt, & relationis secundùm esse, vt appellantur vulgo, eiusque mutuæ: in qua omnia simul oportet existere, caput, membra, compagémque siue coagmentationem & applicationem eorum inter se spirituali modo. Quemadmodum ergo ad calefactionem statui ignem calefacientem & calefactam materiam necesse est: item ad viuificationem poni spiritum viuificantem & corpus viuificatum: sic ad applicationem istarum perpessionum caput applicans & membrum applicatum oportet existere, & simul quidem existere, nisi falsam relatorum naturam esse noster hic Samosatenus docuerit. Cùm autem hæc falsa dici nullo iure possit, accipio dictum huius disputatoris: & ex eo affirmo contra sententiam ipsius, ergo Christum iam fuisse Abelis tempore, si in Abele occisus est. Nam *si in Abele occisus est Christus, omnino certè fuerit occisus vt caput in membro: est autem occisus, vel Samosateno teste: fuit igitur occisus vt caput in membro: & fuit igitur.* Pergam vlteriùs eodem duce, vel potiùs indice: *Nunc Christus occiditur & persecutionem patitur in fidelibus membris suis: est igitur.* Quòd si dixerit ille, est quidem nunc, ex quo Verbum caro factum, vel Deus in carne patefactus: sed antè non fuit, quum tamē occideretur secundùm quemdam modum: respondebo, atque idem hîc dicitur de eo-

dem, & eodem modo, etsi de diuerso tempore: ergo dicti eiusdem de eodem, & dicti eodem modo ratio eadem tenend. est. *Tunc occisus fuit: fuit igitur: Nunc occiditur in suis: est igitur, & est in suis. Occisus fuit, occiditurque in pijs: fuit igitur, & est in illis.* Sed carnem tunc non habuit, dixerit ille: quid ad nos? fuit tamen omnino, fuit: nam si non fuit, non fuit occisus: si fuit occisus, fuit igitur: &, si fuit occisus in illis, fuerit in illis necesse est, fuerítque vnius ad alterum applicatio, quam antè ostendimus. Quid verò, quòd Samosatenus causam nostram imprudens adiuuat dicendo, *quamquam hìc præsens non versetur nobiscum carne, vt tangi possit?* Sic enim arguo ex istis verbis: Christus igitur, quamuis absens carne, tamen in pijs occiditur, vt præsens spiritu & deitate sua. Nam *absentem nec in se, nec in alio constat occidi posse: Christus in suis potuit & potest occidi: immo occisus fuit atque occiditur: non igitur absens: si non absens, præsens igitur. Quòd si præsens, aut carne præsens, aut spiritu: non autem carne, ac ne nunc quidem, vt ipse quoque Samosatenus agnoscit: præsens ergo spiritu. At Christus in Abele occisus est: præsens ergò in Abele spiritu.* Spiritum autem quum dico, nolo mihi spiritualem duntaxat modum, sed subsistentiam ipsam intelligi, vel spiritualem substantiam, quæ carni (id autem est, substantiæ carnis) opponitur. Alioquin Abeli hìc in terris agenti viuentíque nec carnem Christi adfuisse, quæ nondum erat, nec carnalem modum, qui citra subiectum esse non poterat, inter nos conuenit. Quorsum ergo Samosatenus a natura vna argumentatur ad alteram? ad perfectam ab ea quæ per se imperfecta est? ad assumentem personam a natura assumta? si non erat humanitas Christi, non ergo fuisse deitatem? si non erat Christus secundùm humanitatem, non ergo fuisse Deum? quod genus argumenti nobis tacentibus refellit natura ipsa, & nos
jam

iam satis antè refellimus. 5. Ad eamdem applicationem hic locus Hebr. 6. pertinet, quam nota 4. suprà tradidimus. Nam vt Christus in Abelo fuit occisus olim, sic Christum in Abelo occidit Cain, eumque impij crucifigunt denuò, exacerbantes & prouocantes spiritum illius. Actio enim & passio conueniunt in vna substantia motus, & vnus sunt motus numero, licet inter se differant secundùm varios agentis & patientis habitus. Quapropter etiam Grammatici verbum actiuum solent passiuo resoluere, & contrá. Hic ergo nihil promouet sua verborum accumulatione. De loco item Hebr. 11. iam antè diximus. Etsi quid est, cur iste locus in hanc sententiam proferatur? A nobis facit, Samosatenum confodit. *Promissa adepti sunt*, inquit. Rectè: si adepti, realiter igitur habuerunt, ac non typicè & figuratiuè inaudiuisse dicendi sunt solúm. Sic enim ibidem Apostolus versu 33. per fidem regna debellarunt, exercuerunt iustitiam, assequuti sunt promissiones, &c. Rursum verò, *non sunt adepti promissa sed eminus ea conspicati, ne seorsim a nobis consummarentur:* hoc est, rem quidem, & substantiam ipsam promissionum in sese habuerunt, sed non singulas promissionum partes secundùm perfectiorem modum earum & complementum in Christo. Vtrumq; ergo verum est, quia non est vtrumque ratione eiusdem dictum. Etenim (vt paucis omnia complectamur) Dei promissionum in federe summa est hæc, *ero Deus tuus & seminis tui:* medium promissionum, Christus, *in semine tuo*, inquit, *sibi sunt benedicturæ omnes gentes:* obiectum reale (vt vocant) tum æternum, puta, cœlestis hæreditas, tum verò temporale sacramentum, hæreditas terrena scilicet: modus differens, nempe ad complementũ per initia & progressus varios pertinens: adiuncta denique, promissiones particulares & effecta illarum. In his autem promissio-

nibus alia sunt communia omnium, idque aut quonis, aut suo tempore: alia verò particularia temporum, aut personarum etiam singularia. Omnium in omni tempore communia sunt hæc: summa federis substantia: medium illius, persona Christi, quamuis necdum assumta carne olim: & efficacitas ipsius. Suo tempore communia sunt hæc: obiecta, cùm Iudæis olim terrena, tum omnibus cœlestis hæreditas, quam modò possidemus fide, vt olim possidebat Abraham: & persona Christi his temporibus vltimis facta caro, siue in carne patefacta. Particularia temporum fuerunt ista: primùm quòd Abrahā, Isaac, Iacob, & alij, vsquedum populus fuit missus in possessionem Chananææ, non sunt adepti hæreditatem promissam terræ, quam ex facto, antequàm morerentur, possidentes obtinerent: sed eminus promissa conspicati, postquam ipsis fuissent persuasa, & ea amplexi fuissent, ac professi hospites se & aduenas in terra Chananææ (hoc enim respexit Apostolus versu 13. quem versum hîc artificiosè obducit Samosatenus, & in alium sermonem rapit quàm Apostolus sibi voluerit) deinde etiam particulares suorum temporum fuerunt modi, quibus Deus per initia, progressus, & complementa vsus est in docendis, & ostendendis, & præstandis reipsa promissis suis, vt idem Apostolus ibidem asserit. Postremò autem singulares promisſiones sunt personis factæ, quas illæ singulari gratia & beneficio Dei adeptæ sunt. Atque hęc quidem a Samosateno, si veritati studet, distingui oportuit. Nam duplex est hoc loco peccatum quod in Christum committit & Ecclesiam eius: vnum, quòd personam Christi ante carnem assumtam fuisse negat, quem errorem paulo antè perspicuè confutauimus: alterum, quòd sacramentum vel signum confundit cum re sacramenti, quamuis hæc ab Apostolo inter se distinguantur luculentissimè.

Hæc

Hæc autem vt assequatur, in duplicem ignorationem elenchi prolapsus est, quum eos sermones qui nec ratione eiusdem, nec de eodem tempore sunt habiti, licentiosissimè conturbauit. Nam omnes quidem pij substantiam federis promissionumque in Christo, & efficacitatem illius iam olim perceperunt, ac proinde communia & particularia promissa adepti sunt secundùm rationem istam, Hebr. 11. 33. Sed ratione modi quàm plurima distingui necesse est, quæ secundùm tempora illi omnium minimè, isti ex parte, hi autem omnino assequuti sunt. Sic Abraham, Isaac, Iacob promissam terram non obtinuerunt, quamuis rem promissam certè obtinuerint quę designabatur sacramento terræ: posteri illorum rē simul cum signo adepti sunt, sed tamen ex parte & tenuiore quodam ac obscuriore modo: hæc autem omnia ad nos secundùm veritatem planiùs his temporibus vltimis peruenerūt, & planissimè secundo aduentu Christi in omnibus consummanda. Secundùm hos igitur gradus instituta comparatione, fit vt etiam ijdem respectu vario promissiones adepti & non adepti dicantur in Scripturis sacris, & hoc tempore dici possint. 6. Testimonia hominum nostrorum, quæ cum Samosateno dicuntur facere, adduci peruelim: ego quidem exstare nego apud horum bonorum quemquam: siqua rapiuntur in eam sententiam, grauissima fit viris bonis iniuria. 7. Pręposterè. Ordinem ab Ioanne institutum hîc Samosatenus inuertit, vt causam suam hac specie adiuuet. Nam tria illa prædicata de vno eodémque Sermone coniungi & continentia vno in loco haberi interfuit, vt Sermonem illum subsistentiam æternam esse, & apud Patrem esse vt subsistentia a Patre distinctum, & Deum esse, vnum videlicet essentia cum Patre, intelligeremus. Hæc autem certo consilio in loco hoc discerpuntur, vt locus ille am-

plissimus de vnitate essentiæ Patris & Filij (a quo homines isti, vt a clamore fures, maximè sibi metuunt) latitare posset, aut certè molli & subdolo traiectu quodam eneruari: quemadmodum sequente loco videmus factum. De prioris autem loci interpretatione iam antè diximus segmento 1. & 2. eamque falsi reuicimus. Nam neque *Sermonis* vocabulum sic posse aut debere accipi docuimus, neque verbum *erat*, neque nomen *principij*: sed aliena a vocibus, membris, adiunctis, argumento denique toto interpretamenta adferri. Ac proinde nec verborum expositioni cum veritate diuina conuenit, nec illi ipsi doctrinæ quam Samosatenus studuit expositione sua confirmare. *In illo*, inquit, *principio Christus cœpit esse nobis Verbum, & Magister, & Propheta, prædicans mandata paterna.* Hoc enunciatum est simpliciter falsum, si ad rem ipsam veritatémq; Christi respexeris: sin ad modum docendi in assumta carne, cum certa quadam cautione concedimus, quia ne sic quidem simpliciter est verum. Christus antè docuit quàm carnem assumsisset, nimirum spiritu & diuinitate sua: Christus non antè quàm assumsisset carnem, docuit in carne, id est, humanitate sua. Vtrumque verum. De posteriore conuenit: priorem ergo affirmationem auctoritate Scripturæ (etsi iam antè

Exod. 23. segmento 3. fecimus) ostendamus. *Ecce, inquit Dominus, ego mitto Angelum siue nuncium coram facie tua, qui seruet te in via hac, & introducat te in locum illum quem paraui. Caue tibi a facie eius, & ausculta voci eius, ne irritato eum: nam non esset condonaturus defectionem vestram, quia nomen meũ est in eo: sed omnino ausculta voci eius, vt facias quicquid eloquuturus sum,* &c. Angelus siue nũcius in hoc loco dux, seruator, cõsummator fidei, vt Heb. 12. condonans peccata dicitur, in quo nomen Dei est, id est qui sermo Deus sit (vt Ioannis vtamur verbis) Sermo Iehouæ, idémq; Iehoua

houa cum Patre. Item, *transmittam omnem bonitatem meã ante faciem tuam, & proclamabo nomen Iehouæ coram te:* & altero loco qui huic respondet, *transiens itaq; Iehoua ante faciem eius proclamauit, Iehoua, Iehoua,* &c. Videmus hîc Iehouam proclamantem de Iehoua, Deum de Deo, vt Sermonem illius. Et alibi, *reuelauit se Iehoua Samueli Silunte per Sermonem Iehouæ.* En tibi personas treis in vnitate essentiæ: Iehouam reuelatum, aut reuelantem sese, Spiritum sanctum: Sermonem reuelantem, qui idem Iehoua, Filium: & Patrem Sermonis, Iehouã, cuius propterea Sermo seu Verbum in priscis Scripturis appellatur. Sic etiam Dauid, *Propter Verbum,* inquit, *vel Sermonem tuum, & secundùm animum tuum fecisti totam hanc amplitudinem:* quæ verba, ne qui sit tergiuersationi locus, Spiritus sanctus prouidentissimè in repetitione explicauit hoc modo: *Iehoua, propter Seruum tuum, & secundùm animũ tuum,* &c. Hoc autem illud Verbũ, hic ipse Sermo, qui Ecclesiam Iudæorũ docebat & ducebat olim, is ipse est Sermo de quo hîc Ioannes loquitur, Dominus Christus Iesus: & de quo insignẽ illum Prophetæ locum (vt alios taceã) intelligi oportere confirmat Euangelista, dicens, *Vt impleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam dicentem, Ecce seruus ille meus, quem elegi,* &c. Et Apostolus ait, *Christus, vt filius, domui suæ præest: cuius domus sumus nos, si fiduciam & spem illam de qua gloriamur, ad finem vsque firmam tenuerimus. Quapropter sicut dicit Spiritus ille sanctus, hodie si vocem eius audieritis, ne obdurate corda vestra.* Quibus profectò verbis suum illud seculum quoque ad vocem Christi religiosè audiendam nobiscum excitabat. Deinde paulo pòst, *Christi participes facti sumus, si modò principium illud quo sustentamur, firmum tenuerimus ad finem vsque, Interim dum dicitur, hodie si vocem eius audieritis,* &c. Sed quid multis opus est? Vnica illa sancti Apostoli Petri epistola optimè cõfirmat

Exodi 33. Exod. 34. 1. Sam. 3. 2. Sam. 7. 1. Chron. 17. Esa. 42. Matt. 12. Hebr. 3.

non cœpisse Christum Prophetam in hominibus agere, & instituere verbo Ecclesiam suam, quum in carne manifestus esset, sed ab omni seculo, ex quo Prophetæ & prophetiæ sunt (sunt autem inde a principio humani generis) Spiritum Domini Iesu Christi doctorem in populo Dei exstitisse. Nam agens de Prophetis Petrus cap. 1. sic ait,
1. Petri 1. *Scrutantes in quem, aut cuiusmodi temporis articulum prænuncius ille Spiritus Christi, qui erat in ipsis, declararet euenturas Christi perpessiones, & gloriam illas consequuturam.*
1. Petri 2. Item posteà, *Quapropter etiam continetur in Scriptura, ecce pono Sione lapidem in imo angulo, electum, pretiosum: cui qui credit, non pudefiet.* Huic enim dicenti & voluntatem Patris enuncianti creditur, id est, Sermoni æterno Dei. Cuius rei applicatione & accommodatione luculentissima vtens Petrus in verbis sequentibus dicit, *vobis igitur est honori qui creditis: immorigeris verò, lapis quem reprobauerunt ædificatores hic factus est caput anguli, & lapis ad quem impingitur, & petra offendiculi.* Hæc autem Dauidis & Esaiæ verba tum ad prisca tempora, vt Prophetæ ipsi apertè clamant, tum ad hæc vltima quibus Christus in carne ad-
1. Petri 3. uénit, pertinent. Et capite sequente, *mortificatus quidem est Christus carne, viuificatus autem spiritu: per quem etiam spiritibus immorigeris qui sunt in carcere profectus prædicauit olim, quum semel exspectaret Dei patientia in diebus Noë.* &c. His alios insuper locos essemus addituri, nisi horum euidentia atque commoditas futura satis apud bonos veritati probandæ & confirmandæ videretur: aliis enim ne tota quidem Scriptura satis. Concludimus itaque Dominum Iesum Christum illum ipsum Sermonem æternum esse Dei Patris, in quo & per quem Adamo & priscis illis sanctisque Patribus inde a principio voluntatem suam declarauit Pater: ac non tum demum cœpisse Christum, quum in carne vixit diuinúmque illum

lum & salutarem Apostolatum obijt quem Euangelistæ & Apostoli speciatim descripserunt in Testamẽto nouo. Alterius loci, *& Sermo erat apud Deum*, itidem se habet interpretatio. Nam neque in se verum illud dictum, neque germanum est huius loci interpretamẽtum, quum hic nouus interpres dicit, *in hoc principio erat apud Patrem, nondum notus hominibus, sed soli Patri. Non enim ab hominibus agnoscebatur esse Messias, &c.* Ac primùm quidem hoc sibi Ioannem Euangelistam noluisse suprà iam demonstrauimus, neq; huius loci, horum verborum esse: quapropter plura non sumus de hac parte adiecturi. Sed dictum istud si placuerit simpliciter hoc sensu expendere, omnino aut falsum, aut ambiguum est. Nam falsum est, si vniuersè: ambiguum, si indefinitè acceperis, & particularis interpretationis, ex qua nihil concludi potest. Vniuersè autem a Samosateno dici ex eo iudicamus, quòd & oppositionem facit inter Deum & homines in hoc argumento, & voce, *soli*, exclusiua disertè vtitur. Etenim qui *nondum notum hominibus Christum, sed soli Patri* fuisse dicit, homines excludit vniuersos. Hoc autem falsum est, & repugnans Scripturæ sacræ veritati. Hæc quidem vera sunt: nemini homini Christum fuisse notũ naturali luce: tum personam Christi, quà Filius Dei est, soli Patri cum Spiritu sancto fuisse notam essentialiter. Sed ad neutrum horum Samosatenum respexisse, quum ista scriberet, res ipsa loquitur. Fuit autem Christus notus hominibus iam eo tempore per cœlestem illam & supernaturalem lucem, partim singulari, partimq; cõmuni reuelatione. Zachariæ quidẽ certè, Iosepho, Mariæ virgini, Simeoni, Annæ, Elisabethæ, Magis, Pastoribus, alijsque iamdiu antè innotuerat, quàm ministerium illud suum officiúmque Prophetæ capesseret: similitérque Ioanni Baptistæ, quum id proximè Christus obiturus esset. His omnibus ergo

innotuerat Christus singulari reuelatione. Communi autem reuelatione, viáq; ministerij in Ecclesia instituti, fuit in ipso principio cognitus a discipulis Ioannis Baptistæ Christus, quum magistrum suum illi audiuissent dicentem, *ecce agnus Dei:* & iterum, *ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi:* quemadmodum a Ioanne Euangelista narratur euidentissimé. Hoc igitur si vniuersè a Samosateno dictum est, vt est, quis bonus probare possit, tam densa nube testium in sacris Scripturis reclamante? Quòd si indefinitè placeat accipere, quid est nisi hoc illudere est? Si enim hominibus quibusdam notus, & alijs ignotus in illo principio fuit, vtrumque certè verum est: &, si quibusdam notus, non ergo soli Deo notus, quod iste nouus auctor tam confidenter affirmauit, sed Deo fuerit notus, & quibuscunque reuelauit Pater. Non enim agnoscebatur Messias ab illis hominibus, qui istis solùm oculis carnis cernebant: sed ab ijs tamen agnoscebatur, quorum oculos Pater noster qui est in cœlis illustrabat. Itaque frustra Samosatenus narrationes accumulat de ijs qui Christum functionis principio non nouerant: cum ex indefinita enunciatione, quæq; vera ex parte est, & ex parte falsa, cóficiat vniuersalem, & tamquam ex vniuersali id quod sibi vult concludat vniuersè: quod repugnat iustæ argumentationum legi. Quemadmodum autem communem enunciationem, sic proximè sequentem congeriem exemplorum vitiosam esse paucis demonstrabimus. Nam primus exemplorum locus est de ijs qui carnis solùm & sensus oculos habuerunt, non autem mentis a diuina luce Hoc verò concessimus, & sanctè affirmamus vltró. De Ioanne Baptista quod adfert, duobus modis fallit in exemplo vno. Nam primùm *cognoscendi* verbo æquiuocè abutitur. Baptistes enim Christum iamdiu cognouerat fide, etsi non cognouerat personam determinatè

secundùm

Ioan. 1.

ſecundùm carnem. Hæc autem cognitio ſecundùm carnem quantula pars cognitionis eſt? obſecro. Deinde verò confundit tempora illius notitiæ, vt illudat imperitis. Baptiſta enim Chriſtum quidem non cognouerat de facie ſecundùm carnem, antequàm ad ipſum veniret Chriſtus: quo de tempore dicit, *& ego non noueram eum*: ſed antè tamen ille cognouit Chriſtum, quàm initium Chriſtus faceret miniſterij: adde etiam quàm initiaretur Baptiſmo, vt in miniſterio illo ſuo conſecraretur. Cur enim dixiſſet Ioannes, *ego opus habeo baptizari a te, & tu venis ad me?* Iam tum ergo conſpexerat Spiritum deſcendentem vt columbam, & manentem ſuper ipſum, quum necdum baptizatus eſſet, cúmq; hoc ſigno de facie pernouerat, quem iamdiu fide didicerat. Ex his ita concludo neceſſaria conſequentia: *Principium miniſterij Chriſti fuit poſt Baptiſmum: ante Baptiſmum Ioannes cognouit Chriſtum: ergo ante principium miniſterij.* Falſum igitur quicquid hîc a Samoſateno de Ioannne Baptiſta dicitur. De Iſraelitis eadem ratio: horum enim alij fide non agnoſcebant Chriſtum, alij ne de facie quidem: atque ad hoc genus notitiæ externæ ſecundùm carnem maximè ſpectabat Ioannes dicendo, *in medio veſtrum ſtat, quem vos neſcitis.* Inſidiæ ergo hîc ſtruuntur æquiuocatione: tãquam ſiquis diceret, *non nouerant Chriſtum de facie: omnino ergo non nouerant.* quod genus ratiocinationis quis probet? Nec diſſimile eſt, quod de Apoſtolis poſteà ſubijcitur, & alijs exemplis ſequẽtibus hic argutatus eſt. Vt enim patefactioni Chriſti qua ſe ipſe patefecit, ita etiam cognitioni hominum ſuus fuit modus per ſua tempora momentáque diſtinguendus. Non autem plenè facta eſt, ſiue (vt Samoſatenus loquitur) non plenaria ab initio fuit Chriſti patefactio: nec cognitio igitur plenaria fuit. Primùm itaque communes quaſi notiones, principia, & prima quaſi

Ioan. 1.

Matth. 3.

semina de persona, fine, officio, modo, omnibúsq; Christi beneficijs fideles habuerunt, quibus principijs non actus, sed potentia infuit plenariæ illius cognitionis; re ipsa tamen & actu vera, iusta, & salutaris habentibus ipsam. Deinde huius cognitionis principia semináque procedente tempore, secundùm patefactionem Christi & piorum comprehensionē, sese profuderunt explicaueruntque in credentibus singulis, tanquam ex veris principijs processus veri, vt ex veris seminibus veræ plantæ in Christum insitæ per fidem assurgerent: quod noster hic Samosatenus non videtur animaduertisse, quum de Apostolis non sine contumelia dicit, *quem nec moriturum, neq; etiam resurrecturum credebant, sine quo Christus agnosci non poterat verè.* At tu, miser, nec verè Christum nouisti, nec plené: Apostoli tum verè nouerunt, nō plenè: prout nos quoque hoc tempore cognoscimus, tum demum & verè simul & plenè cognituri, quum Christus (qui vita nostra est) apparebit, & nos cum ipso patefiemus in gloria. Hîc enim ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus, vt cum Paulo dicam. Itaque cognouerunt Apostoli, & non cognouerunt Christū: cognouerunt cognitione inchoata & sensim augescente, nō cognouerunt perfecta: ab illa verò ad hanc cognitionem per suos progressus & gradus contenderunt vera cognitione, quamuis plenaria (vt vocas) minimé. Iamne vides, Samosatene? iamne sentis fallaciam tuam? fallaciam dico, siue fallaris ipse, siue prudens fallas. Vtrum sit, nouit Dominus, & reposcet: nos verò συμπάσχομεν. Nam secundùm hos gradus & patefactio a Christo fuit humano captui accōmoda, & cognitio in Christianis adaucta est vera verè, & contendendo ad plenitudinem perfectionémq; suam adolescens. Atque in hunc modum sequenteis omnes locos (ne longiores simus) exponi & conciliari necesse est. Sic enim falsò concluditur:

Colos. 3. 1. Cor. 13.

non plenè nouerunt, non nouerunt igitur: nam etsi non plenè, aliquatenus tamen cognouerant: est enim maius & minus scientiæ, principium & progressus, est pars & totum suum. Tu verò non ignoras a parte ad totum in quantitate (vt loquuntur) non valere consequentiam. Sed de his satis. 8. Exinanitionem si rectè acciperet iste, resipiscenti ex animo gratularer: sed repugnant sequentia. Duo itaque hic certo consilio confunduntur, quæ Paulus optimè distinxit: inanitio personæ, & submissio in persona inanita. Inanitionem personæ describit his verbis Apostolus, *Quum esset in forma Dei, non duxit rapinam parem esse cum Deo: sed ipse inaniuit sese, forma serui accepta similis hominibus factus.* Submissionem personæ in se inanitæ, illis, *Et habitu compertus vt homo ipse se submisit, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Inaniuit ergo sese, quum æternus Dei Filius verus Deus, essentia infinitus, immortalis, &c. carnem assumsit in vnitatem personæ, tanquam si ex illa infinitate sua se ad nihilum redegisset. Submisit autem se persona inanita, quum subiectus Legi diceret, *in lege tua scriptum est de me, ecce me, o Deus, vt faciã voluntatem tuam.* Itaque Christus resurrectione crucem quidem & mortem absorpsit plenè, inanitionem verò nõ item: etsi præter veritatem hoc loco affirmatur. 9. Negamus Apostolum eo loco & testimonio agere de resurrectione Christi, sed tantum de excitatione, id est, præstatione illius quem Patribus olim promiserat, nempe seminis benedicti vel personæ Christi. Duo enim distinctè probat Apostolus ad antegressæ orationis suæ confirmationem: vnum, Christum esse exhibitum: alterum, eundem ex mortuis suscitatum esse. Exhibitum esse probat a genitura illa temporali, quam sua die perfecit Deus, vt Psalmo 2. scriptum est. Suscitatum ex mortuis probat sequentibus dicens. *Quòd autem excitauerit eum a mortuis,*

Philip. 2.

Hebr. 10.

non amplius reuersurum in sepulcrum, *ita dixit*, &c. Aliud autem excitare simpliciter, ἀνιςάναι γενικῶς aliud excitare ex mortuis, ἀνιςάναι ἐκ νεκρῶν εἰδικῶς. Non enim quisquis excitatur, idē excitatur ex mortuis: sed contrà quisquis excitatur ex mortuis, is excitari dicēdus est. Genus enim de specie prædicatur, non contrá. Quòd si exempla Samosatenus desiderauerit, sunt quidem veteris Testamēti multa: sed quia verbi Græci exemplo opus est, e Nouo paucula adferemus. Matth. 22.24. *si quis mortuus fuerit nō habens filios, eius frater ducet affinitatis iure vxorem eius, & ἀναςήσει, suscitabit semē fratri suo.* Act. 3.22. *Moses dixit Patribus, Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester ex fratribus vestris, sicut me, ἀναςήσει*, inquit. & versu 26. ad eūdem locum respiciens, *vobis primùm Deus quum excitasset Filium suum Iesum, misit qui benediceret vobis*, &c. Sic etiam Act. 7.37. Atque haud scio an coniugatum nomen τῆς ἀναςάσεως in hunc modum exponi oporteat Act. 1. 22. quum Apostoli *vnum eorum fieri dicerent testem excitationis Christi oportere:* qua in doctrina versatur ministerium & Apostolatus illorum, vt postea vers. 25. ab ipsis appellatur. Sed quid multis opus est? Ipse Paulus disertis verbis tuetur & munit interpretationem hanc, quum altero pòst versu aduersatiuam illam adhibet, *Quòd autem excitauerit eum ex mortuis*, &c. Falsa igitur argumentatio ex falsa interpretatione. Quamquam si etiam concederetur iste interpretationis modus (vt plerisq; accidit) nihil tamen amplius ex ea consequeretur, quàm quod antè nota 7. in eadem causa ostendimus: nempe tum quidem plus innotuisse Christum, sed non propterea fugisse ante illud tempus omnem hominum notitiam. Sequentium item locorum quos Samosatenus adducit, eadem ratio: quapropter pium Lectorem breuitatis ergô ad notam 7. reijcimus. 10. An ergo priùs se Christus falsò & imaginariè,

riè, id est, Marcionitice manifestauerat? Certè ante resurrectionem se tam verè manifestauit Christus, quàm post resurrectionem fecit; licet non adeò plenè siue plenaria manifestatione, vt idem antè loquutus est. Hæc ergo nihil ad rem, nisi vt fucum imperitis. II. Conclusio est ambigua, & ex negatis confutatisq; principijs. Nam neque *principij* vocem sic accipi vt Samosateno placet, neque phrasin illam, *erat apud Deum*, suprà demōstrauimus: sed hūc ipsum glossarium, captata ambiguitate vbi nulla est, & voces & loquutiones detorquere de sanctissimo hoc mysterio propriè enunciatas. *Principium* restringit noua & inaudita determinatione: *esse apud Deum* figuratè accipit: nos vtrumque freti veritate negamus & confutauimus. Atque hæc causa est, cur de eadem affirmatione laborans Samosatenus vnum adhuc testimonium pro auctario adfert, & nouam illius loquutionis, *erat apud Deum*, interpretationem exemplis fulcire tentat. De testimonio videamus. Primùm agnoscimus Filium & secundùm essentiam (quæ tota est in Filio, & tota in Patre) & secundùm personalitatem (vt ita loquamur) soli Patri cum Spiritu sancto æternùm esse cognitum cognitione diuina & perfectissima, quantam ne Angeli quidem in cœlis assequuntur: nam infinita est. Secundò & hoc agnoscimus, creatam illam cognitionem quam Deus Pater cum suis creaturis de Filio communicat, non plenè, sed quasi per gradus successiuè cum eis communicari, & ab eis percipi: ac proinde sua esse principia tum communicationis, tum comprehensionis illius, quæ principia sui progressus solent excipere pro demenso donationis Christi. Postremò etiam illud agnoscimus ad creatam hanc cognitionem pertinere, quòd Deus ipse de ea communicet, nósq; de ea comprehendamus, quæ ad esse, ad virtutem, ad sermones, ad actiones, & ad perpessiones Christi

salutareis pertinent, verè, breuiter, & perspicuè in Scripturis sacris. Sed negamus locos qui de esse ipsius agunt, eos de virtute, sermonibus, actionibus, & perpessionibus exponi oportere, aut cont[illegible], sed suam cuiq; loco germanam interpretationem conseruari: ex quibus tamen per iustam consequentiam doctrinas erui alias de alijs ratio & veritas diuina postulant. Est autem locus ille, *& Sermo erat apud Deum*, propriè de ipso esse huius sermonis dictus, ac proinde primò & per se de esse illius exponendus, vt antè ostendimus. Quòd siquis ab eo quod quid est argumentationes volet de virtute, potentiáq; & consimilibus alijs efficere, non equidem impedio: sed quid sibi velit quisque locus, id primùm videri iudico oportere: quid inde conficiatur, prognatam quæstionem esse. Idem de loco 1. Ioan. 1. qui hic adducitur, omnino statuimus. Nam primum subsistentiam æternam personæ Christi Ioannes asserit his verbis, *Quod erat a principio.* Deinde naturam assumtam in vnitatem eiusdem personæ, quæ aureis hominum, oculos, mentes, manus de illo Sermone carne facto confirmauit, illis, *quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus, & manus nostræ contrectarunt de Sermone:* hunc enim Sermonem nō viderunt quà sermo, sed quà caro: nempe quatenus seipsum Sermo in sua humanitate videndum, spectandum, tractandúmq; proposuit illis. Tertiò proprietatem essentialem Sermonis huius explicat, quòd Sermo *vita* sit, vel *Sermo vitæ* (nam vtrouis modo exposueris, non magni interest) & hac proprietate sua nobis salutaris, nimirum vitam habens in se essentialiter, eámq; nobis per gratiam conferens. Postremò finem subijcit, *vt & vos communionem habeatis nobiscum,* &c. Tertium autem illum de vita locum, vt nobis apprimè salutarem, Ioannes persequitur accuratissimè interiecto membro parentheto in hanc sententiam.

Illa

Illa vita, inquit, quæ formaliter vita est & Sermo Dei, ac proinde a natura hominibus ignota planè propter infinitatem illius & tenuitatem vitiositatemq; nostram, *illa patefacta est*, & Deus in carne factus conspicuus, vt ait Paulus: & ita quidem patefacta, vt tum ipsi eam *viderimus* secundùm carnem assumtam quæ panis est vitæ, tũ etiam *testemur* vt spectatores ipsius & testes a Deo in Ecclesia dati, & *annunciemus*, vt præcones ibidem ab eo instituti, vitã illã æternã: quæ & sine principio est in se secundùm rationem temporis, vt quæ a principio erat apud Patrem, & secundùm tempus *patefacta est nobis* sine fine futura tum in se ipsa proprietate essentiæ & naturæ suæ, tum in nobis (qui communionem habemus cum ipso) communicatione gratiæ. Quid hoc tanto mysterio diuinius? Ecce autem, inquit Samosatenus, *erat apud Patrem*, id est, ignotus erat hominibus. Nego fuisse ignotum: non enim id continuò sequitur, si non fuit planè notus, fuisse ignotum. Prætereà nego eam sententiam huius loquutionis esse, *erat apud Patrem*: propriam affirmo esse, iniquè figuratam effici; quæ omnia antè commonstrauimus. At, inquit, absurdum est *alium fingere æternũ, inuisibilem, impalpabilem*. Fateor. Nestorianũ est, impium, si alium æternum, inuisibilem, impalpabilem, & alium factum in tempore, visibilem, & palpabilem esse docueris. Id verò absurdum non est, si eumdem Christum, eumdem Sermonem vitæ secũdùm aliud & aliud sic esse dixeris. Non enim est alius Iesus, & alius Christus, aut simpliciter alius & alius: sed in vno eodémque Christo est aliud & aliud. Est enim vna persona Christi, secundùm deitatem æterna, inuisibilis, impalpabilis per essentiam suam: & secundùm carnem vel humanitatem suam assumtam eadem persona, ac non alia, in tempore facta, visibilis, & palpabilis creditur: quemadmodum Scripturæ do-

cent. Vt autē nō est absurdū, nec credētibus pijs absurdū videri potest, ꝙ Sermo factus est caro: sic absurdū nulla ratione dici aut videri potest, ꝙ Sermo proprietates habet diuinas, & humanas caro: nō magis, inquā, absurdū, quàm illud in vnoquoq; nostrū absurdum est, animæ suas qualitates spiritales cōstare, & suas corpori. Quod verū esse quis vel Samosatenus vel fungus nesciat? *At Ioānes*, inquit, *ideò statim addit per antithesin, sed posteà hæc vita patefacta est.* Respōdeo, hîc Samosatenus transilit ad genus alterū hac sua argumētatione, a substātia nempe ad modū accidentarium. Nam de substantia personæ & modo substantiali eius agit Apostolus. Substantia est natura duplex, Sermonis seu vitæ & carnis assumtæ: modus substātialis est diuinæ quidē illius, ꝙ nō potest homini aut creaturæ vlli in hac vita patescere secundùm essentiā suā: humanæ, quòd patet omnibus. His naturis adunatis personaliter, Sermo in se ἀφανὴς factus est in carne φανερός. Hic ergo ille substātialis modus, vel personalis est. Noster verò nouus hic interpres modū facit accidentarium: non enim de esse & modo illius, sed de cognitione aliena, qua ipse notus est, intelligit: nō de eo quod actu est in se, suāq; per se virtutē explicat, sed de eo quod aliena potentia cognoscitur. *Atqui Deus est actus purus & simplicissimus: hic autem Sermo est Deus: actus igitur est, neque potentia, sed actu subsistit in se. Quòd si fuit tempus quum non subsisteret, potentiā certè, non actu fuit. Non igitur Deus est. Est autem Deus: actu igitur, non potentia est: ac proinde nunquam fuit tempus, quum non subsisteret.* De hac autem subsistentia Sermonis vitæque æternæ à Ioanne agitur: quæ *vita in seipsa si potentiā est, non est æterna: est autem æterna in se: actu igitur, ac nō potentiā æterna est.* Quapropter non per antithesin hæc verba oportet intelligi, *& vita patefacta est*, sed per synthesin potiùs, vt ita loquamur: prout exponitur verbis sequen-

quentibus, quum Ioannes dicit, Sermo ille ſeu *vita illa æterna erat apud Patrem*, ſubſiſtens nimirum in ſe, *& patefacta eſt nobis* in carne, quam adiunxit ſibi & aſſumſit in vnitatem perſonæ. Quid? ſi quis dixerit, *fœtus erat apud matrem*, an hoc quiſquā interpretabitur, cognitus erat ſoli matri? nónne potiùs locutio, vt propriè ſonat, de ſubſiſtētia exponi debet? Certè: nā ſiue cognitus ſit alijs, ſiue incognitus, apud eā ſubſiſtit: primū hoc eſt naturæ ordine, vt ſit, etiam incognitus: ſecundum, vt cognoſcatur eſſe tum declaratione, quando fouetur intus, tum verò natiuitate, quando in lucem editur ante oculos omnium. Quod de miſero fœtu humano natura docet, id tu, Samoſatene, de Filio Dei æterno (quamuis incomparabili modo) negaueris? Quemadmodum autem fœtus eſt apud matrem (vt in hoc ſimili conſiſtamus) ſiue ſoli matri cognitus, ſiue alijs etiam per ſermonis, vteri, aliorúmque ſignorum reuelationem: & primùm quidem ſoli matri eſt a natura notus, deinde alijs a matre innoteſcit: ac proinde concludi non poteſt iuſta conſequentia, *eſt apud matrem, ergo ſoli matri cognitus*: ſic etiam *Sermo Patris eſſe apud Patrem* dicitur, ſiue ſoli Patri cognitus, ſiue alijs præterea: Ac primùm quidem ſoli Patri eſt cognitus, deinde verò alijs per reuelationem Patris, quam reuelationem Pater inde à creatione fecit per ſua incrementa & progreſſus: proinde concludi nō poteſt, *eſt Sermo apud Patrem, ergo cognitus ſoli Patri*: quam tamen interpretationem Samoſatenus pro germana venditat. Niſi quis forte παραδόξως illud axioma tueri velit: *quiſquis apud aliquem eſt, ei ſoli cognitum eſſe apud quem eſt*. Qua ratione futurum eſt, quum homo Italus apud Polonum eſt, vt Polono ſoli ſit cognitus. Vtinam verò, vtinam hic Samoſatenus noſter ei ſoli apud quem erat innotuiſſet, ac non ſeſe alijs noſcēdum quàm plurimis modis ac pernicioſſimis præbuiſſet.

Pergit Samoſatenus, *At*, inquit, *non diſsimiles quoque phraſes in Scripturis exſtāt, Matth.13. & 26.*&c. Reſpõdeo, non modò non diſſimiles, ſed eædem planè loquutiones ſunt quæ à Samoſateno adferuntur: ſed falſa omnium interpretatio. Nam horum neutrum eſt neceſſarium, vt *apud aliquem eſſe* ſignificet ei notum eſſe hominem ſoli apud quem eſt, & vt notum eſſe alicui ſit apud eum eſſe. Prioris loquutionis hæc ſunto exempla: ſunt feræ, ſunt homines apud feras, nec tamen ſolis feris noti: ſunt homines alij apud alios, nec ſolis ijs noti apud quos ſunt: item ſunt angeli apud homines, ſunt apud angelos, nec tamen ijs ſolis noti apud quos dicuntur eſſe: immo (vt dicam aliquid grauius) ſunt apud ignotos etiam ignoti. Et tibi, Samoſatene, apud aliquem eſſe, & ei ſoli, ſoli inquam notum eſſe, ſunt idẽ? De poſteriore videamus. Quàm multos noui, Deus bone, qui non ſunt apud me! qui nunquam fuerunt apud me! qui non ſunt in viuis! Tu quoque, Samoſatene, fieri poteſt vt patrem tuum noueris, ſi forte quum adoleuiſſes ſuperſtes fuit, & iam non ſit apud te. Sunt denique præſentes apud me noti: at etiam abſentes noui, & a me diſſitos longiſſimé. Re ergo & ratione hæ loquutiones inter ſe differunt: nec idem eſſe poſſunt. Non negamus coniunctas eſſe poſſe, nempe vt antecedens & conſequens. Non rarò enim accidit, vt priùs ad me quis veniat & ſit apud me, quàm ſit mihi cognitus. Sed ſi ita eſt, primùm non ſunt idem; quia non ſunt idem antecedens & conſequens. Secundò ne re quidem neceſſariò ſunt inter ſe idem; quia non eſt cohærentia illorum aut conſequentia ſemper neceſſaria: nam vtrumque fieri poteſt, vt & mihi innoteſcat qui nunquam ſit apud me, & ſit apud me qui nunquam cognoſcatur a me. Poſtremò quid ſi hæc duo toto genere differre demonſtremus? Certè eſſe apud aliquem, ſecundum hominem eſt

τ8 πϱὸ,

τοῦ πού, in prædicamẽto Vbi: cognoſci ab aliquo, paſſionis eſt. Itaque nulla ratione ſunt idem, cùm ſint ἀκόλουθα, & quidem μὴ ἀναγκαῖα, & ἐπιγενῆ. Falſæ igitur omnes interpretationes illæ, quæ a Samoſateno in aliquot Noui Teſtamenti locos productæ ſunt. Nam licet id concedamus, nota fuiſſe illa de quibus hæc loquutio ijs in locis enunciatur: nunquam tamen Samoſatenus inde confecturus eſt idem eſſe ſi dixeris, ſunt apud nos, & nota ſunt nobis. Atque hoc ipſum, velit nolit, cogitur agnoſcere, dum his verbis vtitur: *Sic quum Chriſtus rogaretur a Caiapha de doctrina, Matth. 26. & Marc. 14. reſpondit vt de ea quæ illis nota eſſe debuit, Semper docui apud vos in templo,*&c. O vim veritatis, quæ latêre non potuit, quin aduerſum pectus Samoſateni transfoderet. Apud quos docuit Chriſtus doctrinam ſuam, apud illos nota eſſe debuit. Debuit autem? ergo non fuit cognita, quamuis eſſe cognita debuerit. Antecedens fuit, quòd apud illos Chriſtus docuit doctrinam ſuam: conſequens, non quòd apud illos cognita fuerit, ſed quòd eſſe debuerit. Ex tuis ipſius verbis, Samoſatene, vinco alterum eſſe antecedens, alterum conſequens: tum eorum conſequentiam (vt antè dixi) non ſemper eſſe neceſſariam, ſed contingentem ſolùm, cùm hic fuerit antecedens, conſequens verò nõ fuerit, ſed eſſe debuerit. Atque hæc inter ſe idem te auctore dicemus eſſe? Deus meliora. Dices fortaſſe, *at in diuinis alia eſt ratio.* Eſto ſanè: tu igitur, mi homo, cur adducis, aliam rationem qui eſſe vides? Verumtamen vt alia ſit ratio humanarum diuinarúmque rerum, eſt tamen qualiſcunque analogia, cuius cauſa hæ loquutiones enunciatæ ſunt, retinenda. Eam, ſi placet, vide. *Eſſe apud hominem* humanitus, reipſa eſt τοῦ πού. *Filium eſſe apud Patrem* eſt περιχωρήσεως diuinæ, vt orthodoxi Patres nominant, quæ in perſonis diuinis habet quaſi rationem τοῦ πού, quum de-

mittuntur ſermones per quamdam analogiam ad rationem naturæ noſtræ. Eſſe apud hominem, eſt antecedens re & tempore, notum eſſe homini eſt conſequens: at eſſe Filium apud Patrem, & notum eſſe Patri, non differunt re & tempore (nam alioqui Deus nec ſimpliciſſimus, nec æternus eſſet) ſed ratione ſolùm, quo in diſcrimine rationis poſita eſt analogia. Poſtremò eſſe apud hominem, & cognitum eſſe homini, non habent conſequentiam inter ſe neceſſariã, quia reipſa alterum ſine altero inter homines eſſe poteſt: nam ignotus apud aliquem eſſe poteſt, & qui apud aliquem eſt fieri poteſt vt non cognoſcatur. Quapropter etiam ex analogia hęc duo, apud Deum eſſe, & Deo ſoli cognitum eſſe Filium, ratione omnino differunt. Aliud ad ſtabiliendam hanc interpretationem argumentum, quod Samoſatenus adducit, eſt à communi loquendi modo: quum *quæ neſcimus & certa putamus eſſe, illa reſpondemus apud Deum eſſe abſcondita,* &c. Verùm, ſi loquutionem Græcam, ſicut Ioannes ſcripſit, Græca lance Samoſatenus expendiſſet, cauiſſet profectò ipſe ſibi, ne in fallaciam figuræ dictionis incideret: quemadmodum hoc loco facit, vſum Græcę præpoſitionis πρὸς & Latinæ *apud* confundendo. Nam etſi interdum hæ duæ præpoſitiones inter ſe communicant ſignificatione, frequentiùs tamen aliud hanc quàm illam ſignificare comperiſſet. Ex quo ſequitur, tum quæ de Latino *apud* hîc narrantur nihil efficere, tum proprietatem Græci vocabuli πρὸς ſeruari oportere. Πρὸς autem, vt tradunt Grammatici, & Varinus ex Euſtathio & Eſychio colligit, πρὸς τὸ ἔμψυχον κίνησιν, ἢ ὕπαρξιν, ἢ ἐνέργειαν denotat, hoc eſt, aut motum, aut exiſtentiam, aut actum, qui ad rem animatam viuentémque reſpiciat. Hîc autem de Deo viuente agitur: vnus ergo ex iſtis modus in hac loquutione obſeruandus. Non autem de motu, non de energîa dicitur Ser-

monis

monis apud Patrem, vel Samoſateno iudice: igitur de exiſtentia. Si enim de motu aut energîa diceretur, & dici concederet, eâdem hæc etiam conceſſurus eſſet, Sermonem per ſe ſubſtitiſſe, Deo motum aut energiam alienam accidiſſe (cùm iſtis hominibus Sermo non ſit Deus eſſentialiter) ac proinde non eſſe Deum immutabilem, ſimpliciſſimum, & alia multa quæ apud omneis in confeſſo ſunt. Cùm itaq; dicantur iſta de exiſtentia perſonæ Chriſti in Patre, quo iure ad cognitionem ea Samoſatenus referat, qua Sermo eſt Patri cognitus? Hoc neque exiſtentiæ, neque motus, neque actus, neque actionis eſt, ſed paſſionis puræ. Paſſionem verò hac conſtructione dici hactenus ignorauerunt probati auctores Græci: quid ergo hac interpretatione facias? Quòd ſi etiam ea exempla, quæ in hunc locum Samoſatenus contulit, ampliùs expenderit, duo hæc comperturus eſt: primùm vbicunque eſt πρὸς, hanc interpretationem quam modò diximus, ſeruari oportere: ſecundò vbicunque aliter accipitur Latinum *apud*, id non præpoſitione πρὸς, ſed potiùs παρὰ, vt Luc. 1. 37. expreſſum a Græcis legi. Non enim, ſi Græcè illud velis exprimere, apud Deum ſunt omnia, &c. conuenienter & κυριολεκτῶς dixeris, πρὸς θεὸν πάντα ἐστι, ſed παρὰ θεῷ. Fruſtra igitur de accumulandis exemplis partim alienis, partímque malè intellectis & tortis Samoſatenus laborauit. οὐδὲν ὑγιές. Poſtremum argumentum eſt a voce, *erat*. *Dixiſſet ergo Ioannes*, inquit ille, *& fuiſſe & nunc eſſe in cælo Chriſtum apud Deum, non tantùm fuiſſe in principio. Mentiretur enim,* &c. tamquam ſi diceret, *Quiſquis eum qui fuit & eſt, fuiſſe dicit, mentitur: Ioannes Sermonem, qui ſecundùm illud dogma veſtrum fuit & eſt, fuiſſe dicit: & non mentiatur ſecundùm veſtram hypotheſin?* Reſpondeo duobus modis. Primùm etiam in rebus creatis & naturalibus maior eſt falſiſſima, & oppoſitum in appo-

sito, vt vocant, continet. Nam quisquis personam aut rem aliquam fuisse dicit, nō negat propriè eamdem esse; præsertim quum temporalis aliqua accedit determinatio, vt quum dicit Ioannes, *in principio erat*: determinatè enim de Sermone agitur, quà erat iam in principio, & apud Deum, & Deus. Quum autem ex præteriti simplice affirmatione, id est, sublata determinatione, præsens remotio rei statuitur, fuit, non est igitur: hæc non propria loquutio, sed figurata, quam noëmaticam Quinctilianus vocat, dicenda est: vt quum Romani dicerent, vixit, & similia multa. Quapropter optimè Logici docuerunt, a parte ad totum in quantitate non valere consequentiā: nec conclusionem fore necessariam, si ita dixeris, *fuit, non igitur est, nec erit: est, ergo nec fuit, nec erit: erit, nec fuit igitur, nec est.* Secundò in rebus diuinis, atque adeò in Metaphysicis, quoties περὶ ὑπάρξεως earum agitur (quam præpositione πρὸς demonstrari antè docuimus) siue de earum existentia, pro ratione subiecti prædicatum oportet accipi. Cùm autem res Metaphysicæ secundùm existentiam ipsarum nunquam intereant; omnino prædicatum, quocunque tempore verbum enuncietur de existentia, omnia tempora facultate subiecti complectitur: *erat, vel fuit spiritus, Angelus, &c. ergo est & erit.* Hæc autem ratio in rebus metaphysicis necessariò si obtinet, multo magis eam in diuinis seruari necesse est: *erat Sermo in principio apud Deum, est igitur & erit qui in principio erat.* Malitiosa itaque, horrenda, impia est eorum calumnia, qui a natura rerum intereuntium argumentationes de diuinis, id est æternis immutabilibusque, nectunt, & falsis etiam in rerum natura suppositionibus oppugnāt veritatem Dei. Nam Deus est extra & supra omne tempus: sed balbutientes de eo tempora enunciamus, quia aliter non possumus. Etsi in hoc temporum vsu ortho-

doxi

doxi Patres conuenienter Scripturæ,& religiosè plurimũ illud obseruarunt, vt verbum substantiuum per tempus præsens de æterna Dei immutabilitate diceretur: de æternitate sine principio, per præteritum: de æternitate sine fine, per futurum: de omni denique æternitate & immutabilitate eius, per omnia tempora: vt Apoc. 1. *qui est, qui fuit & qui futurus est:* quod appellatione Iehouæ Hebræi designabant, vt Defensione 2. diximus segmento 13. Hîc autem, cùm non simpliciter dicatur, *erat*, sed addatur determinatio, *in principio*, quis homo non videt ex natura determinationis istius præteritum tempus, non autem præsens aut futurum, hoc loco fuisse vsurpandum? Atque hæc de argumentis Samosateni, quàm potuit fieri breuissimé. 12. Axioma istud & corollarium a Samosateno additum summam hominis audaciam ostendit in corrumpendis Scripturæ locis, & veritati repugnat plané. Nam primùm duo confunduntur locorum genera, quorum differentiam vel pueri videre possunt. Vnum genus est relationis internæ, Filij ad Patrem: alterum, relationis externæ, Filij a Patre ad homines: quarum prior relatio mutua, posterior non mutua appellatur. Relationis internæ sunt ista, *erat apud Deum, est in Patre, est in sinu Patris, est in cælo:* Externæ verò hæc, *est ex Deo, a Deo processit, a Deo venit, a Patre exiuit, descendit de cælo*, & si qua sunt eiusmodi. Nam mutua quidem est relatio, & quidem realis (vt vocant) Filij ad Patrem, & Patris ad Filium, at non item Dei ad creaturas suas: quæ cùm a Deo omnino pendeant, relationem ad ipsum realem habent, non Deus ad ipsas. Secundò etiam in ijs quæ relationis internæ sunt, confunduntur dicta de subsistentia personali καθ' ἐνάλληλον περιχώρησιν (vt vocabant Patres) cum dictis de communitate essentiæ ac proprietatum ipsius. Nã loquutiones istæ, *Sermo erat apud Deum*, Ioan. 1. *ego sum in Patre, &*

Pater est in me, Ioan. 14. de subsistẽtia personali, & ἐναλλήλῳ existentia: hæ verò, *est in sinu Patris, est in cælo*, Ioan. 1. & 3. de communi scientia rerum diuinarum omnium dicuntur figuratè, quæ scientia essentialis est, non autem particulariter ad hanc personam aut illam pertinens. Quum enim diceret Ioannes, *vnigenitus ille Filius qui est in sinu Patris, ille exposuit nobis*, humano loquendi modo ostẽdebat, Filio sinum Patris, id est, consilia intima & singula sine exceptione amantissimè esse exposita, tanquam si quis Filius hîc de sinu Patris sui blandissimè & familiarissimè depromeret. Quum item diceret *Filium hominis in cælo esse*, humano loquẽdi more per metalepsin consequentis demonstrauit Christus, sibi præsentissimam esse rerum omnium cœlestium diuinorúmque mysteriorum scientiam planè diuinam, vt qui in terra agens versaretur in cœlis, & nihil non in cœlis cognosceret. Hæc ipsi loci ita confirmant manifestò, vt cæcum esse vltrò oporteat qui lucem huius interpretationis e loco natam depulerit. Tertiò in ijs quæ externæ relationis sunt, par etiam conturbatio a Samosateno inuecta est. Ista enim omnia, *est ex Deo, siue a Deo*, Ioan. 6. 46. *Ego a Deo profectus sum, & veni*, siue *processi & veni*, Ioan. 8. 42. *ego exiui a Deo*, Ioan. 16. 27. ista inquam relationem vtramque denotant, internam & externam: sed ad externam respiciunt maximè, atque ad eam terminantur. Est enim Deus Pater (vt loquuntur) terminus a quo est, processit, venit, exiuit Filius: est autẽ in nobis idem Filius, venit, processit, exiuit ad nos, velut terminum ad quem: quia ad nos docendum, redimendũ, & seruandum a Patre missus est: ad hunc enim finem officiúmque maximè Christus illis in locis respexerat. Ille autem postremus locus, *descendit de cælo*, interdum illud idem significat, interdum aliud. Idem quum significat, dicitur synecdochicè, quia etiam Pater & Spiritus dicuntur

cuntur descendere, vt Genes. 11. & alibi: Christus autem descendens de cœlo, a Patre creditur descendere, quia idem Filius qui descendit e cœlo, a Patre venit, vt Ioan. 6. Quum autem aliud significat, est νόημα ἀνθρώπινον, vt Ioan. 3. (de noemate paulo antè ex Quinctiliano diximus) & nihil aliud significat quàm mysteria regni cœlorum inde allata exponere: vt contrà *ascendere in cœlum* metaphoricè est eadem mysteria penitus recognoscere, & habere ea tamquam in numerato singula. Sic enim Christus loquutus est Ioan. 3. 12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si cœlestia dixero vobis, credetis?* & huius dicti rationem Nicodemo afferens, *nullus enim ascendit in cœlum,* inquit, *nisi qui descendit de cœlo, nempe Filius hominis qui est in cœlo.* Postremò quòd has omneis loquutiones Samosatenus promiscuè interpretatur pro eo quod est, a Deo edoctus & sanctificatus est, id certè nimis dilutum ad exprimendam tanti mysterij & dispensationis illius diuinæ dignitatē: cùm his ferme singulis loquutionibus & summa illa ac diuina planè relatio inter Patrem & Filium in vnitate essentiæ concludatur, & Patris in Filio communicatio cum suis creaturis, inprimis autem cum electis omnibus demonstretur omnimoda ad gloriam suam, nō autem doctrinæ solùm (quod iste putat) & sanctificationis in ipso. Sed vt nunc sunt tempora, nihil bonum istis hominibus, nisi interpolatum ex miseris priscorum hæreticorum ruderibus. Alterum scriptum nihil est aliud quàm superioris epitoma. Nam resectis ijs quæ aut displicebant, aut nocitura causæ videbantur, vnicam interpretationem retinuit quam magis probandam iudicauit, & nos confutauimus. Sed eamdem incudem noluimus tundere. Quòd autem posteà aliquot comportat locos, quorum alij de verbo scripto, non de Sermone æterno Dei, alij de Christo sic argumentantur, manifesta- M. 5.

tum fuisse illum his vltimis temporibus, tum ergo fuisse primum: hæc quàm sint puerilia & ludicra, ex antecedentibus facilè quiuis cogniturus est. Nam priore argumentationis genere, per æquiuocationem fallit: posteriore, nulla est consequentia, sed falsa planè argumentatio nectitur, vt copiosè nota 1. segmenti huius ostendimus.

SAMOSATENVS. 5.

Et Sermo ille erat Deus.

ARTICVLVS *additus est Sermoni, vt subiectum esse de quo Deus prædicatur, intelligatur. Absolutè nomen Dei in Scripturis tribuitur interdum Christo; Patri verò per se primò, quia vnus & solus Deus est, præter quem nullus est alius, qui sit a seipso altissimus, & ex quo omnia. Reliquos ergo omnes, quicunque sint tandem siue Dij, siue Domini, ex illo esse oportet: hoc illi omnes debent, ipse autem a nullo pendens hoc nemini debet, 1. Cor. 8.* [1] *Quare & Deus Deorum dicitur, & Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, caputque eius, Ephes. 1. & 1. Cor. 11.* [2] *Dicitur & solus esse super omneis, per omnia, & in omnibus, Ephes. 4. a nullo factus, nec constitutus, nec electus, nec præordinatus, nec sanctificatus a quoquam, nec exaltatus, nec missus, vel obediens alicui factus: nullum enim se maiorem habet.* [3] *Quæ omnia prædicta Christo filio Dei ex Maria nato, non alteri, tribuit apertè Scriptura: talémque nobis pingit, vt qui omnia a Patre accepta habeat, & ipse totus Patris sit: ab eo enim est factus filius ex semine Dauid, ex muliere, Roman. 1. Galat. 4. ab eo est factus Dominus & Christus, Actor. 2. cui Pater dedit nomen supra omne nomen, vt adoretur, eo quòd Patri obediens fuit ad mortem crucis, Philip. 2. factus nobis sapientia, iustitia pax a Deo, 1. Cor. 1. Est a Deo quoque datus nobis Magister & Pastor, vt doceat, nequis audiens illum aberret: datus Seruator, Rex, & caput, ne quem perdat: quare & in eo thesauri omnes sunt absconditi scientiæ Dei, Coloss. 2 & tanta poten-*

ta potentia (dominium enim in cœlo & in terra a Patre habet, Matth. 28.) vt neminem fallat, vt omneis sibi datos seruet, & eâq; ratione Dominus verè dicatur & Rex, tum Deus noster a Patre vnctus: cui & omnia subiecit (seipsum tantùm excipiendo) vt postremò nos regnumq; suum, deuictis hostibus & morte, reddat Deo & Patri, ex quo accepit, vt sit ille Deus omnia in omnibus, 1. Cor. 15. Hæc est Christi solius prærogatiua & dignitas, quam totam a Patre accepit; in qua illi nemo, post illum vnum Deum Patrem, æquandus. Et hac ratione, & non alia, Filius Dei est Deus, Dominus, & Christus, Rex, Sacerdos, caput, Propheta, quòd a Deo sit hoc totum factus, nobísque datus, constitutus, & sanctificatus, & ab æterno destinatus, vt esset Messias, Seruator, omniumq; Dominus, & per quem omnia nobis largiretur Pater. Hoc qui de Christo non sentit, & tamen illum a seipso Deum esse credit, duos Deos inducit, & Patrem summa afficit contumelia.

M S.

Et Deus erat Verbum.

Hoc nomen, Deus, apud Hebræos non est nomen substantiæ proprium aut personæ, sed auctoritatis, dignitatis, ac beneficentiæ. Apud Græcos θεὸς dicitur, quòd opem ferat: vnde antiquitas nihil aliud existimabat esse Deum, quàm prodesse mortalibus: & ideò vocabant illum Deum, qui aliquid ad vitæ commoda attulisset. Inde etiam ortum est prouerbium, homo homini Deus. In diuinis autem literis quando hoc nomen tribuitur illi summo omnium auctori Deo, tunc nihil aliud significat quàm ipsum Deum agnoscendum esse pro fonte, origine, liberatore, atque largitore omnium bonorum. Aliquando tribuitur Angelis ac hominibus, quatenus ab illo primo omnium auctore ad aliquam functionem, honorem, & potestatem euehuntur: non enim alia ratione Angeli & Principes dij vocantur. Sic Moses constituitur Deus super Pharaonem, &c. Quan-

tum verò ad Christum attinet, asserere ipsum ita Deum esse vt habeatur pro illo summo altissimóque omnium auctore, extrema est impietas. Nam in Scripturis diuinis solus ille Pater inuisibilis ac omnipotens Iehoua hoc honore insignitur. Ideò Paulus ad Corinthios dicebat, Quamuis sint multi dij, &c. tamen nobis vnus est Deus, nempe Pater ille a quo omnia, & vnus Iesus Christus per quem omnia. Item 1. ad Timoth. 2. Vnus enim est Deus, vnus etiam Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Est quidem & Christus Deus, at non ille primus a seipso Deus. Christus ergo Deus esse dicitur ratione sanctificationis, honoris, ac potestatis, gloriæ demum, ac maiestatis ab illo primo altissimóque omnium auctore Patre Deo accepta. Non est tamen Christus redigendus in ordinem Angelorum ac hominum, qui hoc Dei nomine insigniti fuere: quia longè maiorem ac excellentiorem honorem, potestatem, gloriam, ac maiestatem a Deo Patre suo accepit, quàm nemo alius, nec omnes simul qui nominati sunt, siue ex Angelis, siue ex hominibus fuerint. Hoc ipsum in genere probat ex comparatione facta per Paulum ad Hebr. inter ipsum Christum Dei filium ac Angelos ac Mosem. Legitur prætereà spiritum accepisse sine mensura, ita vt de eius plenitudine omnes acceperint: item quòd Pater omnia in manum illi dederit: item data fuit illi omnis potestas in cœlo & in terra. Paulus ad Philipp. scribit Deum extulisse illum, ac illi dedisse nomen quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. Quin ibidem Paulus subiungit in quem finem ista omnia ipsi dederit Deus: nempe, inquit, vt omnis lingua confiteatur quòd Dominus Iesus est Christus ad gloriam Dei Patris. Locus hic tam clarus est, vt iure cauillari non possit: qui si bene teneatur, solui facilè poterunt omnes alij loci qui de Christi dignitate & excellentia loquuntur: nam ita semper intelligi debent, vt altissimo illi Patri Deo omnium auctori sua sit salua gloria. Idem Paulus ad Colos. 1. dicit esse imaginem inuisibilis

Dei,

Dei, primogenitum omnis creaturæ, in ipso creata esse omnia tum quæ in terris, tum quæ in cœlis, visibilia & inuisibilia, thronos, dominationes, principatus, & potestates: omnia per illum & in illum creata esse, & ipsum esse ante omnia, ac in ipso omnia consistere: esse caput corporis Ecclesiæ, principium, primogenitum ex mortuis: ipsum in omnibus primas tenere. Et ne quis putaret huiusmodi prærogatiuas ac excellentias esse ipsius Christi proprias, statim sese declarans ibidē subdit: *Quoniam, inquit, placuit Deo in ipso omnem plenitudinem inhabitare, ac per ipsum omnia reconciliare sibi.* Idem Paulus ad Hebr. dicit ipsum esse splendorem Dei, ac characterem substantiæ eius, portaréque omnia verbo suo potenti, & quæ sequuntur. Sunt & alia in hanc sententiam testimonia: sed præcipua allegasse sufficiat. Duo tamen subiungam, quæ sunt ipsius Ioannis: in Apocal. vbi dicit, *Dignus est Agnus accipere omnem virtutem ac diuitias, sapientiam, ac fortitudinem, honorem, gloriam, ac benedictionem.* Sed quod omnem scrupulum eximit, est alterum: quia quum in Ioanne Christus ipse a Iudæis accusaretur, quòd se Deum faceret, respondit, *Nonne scriptum est in Lege, ego dixi, dij estis? Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura: quem Pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum?* Quibus verbis non negauit se Deum esse sed deitatis ac filiationis suæ rationem explicuit, eámque primariam ac verissimam: & quia homo erat, non aliam deitatis filiationisq; rationem sibi tribuit, quàm quæ à Deo per sanctificationem sibi, vti homini, concederetur. Ista auctoritas tam perspicua ac clara est, vt siquis illam cauillari contendat, plus quàm peruicacissimum se prodat. Quòd si Moses, Aaron, ac Principes dij sunt dicti propter auctoritatem ac potestatem a Deo sibi concessam, quanto magis Dei filius Christus tam præclaris ac stupendis virtutibus a Patre Deo suo exornatus erit omnium Dominus ac Deus? Ideò Petrus in Actis dicebat, certò sciat

tota domus Israël, quòd hunc Iesum fecerit Deus Christum ac Dominum, quem vos crucifixistis. Hinc mirum non est, si Pater ille gloriæ in Apostolicis literis vocatur Deus Domini nostri Iesu Christi: sed omnium clarissimè apud Paulum, & præcipuè Ephes. 1. cap. Sed quid, quòd magister ipse veritatis Christus ore proprio apertissimè dixit? ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Immò etiam collocatus ad dexteram Dei Patris gubernat Dei Ecclesiam, non vti principalis auctor ac Dominus, sed veluti vicarius. Propterea in die iudicij restituet (quemadmodum scripsit Paulus) regnum Patri, subditúsque illi erit. Adde quod Christus nusquam docuit se esse Deum illum omnium auctorem, sed semper in omnibus suis verbis ac factis omnem laudem & honorem Patri Deo suo detulit, vt ex Euangelistarum scriptis liquet. Vnde perpetuò notandum est, quòd omnes prærogatiuæ ac excellentiæ, quæ in Scripturis Christo attribui leguntur, non vti Deo illi summo omnium auctori, sed vti Mediatori nobis a Deo constituto attribuendæ sunt. Et hac ratione nunquam errari poterit. Et si rogetur, quando Christus a Patre Deo suo huiusmodi potestatem, gloriam, ac maiestatem acceperit, diuus Petrus epist. 2. cap. 1. exponit. Accepit enim, inquit, a Deo Patre honorem ac gloriam voce delapsa ad eum huiusmodi, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite: & hanc vocem, inquit, nos audiuimus, quum essemus cum ipso in monte sancto. Habes igitur, qua ratione Christus sit Deus.

ORTHODOXVS.

Quòd hæc verba Samosatenus prior de sua sede transtulit, non temere id, sed artificiosè & certo consilio factum, vt in antecedentem locum monuimus. Sic enim se putauit faciliùs assequuturum quod tentat: nimirum vt persuadeat non esse Christum (quod ex Scripturis docemus)

cemus) a principio λόγον Dei Patris, nec esse a principio apud Deum; sed ex quo a Patre missus est & perfunctus apud homines vocatione sua, factum esse ab illo Deum, id est, non natura, sed voluntate, non essentialiter, sed effectiuè, non per se, sed per communicationem a Patre, nõ propriè, sed figuratè Deum appellari. Horret animus cogitantis & reputantis istam audaciam, qua & Dei gloria traditur alteri quàm vero & essentiali Deo, contra quàm apud Prophetas centies iurauit Deus; & tota Scriptura de Christo Filio Dei æterno obscuratur, corrumpitur, atque peruertitur, vt verbis Samosateni vtar, & Christus Dei filius exstirpatur funditus, & secundus Deus extra essentiam Dei introducitur ad abolendum illum solum verum Deum essentia vnicum, personis trinum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; & fides nostra ac cõmunis salus, quæ finis est fidei nostræ, labefactatur quàm indignissimé. Sed ad rem. De articulo quod dicit, bene est: Et illud bene, quòd nomen Dei (addo etiam Iehouæ nomen extra essentiam incommunicabile, quia est essentiæ) absolutè in Scripturis tribuitur interdum Christo. At sequentia ferme omnia captionum laqueis abundant, vt quum ait, *Patri verò per se primò tribuitur, quia vnus & solus Deus est, præter quem nullus est alius qui sit a seipso altißimus, & ex quo omnia.* Quapropter primùm mẽbrorum singulorum, tum verò vniuersæ argumentationis veritatem exponemus. Nomen Dei Samosatenus ait *Patri primò per se tribui.* Ac Dei quidem nomen tribui personæ Patris, inter nos conuenit: sed *primò & per se* quum dicitur, aut diuinæ essentiæ, aut personæ respectu dicitur & notionalis actus ipsius, vt vocant Scholastici. Respectu diuinæ essentiæ, quæ vnica est trium personarum communis, non solùm Pater, sed & Filius, & Spiritus sanctus primò & per se Deus est. Nam vt particulare

ſecundùm Logicos nec deminuit, nec dilatat rationem communis, ſic perſonæ vnius ratio rationem immutare non poteſt eſſentiæ. Reſpectu verò perſonæ & notionalis actus quem operatur perſona Patris in gignendo Filio & ſpirando Spritu, Pater, qui ſecundùm eſſentiæ vnius communitatem Deus eſt cum Filio & Spiritu ſancto, non primò & per ſe Deus dicendus eſt, ſi propriè ex relationis natura velimus loqui; ſed primò & per ſe Pater: ac proinde Deus Pater, vt in Scripturis appellatur paſſim, ſecundùm eſſentiam Deus, ſecundùm perſonam actúmque ſuum notionalem Pater. Itaque ſi dixeris, Qui Deus eſt, primò & per ſe Deus eſt; veriſſima eſt propoſitio eáque communis Patri, Filio, & Spiritui ſancto. Si item, Pater primò & per ſe Deus eſt, & hæc veriſſima: nã commune de particulari dicitur citra excluſionem communicantium, Filij, & Spiritus ſancti, eſſentiale de perſona: cùm etiam commodè eodem iure poſſimus dicere, Filius primò & per ſe Deus eſt, itémque Spiritus ſanctus. Sed fallit hoc loco Samoſatenus duobus modis: primùm quòd in hac propoſitione, *nomen Dei Patri primò per ſe tribui*, tacitè ineſſe ſtatuit vocem excluſiuam ſolùm, cámque vi iſtarum vocum, *primò per ſe*, quodammodo contineri: ſecundò quòd iſtas voces, *primò & per ſe*, aliter accipit, & alio reſpectu, quàm conuenit argumento. Prius falſiſſimum eſt. Quid enim? an ignorat iſte voces communes, ac non ſingulares & indiuiduales, in re Logica ſpectari oportere? Singulare eſt Petrus, Ioannes, &c. commune homo. De Petro, de Ioanne quum agit Logicus, ſecundùm rationem communis agit, puta hominis, animalis, &c. Quemadmodum autem Petrus e ratione hominis non excludit Ioannem, ſic etiam perſona e ratione deitatis ſiue eſſentiæ diuinæ non excludit perſonam. Etenim quis argumentantem in hunc modum audiat? *Ioannes*

nes

nus est homo: non igitur Petrus homo est. Homo est animal: leo igitur non est animal. Multo minùs audiendus a nobis fuerit qui dicet, *Pater est primò & per se Deus: Filius ergo non est primò & per se Deus.* Posterius vitium (æquiuocatio enim indigna atque inscita est) quicquid obtendatur, non magis potest excusari. Vnum alteri primò tribuitur, quòd illius est sine alia consequutione vlla accedente: per se verò tribuitur, quod non per accidens. Illo consequutio prioritatis naturæ (vt vocant) excluditur: hoc, ratio accidentium. Deus de Patre dicitur: & consequitur naturâ primò, vt Pater sit Deus, non autem vice versa, vt Deus sit Pater solus excluso Filio & Spiritu sancto: quia prædicatum non est adæquatum, vt loquuntur, cùm Deus sit commune totius essentiæ, & vox Pater sit indiuidualis personæ. Hoc illud est quod Logici appellant dici primò de aliquo, aut primò alicui tribui. Vafrè autem illudit, tamquam præstigijs, iste σπερμόλογος confundens terminos artium, quum vocem primò Logicè vsurpatam de consequutione vocum in sermone nostro, ad naturam subiecti transfert, adfirmans nomen Dei Patri primò tribui, quia videlicet primus tempore, & causa, & dignitate est, adeóque verus Deus solus, vt ipse loquitur illudens veritati. Logicè enim primò de Patre, Filio, & Spiritu sancto prædicatur nomen Dei: Theologicè verò secundum distinctionem personarum quam ex Scripturis didicimus, & proprietates notionales ipsarum, Pater primò vel potiùs (nam illud non sine vitio dicitur) primus Deus est non tempore, consequutione, aut dignitate, sed ordine naturæ, quà est Pater Filij, & spirans Spiritum: cui naturæ etiam respondet œconomia, id est, dispositio interna & externa dispensatio, vt orthodoxi Patres olim loquuti sunt. Logicus, quid de quo dicatur etiam primò, obseruat Logicè: Theologus, quid sit quod dicitur, ob-

seruat Theologicè in Logica enunciatione. Eadem quoque fallacia est in vocibus, *per se*, quæ in hac enunciatione sunt. Aliud enim est per se dici, prædicatum puta de subiecto, aliud per se esse, subiectum puta quod agitur: quæ duo tamen Samosatenus confundit insciente, an malitiosé? Per se autem dicuntur de subiecto, siue prædicantur, primùm quæcunque insunt in eo quod quid est, hoc est, & in subiecto, & in definitione illius: sic Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus: prædicatum istud, Deum esse, de subiecto per se dicitur, nimirum quia prædicatum essentiale est, qui primus apud Logicos eorum est quæ per se dicuntur modus. Secundò per se dicuntur de subiecto ea prædicata quæ subiecto insunt, & ita quidem insunt vt definiri aliter nō possint quàm mentione subiecti facta. Sic Deus est summum bonum, creator, & siqua sunt eiusmodi. Hîc enim prædicata ista subiecto insunt, eáque definiri siquando opus est, non aliter definias quàm Dei mentione facta. Nam & summum bonum, & Creator Deus est: nec alia via summum bonum & Creator rectè definiri potest. Tertiò per se de subiecto dicuntur, quæ non dicuntur de subiecto alio aliquo, sed ipsius subiecti ὕπαρξιν, existentiam & ipsum esse substantiarum siue primarum, siue secundarū denotant. Sic homo est, id est, substat: Ioannes est, id est, subsistit. Deus est, id est, substat: Pater est, Filius est, id est, subsistit. Atque hic modus dicendi per se, communis est omnium enunciationum basis, & fundamentum summum. Postremò autem per se de subiecto dicuntur, quæ propter ipsa insunt subiecto: quo in genere externæ causæ, efficiens & finalis, earúmque effecta continentur. His enim conditio siue limitatio eiusmodi inter subiectum & attributum conficitur, vt attributum illud non possit intelligi nisi facta mentione subiecti, cui sua conditio adiuncta est. Di-

cam

cam familiariùs diuerso ordine. Per se prædicationes dicuntur quatuor modis: quorum duo sunt de esse subiecti, duo de ratione illius. De esse subiecti dicuntur, primùm ὕπαρξις, existentia, subiectum puta substare aut subsistere: atque hic modus Aristotelis Logicorumq; tertius: secundò quod essentiale est subiecti, pertinens ad definitionem & constitutionem illius: atq; hic modus illorum primus. De ratione verò subiecti prædicantur, primùm ἴδιον vel accidens (vt vocant) proprium, quod definiri citra subiecti mentionem non potest: atq; hic secundus illis modus: deinde causans & causatum, qui postremus est illorum modus. Secundùm modum hyparxeos & Deus per se est, vt substantia vel essentia ὑπερούσιος, & Pater per se est, vt subsistentia siue persona subsistens in vnica illa essentia Dei, & Filius per se est, & Spiritus sanctus consimiliter: subsistit enim vnaquæq; persona in vnitate essentiæ. Secundum τὸ οὐσιῶδες, & Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus: & e diuerso Pater est Deus, Filius est Deus, & Spiritus sanctus Deus, & quidem Deus per se subsistens in vnitate essentiæ. Secundùm τὸ ἰδίωμα, Pater non dicitur Deus per se (nam hoc ad modum illum minimè pertinet) sed Pater per se, siue principium æternùm gignens Filium: & Filius quoque non dicitur Deus per se, sed Filius appellatur æternùm genitus à Patre. Secundùm τὸ αἴτιον non nisi impropriè Pater Deus per se appellari potest, vt causa Filij: quia nomen causæ videtur importare diuersitatem substantiæ, & dependentiam quamdam vnius ab altero, adeóque differentiam inter causam & id cuius est causa secundùm perfectionem aut virtutem aliquam. Hinc fit vt *Deus per se* de Patre prædicari non possit, tanquam si paternitas ipsius causa esset cur sit Deus: cùm Pater, quà Deus ac nō persona solùm, vnica sit causa causarum & principium principiorum a nemine pendens, sed habens o-

omnia a se dependētia. Pater ergo substat per se, vt Deus, & subsistit vt persona: similitérque Filius substat per se vt Deus, & subsistit vt persona καθ' ὕπαρξιν: & Spiritus sanctus consimiliter. Κατὰ τὸ οὐσιῶδες autem Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus Deus: nomen Dei per se de personis subsistentibus prædicatur. Quicunque dicendi per se prætereà sunt modi, ij ad quæstionem hanc minimè pertinent. Sed hîc latet Samosateniana captio, quòd loquutione hac *per se*, vt voce *primò* antè abutitur. Nō enim simpliciter illud *per se* & Logicè accipit, sed altera interpretatione studiosè insidiatur piorū mentibus, vt statim intelligant Patrem esse Deum primò & per se, id est, non ab alio: Filium verò non a se aut per se, sed ab alio esse Deum communicatione gratiæ. Hoc Samosateni cōsilium esse demonstrant verba proximè sequentia, quum ait, *nullus est alius qui sit a seipso Altißimus*, &c. Atqui, vir bone, non ignoras aliud esse per se dici Logicè, aliud per se esse, cùm illud prædicationum modū spectet, hoc naturam rerum. Tum etiam nec illud ignoras, aliud loquutione *per se*, aliud loquutione *a se* solere significare, cùm illud essentiæ, hoc sit originis. Apage istas argutias & sphingas verborum, quibus nō perducūtur ad veritatem, sed circumueniuntur imperiti. Sequitur, *quia vnus & solus Deus est*: ambiguè, vt & Defensione 2. ostendimus. Nam hæc verba aut de Deo essentialiter dicuntur, aut de persona Patris. Si de Deo essentialiter, nihil verius: nam etiam Deus essentialiter sancta & adoranda Trinitas appellatur. Sin de persona Patris, iterum ambiguè. Nam illa verba, *vnus & solus*, aut subiecto hærent, vnus & solus Pater (excluso videlicet Filio & Spiritu sancto) est Deus, aut prædicato, Pater est vnus & solus Deus. Prius negamus: nam & Filius Deus est, & Spiritus sanctus est Deus vt Pater. Posterius distinguimus: aut enim accipitur Deus essentialiter,

tialiter, Pater est is Deus, id est, ea persona deitatis, quæ deitas est vnus & solus Deus essentialiter: atque hoc verissimum: aut prædicatum accipitur personaliter vt determinatum subiecto, quasi dicas, persona Patris vnica est vnus & solus Deus: quam enunciationem Deo ipso auctore pernegamus. Addit, *præter quem nullus est alius qui sit a seipso altissimus, & ex quo omnia.* Quod enunciatum verum agnoscimus de Deo essentialiter, de persona Patris distinguimus. Nam si verbum *est* secundùm naturam essentiæ dicitur pro eo quod Scholastici dicunt substare, cùm vna sit essentia Patris, Filij, & Spiritus sancti, eáque a nullo sit omnino Filius & Spiritus sanctus, secundùm essentiam a nullo sunt vt Pater, vel (vt Samosatenus loquitur) a seipsis sunt: nam sunt cum Patre vnum. Sin autem secundùm rationem personæ dicitur, *nullus est alius*, pro eo quod est subsistit, & fit eius cum Filio & Spiritu sancto comparatio, cùm persona Patris sit a nullo, persona Filij sit a Patre, & persona sancti Spiritus ab vtraque, verè dicitur de Patre instituta illa personarum comparatione inter se, nullum esse alium qui sit a seipso, id autē est, a nullo: sola enim persona Patris a nullo est. De altissimi nomine iam antè diximus Defensionis 2. segmento 6. Illud verò quod pòst adijcitur, *& ex quo omnia*, captiosum est duobus modis: tum quia *omnia* quum dicuntur, relatio fit propriè & oppositio Dei ad creaturas, hic verò oppositionem instituit etiam Patris ad Filium & Spiritum sanctum, & appellatione *omnium* ipsum quoque Filium complectitur, per quem sunt omnia & qui est supra omnia ὑπερούσιος: tum quia ex Patre solo, tamquam Deo solo (excluso Filio & Spiritu sancto) omnia affirmat esse: id est, opus essentiæ totius, ac proinde commune personarum in essentia subsistentium singulare statuit esse personæ Patris: contra quàm præcipiunt

Logici ex communi efficiens particulare, vt iam aliquoties antehac diximus. Hîc verò dicturi sunt, atqui hæc singula ipsissima sunt Scripturæ verba, Ioan. 17. 3. & 1. Cor. 8. 4. & 1. Tim. 2. 5. & alijs prætereà locis. Scripturam sacram agnoscimus: sed confunduntur quæ diuisa sunt, & germana eorum sententia omittitur. De his autem singulis Scripturæ locis in Defensione 2. diximus segmento 4. & 10. & alibi passim. Ex Ioannis 17. hic nunquam probaturus est solum Patrem esse Deum, solam inquam personam Patris, sed Patrem esse Deum illum qui solus est essentia Deus: quod etiam personæ Filij & Spiritus sancti commune est. Quòd si rem Samosatenus penitiùs introspexerit, videbit a se fallaciā diuisionis cōmitti in hac sua interpretatione. Nā hæ voces, *illum esse solum verum Deum*, non de solo Patre, sola persona illius prædicantur, sed ἀπὸ κοινοῦ de Patre & Filio sunt enunciatæ: *vt cognoscant*, inquit, *te & quem misisti Iesum Christum esse illum solum verū Deum*, personas videlicet distinctas in vnitate essentiæ. Sic autem de Christo accipi oportere, qui cùm sit natura Deus, œconomia vel dispensatione propter nos homines & salutem nostram seipsum exinaniuit, demonstrant ea quæ proximè sequuntur versu 5. *glorifica me tu, Pater, apud te metipsum ea gloria, quam habui apud te prius quàm hic mundus existeret:* quæ verba ad præordinationem referri est iniquissimum, & a vocibus illis, *quam habui apud te*, &c. totáque substantia verborum Christi alienissimum. Illa quoque, 1. Cor. 8. *nullus est Deus alius nisi vnus*, sanctissimè credimus atque confitemur. Nam *Deus* essentialis est appellatio: *esse* est substare, hîc de essentia dictum; non autem subsistere, quod personarum est, in quibus substat essentia, & de quibus essentia dicitur. Demonstrat hoc Paulus oppositione idolorum essentiæ cum Deo, *Scimus*, inquit, *idolum nihil esse in mundo, & nullum esse Deum alium*

nisi

nisi vnum: confirmat ſequente exegeſi ; *Nam etiamſi ſint qui dicantur dij & in cœlo & in terra*(ſed æquiuocè dicātur, licet non ſint dij & domini vt Deus)*ſicut ſunt dij multi & domini multi*(nempe qui dicuntur eſſe,non autem ſunt vt Deus & dominus noſter eſt) *Nobis tamen vnus eſt Deus, Pater ille,ex quo hæc omnia,& nos in ipſum:& vnus Dominus Ieſus Chriſtus,per quem hæc omnia,& nos per ipſum.* Dixerit fortaſſe,at ſit oppoſitio Dei Patris & Domini IeſuChriſti. Negamus : neq; oppoſitio iſta pertinuiſſet quicquam ad conſilium Apoſtoli ſermonémq; inſtitutum. Oppoſitio ſit duplex:non Dei Patris, & Filij, ſed vna Dei Patris & rerum creatarum,altera Domini gubernantis &rerum gubernatarum.Deus autem quum Pater dicitur oppoſitione ad creaturas,Pater dicitur eſſentialiter:ac proinde Pater, Filius, & Spritus ſanctus communis eſt rerum creatarum Pater, vt in Scripturis nominatur paſſim,Deuter. 32.6.Matth.5.& 6.& 7.Iacobi 3.9.& alibi.Hîc enim Deus non perſonaliter relatione ad Filium,ſed eſſentialiter oppoſitione ad creaturas appellatur Pater: quapropter etiā optimè huic cauſa efficiens & finalis cùm rerum omniū, tum ſanctæ Eccleſiæ tribuitur, *a quo hæc omnia,& nos in ipſum.* Atque hæc oppoſitio prior. Altera oppoſitio ad medium quoque ſpectat, quo res omes a Deo factæ & propter ipſum , eodem auctore a principio ad finem ſuum perducuntur,vt Deus ſit omnia in omnibus.Medium autem eſt dominium & regnum ſalutare Chriſti: mediator Dominus,natura quidem Deus, ſed intermedius tamen Dominus diuina diſpenſatione & volūtaria, *per quem hæc omnia, & nos per ipſum* a principio ad finem illum dirigimur.Vt ergo de Patris nomine,ſic etiam de voce Domini ſtatuimus. Modò enim ad eſſentiam reſpicit, ſecundùm quam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus Dominus vnus appellatur, eſt enim natura dominus:modò ad perſo-

nam Filij, quæ persona singulari modo est Dominus, præter communem essentiæ & naturalem illum, nimirum voluntate & suscepta dispensatione, quam modò attigimus. Quapropter Apostolus essentiam Dei αὐτοθέου opponit idolorum manu & arte factorum essentiæ, & distinctionē statuit inter dici & esse, quum his verbis vtitur, *esse qui dicuntur dij & in cœlo & in terra,* vt se de Deo secūdùm essentiam loqui ostenderet. Postremi loci ratio consimilis. *Vnus enim Deus est,* ait Paulus, *vnus etiam Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Varia est huius loci interpretatio: & vt ea concedatur quam Samosatenus arripit, nihil vincet tamen. Primùm enim vox *Deus* aut essentialiter accipitur, vt antè dixerat *hoc bonum est & acceptum coram Deo Seruatore nostro,* aut personaliter. Deinde vocem *vnus* alij de essentia intelligunt, vt quum dicitur, *Iehoua Deus tuus Deus vnus est:* alij de constantia & immutabili voluntate, vt Galat. 3. *Deus vnus est,* sibi constans idemque permanens. Qui ad vnitatem essentiæ referunt, sic argumentantur, *Quorum vnus Deus est, alij pro alijs orare debent. Quorum vnus hominum vnus Deus est,* vt Rom. 3. *Quiuis ergo homines alij pro alijs orare debent.* Qui verò ad vnitatem & constantiam voluntatis, alio modo. Sed his omissis concedimus, affirmamus, clamamus Deum vnum esse, vnicam Dei essentiam, optimè nobis cum Paulo cōuenit: sed vnicæ personæ Patris diuinam essentiam esse, hoc nec Paulus vnquam dixit, nec nos concedimus. Cum Paulo dicimus Deum quidem esse vnum essentia: Patrē verò esse personam vnam, in communitate essentiæ vnū Deum cū Filio & Spiritu sancto, ex Paulo & reliquis Scripturis didicimus. Iam de argumentatione Samosateni videamus. *Qui vnus & solus Deus est, præter quem nullus est alius qui sit a seipso Altißimus, & ex quo omnia, huic nomen Dei per se primò tribuitur: Is autem est Deus Pater: Patri ergo*

per

per se nomen Dei primò tribuitur. Multiplex vitium in maiore propositione est, in minore falsitas. In maiore primùm subiecto insunt plura interrogata, vt vocantur vulgo: tum ambiguè dicũtur omnia: quę si de essentia dicuntur omnia & essentialiter, bene est, concedi possunt: si de persona, excluso Filio & Spiritu sancto, negantur omnia; hoc vno excepto, quòd Pater esse a seipso dicitur, id est, non ab alia persona: sin autem essentia & persona pro eodem habentur, vt ista membra omnia vnius suppositi dicantur esse, hoc verò Sabellianum est. Nec meliùs se habet ibidem prædicatum, quum nomen Dei per se & primò ei tribui dicitur ambiguitate & captione euidentissima, quam paulo antè demonstrauimus. Minor verò falsa est, qua mente a Samosateno adducitur. Etenim persona Patris secundùm suam (vt ita dicam) personalitatem nõ est vnus & solus Deus, præterquam nullus sit alius Altissimus, & ex qua sola sint omnia. Quòd si aut Pater nominatur essentialiter, vt antè diximus in Scriptura fieri, aut persona Patris dicitur Deus esse secundùm rationem essentiæ, quæ vna ipsi cum Filio & Spiritu sancto communis est, probamus hanc propositionem bene intellectam. Falsa igitur conclusio, Patri nomen Dei primò & per se tribui, excluso Christo, quod Samosatenus voluit, & ex eodem ambiguo vitiosa. Nam Deus & Pater quum de essentia dicitur, de persona Patris, & Filij, & Spiritus sancti dicitur synonymως, id est, vniuocè: sin autem de sola persona Patris, manet tamẽ immota συνωνύμως ratio, quia communis est, neque suppositione vnius personæ in eo quod quid est fit remotio personæ alterius. Essentia enim communem rationem habet in eo quod quid est: hypostasis verò, vel subsistentia, vel persona (vt verbis Damasceni vtar) neque quid est ostendit, neque quale quid est, sed tantùm quis est, & singulare indiuiduum de quo præ-

dicatur essentia, determinat. Ex hac autē ἀσυλλογίστῳ argumentatione per cōtrarium infert Samosatenus verbis sequentibus, *reliquos siue deos siue dominos, etiamq́; Christum ipsum ab illo esse, illi debere quicquid sunt, & æquiuocè ab eo appellari Deos.* Antecedens falsum: nam personam & essentiam diuinam pro eodem accipit cōtra auctoritatem Scripturæ: & falsa igitur cōsequentia. Primùm enim falsum est omnes siue deos siue dominos æquiuocè appellari: nam & Christus cum Patre Deus est vniuocé. Deinde & illud falsum, eamdem esse Christi cū alijs siue dijs, siue dominis rationem: nam Christus Deus & dominus est; alij non sunt, sed dicuntur esse quod Deus est, vt ibidem affirmat Paulus. Tertiò eorum qui dicuntur dij & domini alij verè dicuntur esse, & falsò alij. Verè, quicunque vero iustoque ordine, aut applicatione, aut similitudine ita dicuntur, vt Angeli, Magistratúsque, & siqui sunt eiusmodi: falsò autem, qui contrá. Ex his autem qui verè sunt, illi Deo debent quod dicuntur, cùm habeant aliquā veram communicationē gratiæ: qui falsò, Satanæ & hominibus debent quod putantur esse. Itaque Christus, quà Filius æternus Dei Patris, Dominus & Deus cū Patre semper dicitur vniuocè: est enim Patri ὁμοούσιος, communem a natura cum Patre dominatū in vnitate essentiæ obtinens: Quà autem caro factus est, eumdem illum dominatum a natura possidet vt Deus, sed alterum quoque inferiorem dominationis modum voluntate assumsit homo factus, idque secundùm eamdem œconomiam diuinam & dispensationem qua homo factus est & inaniuit sese. Atque huc ferme pertinent omnes illi Scripturæ loci quos Samosatenus accumulat, postquàm subsistentiam diuinā Christi coëssentialem Patri bellè sibi visus est sustulisse, vt nudum hominē attributis diuinis exornaret, velut operationes diuinas producentem. Sed hæc singula suo deinceps

inceps ordine opus est annotemus. 1. Hæc verba sunt Dauidis Psal. 50. 1. in quibus euidenter posita est essentialis Dei appellatio: quæ non singularis est vnius personæ Patris, sed communis sanctæ & indiuisæ Trinitati. Quòd si quis personaliter eam de Patre acceperit, tamen iure essentiæ (quæ eadem est Patris & Filij) Filio quoque communis futura est, quia Pater & Filius sunt vnum. Nã quod essentiale, id subsistentiarum etiam aut personarum commune est, eóque affirmatur de hypostasibus singulis vniuersaliter. Verumtamen si personaliter exponi (quod ego quidem probare non possum) oporteret, de Filio potiùs quàm de Patre diceretur. Est enim totus ille Psalmus Euangelicus, de Christo loquens, de regno, & de operatione eius adeò manifestè, vt mirum sit aliud quiduis potiùs non adduci a Samosateno de Patre dictũ. Secundus locus, quòd *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi* appellatur, plus habet speciei, quia de Deo Patre agitur personaliter. Sed falsa est tamen argumentatio ex falsa hypothesi: *Qui Deus est & Pater Dei, is vnus propriè & solus Deus est: Est autem ille Pater Christi: Ille igitur solus Deus.* Negatur maior, vt antè demonstratum. Sed retorquetur contrà eodem modo: *Qui Deus est & Pater Dei, eius Filius est coëssentialis Patri, & propriè natura Deus:* aut (si fortè seruari placet ipsa Pauli verba) Si Pater Domini nostri Iesu Christi Deus est, etiam Dominus noster Iesus Christus Deus est, vnius cum Patre atque eiusdem essentiæ. Si negat Samosatenus, probat natura & Scriptura, *Pater & Filius sunt vnum essentia.* Sin figuratè hoc iubet intelligi; nos figuratum negamus esse, analogicum verò concedimus: nam quæ de Deo & rebus diuinis enunciantur, ea humano more dicuntur analogicé. Tertius locus, *Patrẽ esse caput Christi*, ex 1. Cor. 11. fallit elenchi ignoratione. Nam de persona Christi dicuntur ista non secundùm na-

turam diuinā simpliciter, quà Filius Dei Deus æternus est, sed secūdùm illam dispensationē, qua factus est caro, & se in carne adunauit Ecclesiæ suę, de cuius ordine & ἀταξίᾳ agitur eo in loco, pro conditione vniuscuiusque. *Fœminæ caput*, inquit Apostolus, *vir est: viri, Christus* θεάνθρωπος a Patre missus: Christi, mittens Pater. Quapropter vt Christus Mediator in Ecclesia se ordinat ad Patrem, ita vir tenetur se ordinare ad Christum, & fœmina ad virum, suúmque ordinem religiosè colere atque profiteri. Hoc enim Paulus antè docuerat dicens, *Imitatores mei estote, sicut ego Christi.* Illa autem iniqua est argumentatio, quæ ex ratione totius personæ de natura ipsius altera, aut ex opere voluntariæ dispensationis atque consilij de naturali (quod vtrumque hîc Samosatenus facit) concluditur. Nam secundùm naturam Filius est æqualis Patri, secundum illam verò dispensationem Filius est minor Patre, & Pater est caput illius. Sic sequentia pleraque omnia. De hoc autem Defensione 2. segmento 7. plura. Libet hîc corollarium ex Chrysostomo addere in hanc sententiam: Caput est coëssentiale suo corpori: Christus est caput viri: ergo coëssentialis viro. Item, Pater est caput Christi: coëssentiales igitur. 2. Negamus a Paulo dictum, *quòd solus Pater sit super omneis*: nam exclusiua *solus* Ephes. 4. non compáret. Commune est autem trium personarum secundùm essentiam, quòd sint vnus Deus super omneis, &c. quod autem commune est quum de singulari dicitur, de communi quicquam non derogari antè ostendimus. Quòd si ad solam personam Patris dictum restringi placuerit, nihil tamen Samosatenus efficit. Nam ita respicitur ad ordinem illum quem Deus instituit, & Filius subijt voluntaria dispensatione, secundùm quam Filius caro factus inaniuit se, & Pater maior est Filio: cùm alioqui secundùm naturam illam diuinam

suam

ſuam ſit coëſſentialis & coæternus Patri. Hîc ergo iterum fallacia elenchi obtruditur, & ad eamdem pertinent ſequentia omnia. Facta enim voluntariæ diſpenſationis Samoſatenus accumulat, vt naturam æternam Filij deſtruat, inconſequente argumentatione. *Qui Deus eſt propriè*, inquit, *a nullo factus, nec conſtitutus, nec electus, nec præordinatus, nec ſanctificatus a quoquam, nec exaltatus, nec miſſus, vel obediens alicui factus eſt, nec quemquam ſe maiorem habet: Chriſtus autem factus eſt, conſtitutus, electus, &c. Non igitur Deus*. Maior vera eſt de Deo, quà Deus: itaque ſecundùm naturam diuinam vera eſt etiam de perſona Chriſti. Sed alia planè ratio eſt ſecundùm beneplacitum gratiæ glorioſæ ipſius & diſpenſationem illam miſericordiæ, qua Deus homo factus eſt & manifeſtatus in carne voluntariè propter nos homines & ſalutem noſtram, nobíſque datus eſt Agnus Dei Deus. Nam ſecundùm hanc rationem ille idem qui natura facit per ſe & propria virtute vt Deus, idem ergo vt Mediator homo factus eſt, filius Abrahami, filius Dauidis, filius mulieris, & filius hominis. ſic ſequentia omnia. Qui itaque diuina virtute conſtituit, eligit, præordinat, ſanctificat, exaltat, mittit, imperat, omniumque maximus eſt vt æternus Deus; idem diuino conſilio & diſpenſatione voluntaria conſtitutus eſt, electus, præordinatus, ſanctificatus, exaltatus, miſſus, obediens factus & minor Patre, nimirum vt homo factus in tempore ad conſummationem optatiſſimæ ſalutis noſtræ, quam iſtis arietibus oppugnat Satan. Verumtamen vt ſemel moneamus quod iam ſuperiore ſegmento demonſtrauimus, turpiter hic diſputator fallacijs accumulatis abutitur, quum ita arguit, *Chriſtus factus eſt homo, factus ſapientia, iuſtitia, &c. igitur factus eſt*. Nam primùm differentia ſunt argumentationum genera, quæ celat ſophiſticè, vt eo commodiùs irretiantur imprudentes. Pri-

ma enim illa propositio, *Christum factum esse hominem*, essentialis est: sequentes verò, accidentariæ. harum verò propositionum ratio valde est differens. Deinde verò vt de prima dicamus priore loco, ambigua est loquutio illa, *Christus factus homo*: quam nos bene intellectam accipimus vt illam, *Sermo factus est caro*, *Deus est patefactus in carne*, & siqua sunt eiusmodi. Nam suppositum est æternum Christus, Sermo, Deus, quod suppositum carnem dicitur assumsisse in vnitatem personæ: itaque non factus est Christus, quà Sermo Dei Deus est, sed quà homo, siue (vt loquitur Scriptura) caro. Sed ambiguo illudens Samosatenus quod de Christo secundùm quid, puta secundùm carnem, affirmamus, accipit simpliciter: quod de parte, accipit vniuersè, & ita concludit Christum vniuersè factum. Peccatum in argumentatione duplex. Præterea (vt ad alias transeamus) nec illæ veriores sunt, *Christus factus est sapientia, iustitia, &c. ergo factus est.* Mutatur enim prædicationis genus, cùm antecedens rationem habeat accidentalem, consequens essentiale sit. Quis sic vnquam argumentatus est? *truncus factus est somnum, truncus ergo factus est.* Hîc primùm iniqua diuisio fit ἀλογίστως rerum quæ simul in prædicato coniunctæ sunt ad rei vnius significationem: deinde inconsequens est argumentatio mutato prædicationis genere. Nam *factus est sapientia*, &c. quum dicitur, prædicatum est actus & relationis accidentariæ de subiecto, siue applicationis ad nos qui credimus: quum autem simpliciter, *factus est*, prædicatum est de ortu essentiali eius: quorum prius verum est, posterius a vero dissentiens & blasphemum in Filium æternum Dei. Illam itaque prædicationem, *a nullo factus*, æquè de Filio Dei atque de Patre veram agnoscimus, & probamus secundùm illam diuinam subsistentiam qua Filius est cum Patre essentia vnum: nam quà

Patre

Patre est, genitus est, non factus. Secundùm humanitatem verò, quam assumsit in vnitatem personæ, *Christum factum ex muliere, factum sub lege* confitemur: proinde secundùm aliud & aliud eumdem hominem factum (hominem dico, non humanitatem) atque non factũ agnoscimus. *Factum denique sapientiam, iustitiam,* &c. secundùm personam θεάνθρωπον, vt Mediatorem & Redemtorem nostrum. 3. Inde ab his verbis ad finem huius loci vsque perpetua fallacia est ex elenchi ignoratione, quum enunciata quæ secundùm hoc dicuntur exponuntur secundùm illud, & veritas personæ, officij, beneficiorumque Christi hac confusione miserè inuoluitur. Nam tria concurrunt & simul incidunt semper in contemplationem personæ Christi ex quo factus est caro, secundùm quæ enunciationes singulas separatè aut coniunctim commodè accipi necesse est seruatis naturarum proprietatibus: primùm deitas siue natura diuina λόγου, vt Sermo æternus est æterni Patris, Patri ὁμοούσιος καὶ συναΐδιος: secundò humanitas siue natura humana, quam in vnitatem personæ suæ assumsit ille æternus Sermo ex virgine Maria in tempore: nam propterea respectu prioris formæ essentialis, Filius Dei, respectu verò posterioris Filius hominis appellatur: postremò autem persona Filij Dei, Filij hominis, id est, θεανθρώπου, veri Dei, veri hominis, ex duarum naturarum compage (vt ita loquamur) & adunatione constituta. Hæc autem omnia, quorum respectu res non solùm differentes, sed etiam contrariæ secundùm hanc aut illam naturã de persona Christi verè & sanctè prædicantur, strenuè Samosatenus confundit, quia non credit, distinctáque a nobis dissimulat, quia non vult distingui, vt imperitis vincere videatur quũ viuus vidénsque perit. *Hæc,* inquit, *omnia prædicta Christo Filio Dei ex Maria nato (non alteri) tribuit apertè Scriptura,*

&c. *Filio Dei*, inquis, *ex Maria nato?* cur non ergo dicis, Filio Dei, Filio hominis? Quatenus enim Filius Dei est, non est natus ex Maria: quatenus item ex Maria natus, nō est Filius Dei: sed quà Filius Dei, coëssentialis est Patri, & cum Patre vnum, vnigenitus natura Filius, diuina hypostasis: quà Filius hominis, coëssentialis est matri, vnigenitus natura Filius virginis, humanum enhypostaton, quippe humanitate subsistente in persona λόγου vnione personali: non alter Filius Dei, alter hominis Filius, sed vnus idemque Filius Dei, filius hominis, persona vna ex duabus naturis constituta. *Qui licet Deus sit & homo*, inquit Athanasius, *non duo tamen, sed vnus est Christus: vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumtione humanitatis in Deum: vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Hæc est fides catholica, hæc sanctorum Apostolorum professio:
Matt.16. quos roganti Christo, *quem me dicunt homines esse qui filius sum hominis? Simon Petrus respondens dixit, Tu es Christus ille Filius Dei viuentis*, tu idem qui filius hominis: non duo supposita aut personæ duæ, sed vnum suppositum ex duabus naturis constans. Christus ergo omnia a Patre habet, totusque est Patris (vt ad Samosateni verba singula veniamus) tum quà Filius vnigenitus a Patre, vnum esse cum Patre habens, vt qui Patri ex hoc mundo discessurus di-
Ioan.17. ceret, *mea omnia tua sunt, & tua mea*, tùm qua homo ex muliere sub Lege factus, vt esset θεάνθρωπος Mediator & Redemtor noster. Hic idem a Patre est *factus filius homi-*
Rom.1. *nis ex semine Dauid, ex muliere:* nimirum qui Sermo erat
Galat 4. est caro factus, & Deus in carne conspicuus: æternus ab æterno genitus secundùm diuinitatem, factus in tempore, Abrahami, & Dauidis, & Mariæ filius, secundùm hu-
Actor.2. manitatē. *Hic factus est a Deo Dominus & Christus* in persona

ſona ſua; vt qui ſecundùm diuinitatem per diſpenſationem voluntariam & ſingularem gratiam, ſecundùm humanitatem per gratiam vnionis omneis & ſingulas partes veri Domini & Chriſti ac Mediatoris præſtiterit in ſeſe vnitate perſonæ ſuæ ad redemtionem & ſalutem noſtram. Huic *Pater dedit nomen ſupra omne nomen, vt adoretur,* nimirum perſonæ Mediatoris & Redemtoris noſtri, non huic aut illi naturæ, ſed perſonæ toti ſecundùm vtrãque naturam ipſius: tum diuinam, quia æternus ille Sermo, verus Deus, æqualis Deo & Patri, ſeipſum inaniuerat forma ſerui accepta ſimilis hominibus factus voluntate certa & diſpenſatione gratiæ: tum humanam, quia habitu compertus vt homo ſe ſummiſit ipſe, factus obediẽs vſque ad mortem, eamque crucis in noſtræ huius naturæ veritate, quam traditam morti atque cruciatam ſuſtentabat λόγος in vnitate perſonæ ad perficiendum myſteriũ ſalutis noſtræ. *Quapropter*, inquit Apoſtolus, id eſt, propterea quòd ille verus Deus & Filius Dei ſecundùm naturam diuinam ſuam ſe inaniuerat forma ſerui accepta per diſpenſationem voluntariam, & ſecundùm humanam ſe ipſe ſummiſerat Legi & iuſtitiæ Dei factus fuerat obediens vſque ad mortem: propter has igitur cauſas, non eò ſolùm quòd Patri obediens fuit ad mortem vſque crucis, ſed tum propter inanitionem deitatis, tum propter acerbiſſimas perpeſſiones humanitatis eius, totámque obedientiam totius perſonæ (quæ omnia inſcitè Samoſatenus dirimit, vt ſuum dogma fulciat) *Deus ipſum in ſummam extulit ſublimitatem, ac donauit ei nomen quod eſt ſupra omne nomen,* &c. puta & diuinitatem ab illa ſui inanitione potentiſſimè vindicando κατὰ φανέρωσιν, qua ſe ipſe inaniuerat diſpenſatione voluntaria certóque conſilio nobis ſalutari: & humanitatem ab infirmitate & perpeſſionibus illius euehendo adeò magnificè, vt præter illam

Philip. 2.

vnionis gratiam (quam in diuinitate Christi personaliter obtinet humanitas supra res creatas omneis) etiam in sese omnem plenitudinem gratiæ, & veritatis & gloriæ possideat, quantam natura creata potest percipere, & quantam nulla alia præter hanc percipit: quia supra omne nomen est cœlestium, terrestrium, infernorúmque, & prout ita est, sic ab omnibus contemplatione diuinæ illius naturæ, & gratiæ immensæ persona Christi adoratur. Hic
1.Cor.1. *factus est nobis sapientia, iustitia, pax a Deo*, nimirum per-
Ephes.2. sona illius secundùm vtramque naturam, distinctis ac nō confusis earum proprietatibus, secundùm diuinā principaliter, secundùm humanam instrumentaliter, secundùm vtramque regificè & admirabiliter operans. Idem est *a Deo quoque datus nobis Magister, Pastor, Seruator, Rex, & caput*, nempe vt θεάνθρωπος secundùm vtramque natu-
Colos.2. ram suam vnus Christus. Similitérque *in eo sunt omnes*
Matt.28. *thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi, omnisque potestas data est ipsi in cœlo & terra*, vt θεανθρώπῳ seruatori nostro, cuius diuinitas sese inaniuerat ex dispensatione gratiæ, depressáque ex facto fuerat in humilitatem infimam humanitas propter nos homines & salutem nostram. Hæc igitur indigna turpisque fallacia est, quòd res adeò Scripturis testata, & ab Orthodoxis toties recantata omittitur, sine qua nec Deus verè Pater, nec Christus verè Deus esse, nec salus nostra vnquam verè constare potest.

4. Quòd autem *ea ratione, & non alia* (vt idem posteà loquitur) *Dominus verè dicatur & Rex, tum Deus noster a Patre vnctus, cui & omnia subiecit: quòd, inquam, hac ratione & non alia Filius Dei sit Deus*, &c. id Dei veritas & catholica Ecclesia pernegat. Etsi antequàm de reipsa dicimus, necessariò adhibenda est nobis distinctio, quā iusta docendi ratio seruari iubet: hîc plura prædicata esse inter se differentia, ac non eadem ratione, quicquid Samosate-

nius

nus afferat, ad Christum pertinentia. Vbi autem huiusmodi congeries vocum ab imprudentibus aut malitiosis hominibus obtruditur, nihil tam necessarium quàm vt singula singillatim atq; distinctè expendantur. Quis enim tam hebes est, qui vel naturæ luce non videat, siquis Deus & Dominus & Rex & vnctus appellatur, longè aliam rationem esse ex qua Deus dicitur, quàm ea sit ex qua Dominus, Rex, vnctus, &c. Quamobrem vt res sit euidentior, ita statuimus articulatè ad commodiorem institutionem omniũ: 1. Eorum quæ de Christo prædicantur alia essentialia esse, vt vocantur, alia attributa personæ. 2. Quæcunque eiusmodi sunt, aut secundùm alteram eius naturam dici, aut secundùm vtramque, prout sunt adunatæ inter se personaliter. 3. Ea omnia etiã quæ secundùm naturam diuinam, aut secundùm humanam prædicantur, de persona in communi, tamquam supposito vno atque eodem, prædicari, quamuis respectu naturarum inter se differentium. 4. Eorum quæ personæ sunt essentialia secundùm naturam diuinam ipsius, hæc communia esse sanctæ & indiuisæ Trinitatis, illa hypostatica, id est, huius vnius personæ propria & characteristica, vt veteres appellarunt. 5. Eorum quæ personæ sunt essentialia secundùm naturam humanam, alia esse naturalia quæ nobiscum a natura communia habuit, alia autem voluntaria cùm ad commoditatem naturæ alterius, tum ad cõmoditatem officij decenter conuenientia. 6. Attributa ferè in Scripturis salutaris officij respectu non alia prædicari, quàm quæ ad personam secundùm vtramque naturam pertinent; e quibus diuina principalis agens, humana instrumentalis est. 7. Horum attributorum alia ad causam finalem pertinere, vt quum dicitur Iesus, Seruator; alia ad officium ex dono & vocatione, vt quum appellatur Christus, Propheta, Sacerdos, Rex; alia ad

actiones & perpessiones conuenientes officio ac fini propter quem est à Deo & Patre missus vt quum triumphali modo potestates traduxisse dicitur, & ipse mortem subijsse. 8. Hæc attributa omnia Filio Dei secundùm naturam diuinam (cui nihil in se addi aut detrahi potest) competere per dispensationem gratiæ, qua se ipse inaniuit voluntariè, vt idem sua natura summus infimè sese ad ea omnia quę fecit & perpessus est submitteret voluntate propria in assumta carne, sed natura vtraque semper integra permanente, & saluis vtriusq; proprietatibus. Ex his ergo legibus variè de istis prædicationibus quas Samosatenus congerit oportet iudicari. Nam primùm attributum, *Christum esse Dominum*, de persona ipsius secundùm naturam vtramq; est verissimum. Secundùm diuinam Dominus est ab æterno, essentiali dominatu, qui Filio cũ Patre & Spiritu sancto communis est: & Dominus dispensatiuus proprio ac personali dominatu in tempore Ecclesiæ a Patre datus. Secundùm humanam Dominus est, non priore illo dominatu (est enim deitatis proprius & incommunicabilis) sed posteriore, Dominus a Patre factus per gratiam vnionis (vt vocant) in vnitate personæ, voluntaria dispensatione. Eadem planè ratione *Christum Regem*, qua Dominum, appellamus, vt Deus est, & vt θεάνθρωπος. Nam alioquin, vt homo simplex, Dominus & Rex frustra appellatur, licet dominetur regnetq; vt homo; quia nunquam in se aut per se vel ad momentũ substitit humanitas, sed est semper ἐνυπόστατος, & subsistens in λόγῳ. Hæc igitur attributa, & siqua sunt eiusmodi, prout personæ Christi secundùm naturam diuinam competũt, modò essentialiter sunt accipienda, communiaque Patris & Spiritus sancti cum Filio agnoscenda: modò personaliter secundùm vtramq; naturam ad Christum Seruatorem nostrũ dicenda pertinere, vt personæ illius propria.

pria. Sed quòd *Deus* est & appellatur persona Christi, id longè alia ratione quàm Samosatenus dicat, in Ecclesia obtinet. Nam factus quidē est Dominus & Christus, Act. 2. at non factus Deus, quod iste tamquam ex pari analogicè videtur cōcludere. *Similium*, inquiet, *ratio similis*. Est certè: sed hæc sunt dissimilia maximé. Deus enim est natura Dominus & Christus voluntate atque instituto, si ad personale dominium respexeris: Deus est absolutè, Dominus & Christus, relatè & respectu nostri: Deus est essentialiter, Dominus & Christus accidentarié: Deus est formaliter secundùm naturam diuinam suam, Dominus & Christus secundùm vtramque in vnitate personæ: & tu rationem horum, Samosatene, similem dixeris? At Christus, inquies, non est natura, absolutè, essentialiter, formalitérque Deus, sed communicatione a Patre. Respondeo, si communicatione, aut naturâ est, aut voluntate communicatio. Si communicatione naturæ Deus est, ergo Deus essentialiter, cum Patre vnum: si communicatione voluntaria gratiæ & instituto solùm, non ergo propriè & & vniuocè, sed figuratè est & æquiuocè appellatur Deus. Qui enim Deus proprè dicitur, hunc essentialiter formaliterque (vt loquuntur) oportet esse Deum. Non autem figuratè Christus appellatur Deus: propriè igitur. Quòd si propriè, ergo essentialiter est formalitérq; Deus. Tam enim verè est quod est, quàm verè est quod factus est: & tam propriè esse dicitur quod est, quàm propriè esse quod factus est. Est autē verè factus, & propriè factus esse dicitur Dominus & Christus: ergo tam verè est & propriè dicitur esse Deus, quā verè est & propriè factus esse dicitur Dominus & Christus. Quòd enim Deus est, id naturæ est: quòd Dominus & Christus est, id facturæ est atque instituti. Quapropter illum quidem factum a Deo legimus Dominum & Christum, sed Deum factum minimé. Verè au-

tem & propriè Christum esse dicique Deum, iam suprà in locum 1. & 2. demonstrauimus. Quòd si verè & propriè Christum esse diciq; Deum Samosatenus contenderit, eo quòd diuinæ gratiæ καθ' ὑπερβολὴν a Patre communicationem habuerit: primùm negatur eum verè esse & propriè dici Deum, qui non sit essentialiter quod esse dicitur: deinde negatur alium hoc esse præter Deum, cùm Deus toties per Prophetas suos sit contestatus se gloriam suam non esse daturum alteri: postremò (vt cum Tertulliano ratiocinemur) si quod factus est Christus id propter nos factus est, factus est autem Deus, vt Samosateno quidem placere video, continuò factus fuisse Deus propter nos dicendus est. Finem autem quis homo nescit præstantiorem ijs rebus esse quæ finis causa fiunt, atque ad finem ordinantur? Nos igitur, auctore Samosateno, præstantiores Christo futuri sumus, siquidem Christus causa nostra factus est. Est autem hoc absurdum, falsum, impium, blasphemum consequens: ergo nec antecedens bona fide a viro bono probari potest. At, inquit, *Pater ei subiecit omnia (seipsum tamen excipiendo) vt postremò nos regnumq; suum deuictis hostibus & morte reddat Deo & Patri, a quo accepit, vt sit ille Deus omnia in omnibus, 1. Cor. 15.* Ex eo loco duo sunt quæ Samosatenus confirmare videtur velle: vnum, quòd Christus sit factus a Patre Deus, cùm Pater ei subiecerit omnia: alterum, quòd Deus Pater solus sit essentialiter Deus. De posteriore iam modò diximus. De priore igitur videamus. Ad priorem locum si ita argumētatur Samosatenus, *Cui Pater subiecit omnia, is Deus est: Christo subiecit omnia: Christus igitur est Deus:* totum argumentum damus, & damus eum verè esse Deū ac essentialiter, neque alteri gloriam illam diuinam dari potuisse. Sin autem sic argumentatur, *Cui Pater subiecit omnia, hunc fecit Deum ipsi subijciendo omnia: Christo subiecit*

omnia,

omnia, &c. falsa est propositio maior, in Christum contumeliosa, & a natura propositionum aliena quæ necessariæ appellantur. Nulla enim iusta argumentationum lege confici illud potest, vt non nisi positis actibus ponantur subiecta a quibus procedunt illi. Actionum enim aliæ sunt natiuæ subiecti, perpetuæ, & necessariæ, aliæ secus. Hæ autem si in persona Christi expendantur, ita dicendum est: Secundùm actum natiuum, perpetuum, & necessarium, Pater gignit Filium, Deus Deum, non autem facit, aut fecit. Secundùm actum non natiuum, sed voluntarium, Pater Filium aut Deum non fecit, sed Filium illum suum Deumque nostrum, hunc fecit Dominum & Christum, eíque subiecit omnia. Subiectum enim & natiua adiacentia ac necessaria sunt natura simul: reliqua non item. Positis enim actibus (vt rectè docent Logici) ponuntur subiecta & adiacentia a quibus illi processerũt: non autem e diuerso positis subiectis ponuntur actus quilibet, sed natiui solùm ac necessarij. Atque hæc tota vis est argumenti quo Samosatenus vtitur, quam vim iam suprà obtudimus. Quòd si eam adhuc infractam esse putauerit, cogitare eum peruelim hac ipsa quoq; argumentatione idem de Patre concludi posse quod narrat de Filio. Si enim hoc obtinuerit, positis subiectis, eorum actus quoslibet ponendos esse (quam rem expugnat naturæ, rationis, experientiæ, sensus etiam in nouitijs pueris veritas) & nobis vicissim hoc liceret dicere, quod absit: *Pater omnia subiecit Filio: ergo non antè fuit, quàm omnia ei subijceret: proinde aut ab æterno subiecerit, aut fuerit Pater & esse cœperit in tempore:* quorum neutrum Samosatenus noster accepturus est, si sibi constare volet. Prætereà quandoquidem hîc Deum propriè accipimus, etiam negatur valere propositionem illam qua ex ortu officij de ortu subiecti vel subsistentiæ concluditur, cùm eorum sit ratio

maximè differens: officium enim ab instituto & voluntate est, persona vel subsistentia a natura est,& cætera quę antè perstrinximus. Et natura quidem semper est in subiecto, nec ab eo natura sua abesse potest: officium nec semper est (acquiritur enim, ponitúrque commodè) nec semper inest subiecto, sed ab eo citra corruptionem illius abesse aut adesse potest, vt in hoc ipso exemplo mox demonstrabimus. Concludimus itaque, Christum Filium Dei, Deum ab æterno esse, non factum, sed genitum: Dominum verò non genitum, sed factum respectu dispensatiuæ huius dominationis, propter quam in plenitudine temporum caro factus est, & est θεάνθρωπος ad salutem nostram. Alterum verò argumentum huic quasi succenturiatũ Samosatenus complectitur ex verbis Pauli in hunc modum: *Qui regnum Deo ac Patri traditurus est, & subiectus futurus ei, is Deus factus est: Hoc autem facturus est Christus: ergo Deus factus est.* Maior falsa est euidentissimè: tum demum futura vera, si ita dixeris, *Qui regnum Deo Patri traditurus est & subiectus futurus ei, is Rex factus est.* Hæc, inquam, vera est propositio, si de persona Christi acceperis dictum Pauli. Sed in hac propositione ambigua sunt multa, quorum nomine conclusio euertitur: deinde plura rogata sunt, vt loquuntur vulgo, quæ ab Apostolo optimè distincta, hîc a Samosateno pessimè confunduntur. Ambigua sunt hæc: primùm quòd dispensatiuum regnum Christi cum æterno illo & diuino conturbatur: cùm tamen hoc dispensatiuum sit ordinatum ad illud tamquam ad finem & complementũ suum, & illud æternum sit huius dispensatiui finis. Etenim regnum dispensatiuũ Christi iam peruenit ad nos: de æterno, dum in hoc dispensatiuo degimus, oramus auctore Christo, *adueniat regnum tuum.* Secundò, quòd nomen Christi dicitur æquiuocè: dicitur enim Christus propriè quidem

quidem persona illa Filij Dei, figuratè verò διὰ συνεκδοχῆς caput cum corpore, Christus cum Ecclesia sua, quem orthodoxi Patres conuenienter Scripturæ Christum mysticum appellabant. Christus autem in persona sua regnum illud dispensatione assumtum Deo & Patri traditurus est: idem verò in corpore carnis vel humanitatis suæ & Ecclesiæ suæ subiectus Deo & Patri futurus est, vt Defensionis 2. segmento 12. demonstrauimus. Atque hæc duo illa rogata sunt (vt cum vulgo Logicorum loquar) quæ a Samosateno confundi antè dicebamus, regnum tradere, & subiectum esse. Nam quà factus fuit rex Christus, in persona sua regnum Deo & Patri traditurus est: subiectus verò futurus est, quà regni subditos in vnum corpus adunauit sibi. Huius distinctionis ipse Paulus nobis est auctor locupletissimus. Postquàm enim certitudinem resurrectionis nostræ futurę cōfirmauit resurrectione Christi, velut capitis primitiarúmque nostrarum, & conclusit dicens, *quia per hominem mors, per hominem quoque resurrectionem mortuorum esse:* ne ad alia resurrectionis forte argumenta transcurreret non satis explicato resurrectionis Christi & regni eius, in quo resurrecturi sumus, mysterio, ordinem modúmque illius visum est ei contextu vno percurrere. *Vnusquisque*, inquit, *suo ordine: primitiæ Christus* resurrectionis nostræ quam credimus, *posteà qui sunt Christi* resurgent *in aduentu ipsius. Deinde erit finis*, puta dispensatiui illius regni & procurationis regiæ quam Pater commisit Filio, *quum tradiderit istud regnum Deo & Patri*, a quo acceperat vt seruaret electos suos. Atque hæc res non antè fiet, quàm *aboleuerit omne imperium & omnē potentiam & virtutem*, vt tribus versibus proximè sequentibus exponitur. *Postquàm verò subiecta fuerint ei omnia*, debellati hostes & adunati pij, *tunc & ipse Filius* cum Ecclesia (quæ est corpus & complementum ipsius) adunatus

subijcietur ei qui subiecit ipsi omnia, id est, regia illa procuratione quam accepit a Patre deposita, ipse cùm in persona sua secundùm carnem, tum in persona suorum secundùm corpus adscitum & mysticum ipsius, subiectus erit Patri qui omnia subiecit ipsi, regnúmque illud mediatorium dispensatione diuina tradidit, *vt sit* non quidem solus Pater, sed *Deus omnia in omnibus*, id est, diuina illa essentia, Pater, Filius, & Spiritus sanctus simpliciter & citra vllum prætereà mediationis actum *sit in omnibus* pijs ad vitam gloriámque vocatis in Christo omnia. Nã pijs & sanctis Deus est omnia, subsistentibus in Deo illa subsistentia gratiæ, qua æternùm in ipso ad vitam & gloriam æternam subsistemus. Quæ cùm ita sint, quis bonus non videat, obsecro, istas argumentationes nec per se cõsistere, nec per huiusmodi probationes falsò adductas atque expositas fulciri posse? Ex his tamen summa præsidentia concludit Samosatenus in hunc modum, *hæc est Christi solius prærogatiua & dignitas*, &c. *Et hac ratione, & non alia, Filius Dei est Deus, Dominus & Christus, Rex, Sacerdos, caput, Propheta*, &c. quæ omnia quàm sint falsa & discrepantia a vero, antehac ostendimus. Nam Christus non est factus secundùm quod Deus: sed Christus Deus, qui verè & essentialiter Deus est, is factus est Dominus & Christus, rex, sacerdos, &c. quæ officia assumsit sibi, assumtáque fidelissimè est exsequutus, & adhuc exsequitur ad salutem nostram. De posteriore conuenit: prius, quamuis iam antè probatum, hac demonstratione concludemus: *Quisquis verè Deus est, non est factus Deus: Christus autem verè Deus est: non factus igitur.* Maiorem probant essentiales omnes de Deo prædicationes: quas siquis de medio sustulerit, etiã teste natura tollit Deum. Et per conuersionem eiusdem propositionis, *Quisquis id factus est quod est essentialiter, is non verè Deus est*,

est sed factura siue creatura Dei: Christus autem verè Deus est, Filius Dei genitus, non creatus aut factus: Christus ergo id non est factus quod est essentialiter, siquidem verè Deus est. Est autem verè Deus: nam filius est Dei *μονογενής*, vnigenitus: & facti quidem cæteri, at non factus Christus secundùm id quod Deus est: *ergo est Deus essentialiter*, vt pluribus antè ostendimus. Tandem concludit Samosatenus duobus absurdis, vt sanctissimam illam & catholicam doctrinam de Christo reddat odiosam. Etsi in propositione cauēdus est ille scopulus, quem antè principio huius loci demonstrauimus, quum Samosatenus ait, *qui Christum a seipso Deum esse credit, hunc duos Deos inducere*, &c. Nam Christus secundùm essentiam est a se & per se, at secundùm personam a Patre est. A seipso Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, secundùm esse, at secundùm illud quod est subsistere, Pater a nullo subsistentiam habet, Filius non habet a seipso, id est, a nullo, sed a persona Patris tamquam principio suo habet subsistentiam suam persona Filij. Nam vna eademq; essentia tota est Patris, tota Filij & tota Spiritus sancti: est autem a nullo essentia: si ab aliquo esse dicitur, alius supra Deum Deus statuitur, & principium aliud: quod vel cogitare nefas. Sed absurda videamus. Prius est *qui hoc sentit quod nos sentimus, hunc duos Deos inducere*: posterius, *afficere Patrem summa contumelia*. Vtrumque absurdū negamus: prius, distinctè, posterius simpliciter. Ad prius enim ita respondemus: Deus aut absolutè dicitur de essentia substantiáve illa quæ est ὑπερούσιος, aut relatè & determinatè de subsistentia. Secundùm priorem significationem falsò dicimur duos aut treis Deos inducere, qui vnam Dei essentiam constantissimè corde credimus, & ore confitemur. Secundùm posteriorem, ambiguè & captiosè dicimur duos item Deos inducere, pro eo quod est duas subsistentias siue personas subsistentes

Ioan.10. has profiteri in vnitate essentiæ, prout Filius & Pater sunt essentia vnum, Scripturis contestantibus. Quia enim simulatque nominatur Deus, continuò intelligitur essentialis illa forma deitatis quæ hypostaseωn Patris, Filij & Spiritus sancti communis est, illa autem essentialis forma est vnica, propterea malè tres Deos nominãt qui tres essentias constituunt deitatis. Cùm verò illa essentialis forma deitatis sit trium hypostaseωn communis, etiam illius nomen de singulis hypostasibus optimè enunciatur, vt commune de suis particularibus enunciari solet. Verumtamen treis illas hypostases nobis religio est tres Deos dicere, ne videamur (quod Samosatenus criminatur falsò) treis essentias vel essentiales formas deitatis reipsa statuere: cùm illam vnicam essentiam seu essentialẽ deitatis formam non diuidamus re in personas siue hypostases, sed ratione solùm ex sacra Scriptura distinguamus personas illas in vnitate indiuisæ illius essentiæ. Tres itaq; Deos minimè, sed treis hypostases seu personas diuinas dicimus, quæ sunt Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, ratione tres personæ, essentia vnus Deus, ac non plures. Nam vox *Deus* propriè essentiam notat, quæ vna est: hypostaseωn verò siue personarum singularitatem indicamus relatiuis appellationibus & notionibus illarum, quum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum nominamus. *Atqui*, fortasse dixerit, *supposita, quæ vnum sunt essentia, alia ab alijs diuisa sunt, & differentibus locis capiuntur*. Respondeo, id quidem Physicè verum est, & necessariò verum in rebus corporeis: sed in formis intelligẽtibus & Metaphysicis solùm contingenter verum est; in diuinis nunquam. Itaque parentes quidem liberos extrudunt extra se, & singuli singulis locis capiuntur: sed spirituum alia est ratio, qui locum definitiuum capiunt, non ipsi capiuntur loco. Exemplum esto in dæmoniaco, de quo Marci 5. &

Luc. 8. nam eius ſpiritus habuit totum corpus ipſius, & idem tamen miſeri hominis corpus legio dæmonum legitur habuiſſe. Spiritus ergo ſuum locum νοητὸν & definitiuum capiunt, ſed vnum eumdémq; locum aut ſinguli, aut multi, prout contigerit. Sed cùm Deus eſſentia infinita ſit, & in vnitate eſſentiæ ſolummodò ratione inter ſe perſonæ diſtinguantur, abſurdum eſt diuiſionem ponere vllam in ea eſſentia quæ & infinita eſt tota vbique ſecundùm perfectionem eſſentiæ ſuæ ſimul, & ſola ratione diſtingui poteſt. Nam hæ duæ proprietates eſſentiales deitatis omni diuiſioni aduerſantur. Poſterius abſurdum, *Patrem a nobis affici contumelia*, verè abſurdum eſt & abſurdè obijcitur. Nam Patrem is demum afficit contumelia qui perfectam ſui imaginem ab eo genitam fuiſſe negat: hoc autem Samoſateniani faciunt, vt perſpicuè Defenſionis 2. ſegmento 6. docuimus. Nos autem, qui perfectã imaginem ſui a Patre expreſſam fuiſſe agnoſcimus, non contumelioſè de Deo loquimur, ſed honorificentiſſimè glorificamus Patrem & Filium, credentes verbo Chriſti, qui diſcipulos ſuos hoc docuit, dicens, *qui vidit me, vidit* Ioan. 14.
Patrem. Atq; hæc ad prioris Samoſateni verba. Po- M. S.
ſterior verò, quia his dictis non ita facilè fidem ſenſit haberi poſſe, dedit operam argutijs quibuſdam prætereà, his Grammaticis, illis Theologicis. Primùm enim vt viam ſternat doctrinæ ſuæ, inueſtigat Hebraicam, & Græcam *Dei* appellationem: nec tamen admodum feliciter. Nomen Dei apud Hebræos negat eſſe nomen ſubſtantiæ aut perſonæ proprium, ſed auctoritatis, &c. De hoc nomine diximus aliquoties. Sed (ne actum agamus) quid ais, Samoſatene? vtrum Dei nomen proprium, an figuratum eſt? Certè figuratum non eſt, proprium igitur. Dices, proprium a te non figurato opponi, ſed appellatiuo nomini. Atqui negas nomen eſſe ſubſtantiæ aut perſonæ:

nomina autem: quæ de ſubſtantijs dicuntur, niſi ſint primæ ſubſtantiæ, etiã appellatiua Grammaticis dicta ſunt. Tu proprietatis aſſertor loqueris impropriè. Id fortaſſe tibi voluiſti, non notari propriè ſimplicitérque ſubſtantiam Dei, vt fit illo Hebræo Iehoua. Hîc verò duo tibi in mentem venire oportuit: vnũ, propriè notari ſubiectum de quo agitur humano ſermone, non ſolùm nomine eſſentiali aut etiã characteriſtico & indiuiduali ipſius, verumetiam nomine (vt Scholaſtici vocant) connotante, id eſt, quo directè aliquid aliud ſpectatur, ſed ſubiectum per conſequentiam propriam & neceſſariam intelligitur: alterum, quæcunque attributa in Scripturis exſtant Deum connotantia, ea vniuocè ad Deum pertinere, ad homines æquiuocè: proinde iudicem, ſufficientem, fortem, &c. Deum appellari non καθ' ἐξοχὴν (ſi propriè loquamur) quia ἐξοχὴ eſt rerum congenerum quas vocant homogeneas; ſed ſimpliciter, quia eſt, & ita vt dicitur eſt; cæteri eſſe ab eo habent tamquam principio per communicationem. Eſto igitur: ſit nomẽ *auctoritatis, dignitatis, ac beneficentiæ*, vt tu vis: at de Deo tamen enunciatur vniuocè: itaque ſi ſubſtantiam non notat, connotat tamen, & quidem propriè connotat; quod eſt ad rem præſentem ſatis. Subtilius vocem θεὸς exquirit, & prouerbia adfert. Commẽta hæc expugnare poſſem. Sed Grammatici viderint: nam iſta pedibus per me trahantur licet. Quod in diuinis literis *Dei* nomine ſignificari dicit, per eamdem connotationem eſt quam modò diximus: ſic mihi liceat cum vulgo Scholaſticorum loqui. Summa: ſic argumentatur hoc loco Samoſatenus: *Nomen Dei non notat eſſentiam ſubiecti de quo prædicatur: Chriſtus ſubiectum eſt de quo nomen Dei prædicatur: ergo non notat eſſentiam Chriſti, puta diuinam eſſe eo quòd appellatur Deus.* Reſpõdetur ad maiorem diſtinctione, in rebus creatis verum eſſe quòd non notetur

tur subiectum, quia transfertur per abusionem quamdã hoc nomen a subiecto suo, de quo vniuocè prædicatur, ad subiectum toto genere differens, & transfertur æquiuocè: at in diuinis aliter se habet, quia vniuoca est de Deo huius nominis prædicatio. Quapropter hoc modo arguimus, *Nomen cõnotans vniuocè notat essentiam rei, Nomen Dei connotat vniuocè: Igitur essentiam notat in diuinis rebus.* De Christo si neget Samosatenus diuino modo accipi oportere, ne longiùs abeamus, ex Ioanne & hoc ipso loco cõfirmatur. Nam *iniquum est vnum nomen eodem in loco variè accipi, nisi cogat prædicationis modus: In hac autem sententia, Sermo erat apud Deum, & Sermo erat Deus, idem nomen bis prædicatur, nec varietatem cogit prædicationis modus: Eodem igitur modo accipiendum:* ac proinde vt de Deo, sic de Sermone Dei essentiam diuinam connotat. Hîc adfert Angelorum, principum, & Mosis exempla, probaturus essentiam minimè notari Dei appellatione. Sed quid hoc ad rem? nam vt prædicatis inest subiecti sui modificatio, sic etiam subiecta modum ostendunt prædicationum. Hæc subiecta sunt creata: ergo prædicationes dexterè intelligendæ pro ratione ipsorum. At Christus aliud subiectum est: quapropter nihil ad ipsum illa prædicati, quo de agitur, modificatio: vt ex Irenęo & Chrysostomo segmento 2. ostendimus. Negat Christum aliud subiectum esse, quum dicit, *asserere ipsum ita Deum esse vt habeatur pro illo summo altissimóq; omnium auctore, extrema est impietas.* At nos in eo collocamus pietatis arcem, & ibidem a Ioanne ipso collocari modò comprobauimus. Vt autem dictum suum pietati aduersum probet, duo colligit testimoniorum genera e Scripturis sacris: vnum, de Deo Patre: de Filio, alterum. Ex priore testimoniorum genere sic argumentatur: *Solus Pater inuisibilis ac omnipotens Iehoua in Scripturis esse dicitur ille summus & altissimus auctor omnium: Fi-*

lius ergo non est ille summus & altissimus omnium auctor. De hac argumentatione diximus antè satis Defensione 2. In summa, Antecedens huius enthymematis ambiguum est: & ita quod de vno sensu in antecedente potest affirmari sanctè, diuerso sensu in consequente concluditur. Quamobrem antecedens distinguimus: negamus consequens. Antecedentis duo sunt æquiuoca. Primùm enim *Deus* appellatur *Pater* aut essentialiter (est autē Deus essentia vnus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus) respectu creaturarum, aut personaliter respectu Filij & relationis internæ illius quæ est inter Patrem & Filium. Priore modo interpretationis antecedens agnoscimus: posteriore minimé. Ad hunc autem consequens resp[ici]t. Secundò nomen *solus* aut est categorematicum, simpliciter notans subiecti solitudinem, velut carentis altero eadem natura aut conditione prædito; aut est syncategorematicum, respectu alicuius dictum. Si Pater solus dicitur categorematicè, propositio falsa: nam neque persona Patris est sola, neque essentia Dei sola, in quo viuimus, mouemur, & sumus. Sin autē solus appellatur syncategorematicè, aut statuitur solitudo in forma subiecti; aut in ratione prædicati. In subiecto: quemadmodum Augustinus dicit, *Solum Patrem dicimus, non quia separatur a Filio, vel Spiritu sancto, sed hoc dicentes significamus, quòd illi simul cum eo non sunt Pater.* Atque hoc sensu de Patre ὑσιωδῶς verum, (vt in sequentibus etiam interpretationum modis) hoc dictū est sed falsum hypostaticè. In ratione prædicati aut excludit alium, aut aliud. Si alium personaliter, itidem falsum: si aliud, verissimum. nam quid adæquaretur Deo, aut consociaretur illi? Ex ambiguo nihil cōcluditur: quid falso facias? nam ex consequente argumentationis tuæ facilè deprehendimus quid tibi isto antecedente velis, quum Christum opponis Patri. Hac mēte vtrumque fal-

Lib. 6. de Trinit. cap. 7.

sum. Confirmaturus sententiam suam duos locos e Scripturis adfert, vtrumque incommodè: nam eadem æquiuocatione & ambiguitate conatur fallere. Sed de ijs iam diximus Defensionis 2. segmento 3. & 4. & 10. & alijs præterea locis. Inconsequens & falsa argumentatio.

His dictis, transiturus Samosatenus ad alterũ testimoniorum genus de persona Christi, occupatione vtitur: *non negare se quin Christus sit Deus, sed Deum esse inferiorem Patre, superiorem alijs omnibus qui dicuntur dij.* Quod totum sub principium huius segmenti antè cõfutauimus. Nam si Christum fatetur Deũ, aut propriè dicatur necesse est, aut figuratè Deus: non autem figuratè, vt essentia, potentia, officijs, operationibus, effectis eius & testimonijs Scripturæ centies demonstratum: propriè igitur. Tum quod inferiorem dicit Patre, quà Christus Deus est, fallit elenchi ignoratione: nam quà Deus est essentialiter, & secundùm naturam diuinam suam, æqualis est Patri: quà autem Mediator caro factus consilio suo, & secundùm dispensationem voluntatis suæ, est inferior Patre. Nam qui Deus est natura, inaniuit sese voluntate gratiæ. Ingrati autem est animi, si eius naturam qui se abiecit tua causa, eo ipso nomine quòd abiecit sese, oppugnaueris. Sic κρίος τροφεῖα ἀποτίνννει, quod vulgo dici solet. Quamobrem vtut sequentibus verbis euehat Christum, nihil agit. Vt si quis hominem iugulet, ornet imaginem, sic Christo Samosatenus facit: naturalia destruit, prædicat accidẽtia & adiuncta eius. Atqui natura destructa, Samosatene, id nunquam effeceris, vt verè diuina de Christo prædicentur: nam quæ verè & essentialiter diuina sunt, ea sunt incommunicabilia: nec magis fieri potest vt creatura essentialiter res verè diuinas habeat, quàm vt creatura sit Deus. Res verè diuinæ sunt deitatis propriæ totius, solius, & semper, secundùm perfectionem essentiæ eius. Has si

Christus habet, (vt habet) verè Deus est secundùm perfectionem essentiæ illius: si non est Deus secundùm perfectionem essentię illius, nec res illas verè diuinas habet, vtcunque hominem amplissima oratione extuleris. Testimoniorum de Christo summa est, *ea prædicari in Scripturis de Christo quæ Deo essentiali non possunt competere*: ex quibus concluditur *Christum ergo non esse Deum essentialiter natura, sed accidentariè per communicationem gratia.* Negatur omnium consequentia: quia antecedens & consequens secundùm aliud & aliud dicta sunt. Nam quædam prædicantur de Christo, quà Deus essentialiter; atque hæc diuina sunt: quædam prędicantur de eodem, quà θεάνθρωπος, Deus & homo in vnitate personæ: atque hæc mediatoria sunt: quædam verò quà homo similis factus fratribus suis, excepto peccato: atque hæc humana. Quemadmodum autem primus ille distinctionũ gradus in persona Christi sequentes & inferiores non abolet: sic etiam non aboletur sequentibus & inferioribus his, quos modò ostendimus. Concurrunt, non concertant: constituunt vnum opus suppositi vnius, non autem suppositum aut partes illius destruunt: quod Samosatenus hoc testimoniorum genere conatur agere. Nam vtrique naturæ Christi, velut differentibus subiectis, sua sunt adiacentia & actus necessarij: similitérque personæ, velut supposito ex duabus illis naturis constanti. Hi autem actus & adiacentia distincta permanent, nec magis confundi possunt quàm ipsæ naturæ ad cõstitutionem personæ vnius adunatæ. Itaque a parte vna de altera nihil concluditur, aut contra alteram: nec a natura vna de altera, aut contra alteram in hoc argumento. Demonstratur illud hominis exemplo ex corpore & anima constituti. Nam siquis aut corporis attributa de anima enunciauerit, aut ex attributis corporis de anima itidem argu-

argumentetur, quis ineptientem ferat? Idem facit Samosatenus de persona Christi loquens, & applaudit sibi. Belle sané. At quis hoc argumentationis modo tandem non vincat hominem nihil nisi corporeum esse, ac proinde Samosatenum ipsum nihil nisi brutam pecudē censeri oportere? Quem hominem non pudeat istius infantiæ, simul atque in se ipse respexerit? Sed ad locos singulos veniamus. Primus locus est Heb. 1. & 3. vbi *Christus cum Angelis, cum Mose comparatur, & illis anteponitur.* Rectè: sed anteponitur, mi homo, non solùm propter dona gratię accepta in tempore, verumetiam, idque inprimis, propter veritatem naturæ diuinæ, & deitatem personæ: quod Apostolus vtroque loco clamat potentissimé. Etenim capite 1. versu 1. appellatur *Filius:* versu 2. *per eum Deus mundum condidisse:* versu 3. esse dicitur *effulgentia gloriæ & character personæ illius, sustinens omnia virtute verbi sui:* versu 6. *iubentur Angeli adorare illum*, quod soli Deo deberi Christus ipse ex Mose docuit Matth. 4. tum versu 8. de Filio dicit Psaltes, *Solium tuum, o Deus, in seculum seculorum:* & alia quàmplurima, quæ breuitatis causa omittimus. Est igitur anteponēdus Angelis, Mosi, creaturis omnibus, non solùm propter communicatam gratiæ plenitudinem, sed etiam propter naturæ illius diuinæ, quam ex Scripturis in Christo nouimus atque colimus, veritatem: non solùm propter dona, vocationem, officia, beneficia, operationes, effectáque diuina illius, sed etiam propter naturam diuinam ipsius, quæ sola natura est subiectum in se per se capax istarum operationū; in carne verò sua, velut instrumento coniuncto, operans.

Secundus locus est Ioan. 3. *huic non admetitur Deus spiritum, itaque de plenitudine eius omnes acceperunt.* Ioan. 1. Tertius, *omnia dedit ei in manum Pater*, Ioan. 3. Quartus, *data est illi omnis potestas in cælo & in terra*, Matth. 28.

Summa, Deus dedit illi spiritum sine mensura, omnia, potestatem omnem: ergo & Deum esse hæc donans dedit. Negatur consequens: nam Deum esse propriè & essentialiter, naturæ est: illis donis donari, est communicatæ gratiæ. Patrem autem dedisse illa dona Filio in Scripturis legimus: dedisse vt Deus sit, nusquam legimus. Ex illis autem adiacentibus quæ in tempore data sunt Christo non secundùm naturam diuinam, sed humanam ipsius in persona Mediatoris nostri, ineptè concluditur de natura diuina eius, vt antè ostendimus. Secundùm naturam diuinam, vt natura est, Christus nihil horum accepit simpliciter: sed tantùm secundùm personam, quà diuinitas secũdùm dispositionem gratiæ inaniuit sese assumta humanitate in vnitatem personæ. Sic variè peccatur in ista argumentatione. Nam primùm quod dicitur de Christo secundùm quid, affirmatur de eo simpliciter secundùm se: sic enim se habent inter se dispensatio & natura. Tum a qualitate ad substantiam non valet argumentatio, mutato prædicationis genere. Præterea Dei nomen sumitur æquiuocè: quia essentiam notat, vt antè diximus, hîc autem de qualitatibus enunciatur: quod in rebus creatis fertur secundùm quamdam imaginem, in diuinis ferri nullo pacto potest. Postremò etiamsi daremus loquutionem istam, *Deum Patrem dedisse Filio vt sit* DEUS (etenim dari potest, & sanctè prædicari) tamen æquiuoca loquutio futura est: nam dedit Pater illi Deum esse, quà Filius est, id autem est, generatione naturæ, & filiatione, vt loquuntur vulgo: dedit verò omnia, spiritum, omnem potestatem, ex horum locorum qui adducuntur sententia, per dispensationem voluntatis inanito Filio, communicatione gratiæ. Sed de his antè Defensionis 2. segmento 12. & alijs aliquot locis. Quintus locus est Philipp. 2. de exaltatione Christi, & fine exaltationis illius. Sic enim argumen-

argumentatur: *qui exaltatur, & exaltatur ad gloriam Altissimi, idem non est altissimus: Christus exaltatur, idque ad gloriam altissimi: Non igitur Altissimus.* Maior vera est, si idem ad idem ratione eiusdem dicitur de eodem Christo. In hac autem argumentatione idem de eodem dicitur: sed nec ad idem, nec ratione eiusdem dicitur. Non ad idem: nam alia est altitudo naturæ diuinæ, qua Christus est altissimus, alia exaltatio personæ, qua θεάνθρωπος Sermo propter nos caro factus per dispensationem gratiæ supra res omneis creatas secundùm naturam humanam euectus est. Nec ratione eiusdem: quandoquidem Christus, vt Deus simpliciter, non exaltatur, cùm sit natura altissimus: sed exaltatur, vt Mediator & sponsor factus pro nobis dispensatione voluntatis suæ, in persona sua, secundùm naturam diuinam φανερώσει, vel manifestatione, secundùm nostram reipsa & veritate. Minorem itaque si de Christo secundùm naturam illam enunciaueris simpliciter, falsa est propositio: si de persona quatenus inaniuit se & homo factus seipsum subiecit, &c. verissima. Sed ab hac constitutione personæ & inanitione naturæ argumentari contra naturæ veritatem, inscitum atque indignum est. Nam qui natura est altissimus, idem est abiectus dispensatione gratiæ: qui natura est finis omnium, ad cuius gloriam contendunt omnia, idem quasi natura cedens per dispensationem voluntatis suæ gratiosæ se adiunxit nobis, vt ad finem illum contenderet, nósque secum in vno corpore perduceret. O homines miseros, qui modum salutis suæ oblatum in humilitate carnis Christi abripiunt vltro, vt oppugnent euertantque amplitudinem maiestatis eius. Christus enim, quà Deus, finis est ad quem omnia contendunt, sed communiter cum Patre & Spiritu sancto in vnitate essentiæ; quà homo verò factus, instaurator est & dux omnium ad

finem: quà Deus, altissimus: qua Deus homo factus, trahens omnes post se & exaltaturus in æternum ad finem fidei nostræ, puta salutem animarum nostrarum in gloria. Hoc omnis lingua pia iam confitetur, & sancta illic confessura est, noscens personam illius θεανθρώπου, & agnoscens beneficium. An ergo, Samosatene, salua his modis gloria altissimo illi Deo Patri omnium auctori futura est, si Filio eius naturam, qua idem est cum Patre, sustuleris? Hoccine de Filio verum, aut Patri gloriosum, si Filium dicatur ὁμοιούσιον, ac potiùs ἑτερούσιον genuisse? si Pater dicatur non misisse eum de cœlo? si ipse non venisse in carne, & inaniuisse in ea sese? si non perfecisse redemtionem nostram dispensatione gratiæ, sed naturæ lege? si deniq; res diuinas & operationes miraculosissimas, quas solus Deus potest facere, sine forma essentiali Dei & perfectione deitatis perfecisse? Quin potiùs gloriosum est Patri, quòd Filium gignat ὁμοούσιον: gloriosum, quòd misit vnigenitum e cœlo ad institutionem nostram: gloriosum, quòd corpus aptauit ei ad communionem nostrã: gloriosum, quòd disposuit inanitionem illius ad complementum nostrum: gloriosum, quòd perfecit redemtionem in Filio ad salutem nostram: gloriosum denique, quòd dispensauerit per eum miracula sua virtute essentiali deitatis eius. Quod autem Patri, idem etiam Filio est gloriæ secundùm vnitatem essentiæ diuinæ, & veritatem personæ. Hæc non ludicra cauillatio est, sed seria sanctáque gratiæ erga nos æternæ prædicatio, quum naturarum duarum integrarum vnionem inter se agnoscimus: quam qui dissoluit, personam dissoluit, & salutem perdit in ea persona constitutam, & a Deo Patre in Christo exhibitam gratiosissimé. Sextus locus est Col. 1. de quo Defensionis 2. segmento 6. diximus. Nasturtium, Samosatene, a te edi oportuit, quum ista scriberes. Quid enim?

enim? an nondum vides ex ipsa verborum serie Paulum ostendere amplitudinem tum personæ Filij (quem dilectionis Filium appellauit) tum beneficiorum eius & redemtionis nostræ grauissima descriptione proprietatum eius, quæ nemini homini possunt competere? Primùm enim proprietates personæ Filij, quas in se habet, explicat duabus comparationibus: vna relationis internæ, quòd *imago est Dei inuisibilis*, perfecta inquam imago & essentialis Patris, vt Defensione 2. fuit demonstratum: altera relationis externæ, quòd *primogenitus est omnis creaturæ*, abs quo in omnes fratres deriuatur omnis benedictio & sanctificatio, vt Hebr. 2. dicitur. Deinde verò vtriusque partis enarratio ordine contexitur & cõfirmatio ab operibus seu effectis illius: prout in rebus diuinis ab effectis ad causam mentes nostras opùs est assurgere. Imaginem esse Dei inuisibilis, ab opere creationis, gubernationis, & sustentationis confirmatur, his verbis: *Nam per eum condita sunt omnia quæ in cælis sunt & quæ in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominia, siue imperia, siue potestates, omnia per eum & respectu eius sunt condita:* hactenus creationis opus. Sequitur gubernationis & sustentationis, *estque ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt.* Per quem hæc facta sunt, is necessariò perfecta & essentialis est imago Dei Patris: Per Christum hæc facta sunt: est igitur imago Patris. Pòst autem primogenitum esse omnis creaturæ Christum demonstratur simili analogico, quum dicitur *esse idem caput corporis Ecclesiæ:* & huius similitudinis analogia ostenditur a modo & fine ipsius. Modo: nam *est principium* auctor Ecclesiæ suæ, & *primogenitus ex mortuis*, eos principaliter a morte vindicans & vindicatos seruans. Fine autem: *vt inter omneis teneat primas.* Vtrumque asseritur de Christo, natura diuina, & operatio in carne, naturæ illi diuinæ respondens (vt loquuntur) pro-

portionaliter. Nam proportionem essentiæ aut naturæ agentis sequitur operatio: huius operationes diuinæ sunt: ergo & natura est, quum operationum illarum potestatem habeat in se, & actus efficiat per se. Quo itaque argumento vtitur Paulus Apostolus ad demonstrandam deitatem personæ Christi, eo tu, Paule Samosatene, ad oppugnationem eiusdem abutaris? At, inquit ille, falsa est hæc interpretatio. Nam si ita esset, hæc propria Christi dicenda essent: non sunt autem propria Christi, vt Apostolus ibidem exponit dicens, *Quoniam placuit Patri vt omnis plenitudo in eo inhabitaret:* falsa igitur interpretatio. Minorem negamus: nam proprium est personæ Christi, ac non cuiusquam alterius, omnem plenitudinem habere in se ad præstandum Mediatoris officium: de hac autem plenitudine agit disertè Paulus, & confirmant planè sequentia, *& pace per sanguinem eius facta, per eum reconciliare omnia sibi*, &c. Sed non habet a se hanc plenitudinem, fortasse dixerit: non igitur propria ipsius. Ambiguum antecedens, & falsum consequens. Plenitudinem non solùm hanc, sed infinitam diuinámque secundùm essentiam habet Christus a se, quà Deus: sed quà inanitus & factus caro, accepit & habet a Patre secundùm dispensationem gratiæ & beneplacitum diuinæ voluntatis. Cõsequens igitur reipsa & argumento falsum. Re: nã quòd secundùm essentiam deitatis habet Christus a se, id secundùm dispensationem accepit a Patre, quantum ad mediationem opus. Argumento: nam falsum est axioma illud Samosatenicum, *quod quis a se non habet, id non esse proprium illius*: si vocem istam, *a se*, de principio & ortu acceperis. Nam ego principium & ortum quidem habeo a patre meo: sed meum esse mihi tam est proprium quàm suum fuit parenti meo. Aliud est de ortu & generatione rei vnius agere, aliud de cõstitutione & esse illius.
Quòd

Quòd si aliud sibi Samosatenus voluit, quid toties æquiuocationibus tentat illudere? Hoc autem sensisse demõstrat loci, quo sermonem suum probare instituit, auctoritas. Falsa igitur, futiliáque omnia. Septimus locus est Hebr. 1. de quo Defensione 2. diximus, segmento 6.

Octauus locus est Apocal. 5. vbi de Agno agitur, id est, Mediatore nostro, qui secundùm carnem assumtam in persona sua accepit a Deo & Patre ista omnia ex dispẽsatione gratiæ. Duplex error (paucis dicam) hoc pacto committitur: vnus, quòd sermo de persona Filij Dei secundùm humanitatem dictus ad naturam superiorem inscitè aut malitiosè rapitur abolendam: alter, quòd res dispensatione gesta in tempore itidẽ occupatur ad euertendam æternam illam naturæ diuinæ in persona Christi veritatem. Elenchus fallacissimus, & frequentissimus in isto scriptorum genere. Nonus locus Ioan. 10. arx inuicta Samosateni est. *Christus,* inquit, *non aliam deitatis filiationísque rationem sibi tribuit, quàm quæ a Deo sibi, vt homini, per sanctificationem concessa est: Est igitur Deus ratione duntaxat sanctificationis illius.* Antecedens falsum. Nam Christus quidem instituit secum aliorum hominum cõparationem, vt homo, quia hoc argumentũ Iudæi vsurpauerant dicentes, *quia tu, homo cùm sis, facis teipsum Deũ:* sed instituta minoris comparatione, ostendit responsione sua se non hominem solùm agnosci, sed Deum etiam in vnitate personæ oportere: quæ duo Samosatenus iniquè diuidit, quamuis a Christo coniuncta. Nam de persona sua Christus secundùm naturam humanam (quam obiecerant Iudæi) dicit, *quem Pater sanctificauit:* at secundùm illam diuinam dicit, *quem Pater misit in mundum:* respiciens ad gratiosam missionem illam, qua Christus ex beneplacito Patris factus est caro, qui a natura est secundùm essentiam æternus Deus, secundùm personæ sub-

ſiſtentiam Filius Patri ὁμοούσιος, in tempore caro factus. Proinde vtroque nomine demonſtrat homines ſecum nullo iure comparari poſſe, neque naturæ, neque gratiæ donorúmque reſpectu: quemadmodum pòſt argumentatione confirmauit. Nam & verbo ipſius, & operationibus credi oportere: operationibus, inquam, velut ſignis per quæ credatur verbo: verbo autem, vt perſonæ & naturæ latentis indici, ſecundùm quam eſt in Patre & Pater in ipſo vnitate eſſentiæ καθ' ἐνάλληλον περιχώρησιν, vt vocabant Patres: hanc deitatem perſonæ cum maieſtate operum, tum veritate verbi hominibus ſic eſſe expoſitam, vt nemo dubitare debeat de Filio, quin ſit natura Filius vnigenitus; & de Patre, quin ſit naturalis ipſius Pater. Sic ergo multis modis Samoſatenus fallitur, & arci confidit ἀσαλώτῳ. Primùm membra diuidit coniunctiſſima, *quem Pater ſanctificauit & miſit in mundum.* Secundò comparationis vim & veritatem tollit: quia fit comparatio non ſolùm ſanctificationis ſecundùm magis & minus, ſed etiam naturæ perſonarum ex Iudæorum hypotheſi, cùm alioqui nec perſona Chriſti cum noſtra meritò, nec natura eius diuina cum humana debeat comparari. Tertiò *Patrem*, qui Pater natura eſt Filij, & eſſentialis Pater, opere ſolùm gratiæ Patrem eſſe intelligit. Quartò operum diuinorum deitatem eius teſtificantium argumentum oſcitanter omittit. Poſtremò non credit verbo, ſed ea oppugnat quæ Chriſtus dicit, nec vſquam alibi niſi de deitate perſonæ vnius cum altera & vnitate eſſentiæ leguntur dicta, *Pater eſt in me, & ego in eo.* Iſta verò auctoritas (liceat iam vti Samoſateni verbis) tam perſpicua ac clara eſt, vt ſiquis illam cum Samoſateno cauillari contẽdat, pluſquam peruicaciſſimum ſe prodat. Nam ex parte mutilatur, & corrumpitur verborum ſenſus ex parte, vt iſta obtineat interpretatio, quæ pòſt Moſis, Aa-

ronis,

ronis, Principum exemplo impiè ſtatuitur ad labefactandam veritatem perſonæ Chriſti. Decimus locus eſt Act. 2. *Deus hunc fecit Dominum & Chriſtum: fecit ergo Deum.* Negatur conſequens, vt paulo antè. Nam fallacia eſt conſequentis: & mutatur prædicationis genus ab attributis & adiunctis de ſubſtantia concludendo, præſertim non natiuis & neceſſarijs, vt vocant Logici. Eiuſdem generis ſunt quæ ſequuntur, quòd Pater locis innumeris vocetur Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Fallit enim Samoſatenus elenchi ignoratione. Pater enim Deus eſt Chriſti, non ſecundùm naturam illam æternam qua Filius eſt coæternus & æqualis Patri (etſi ratione principij aliquo modo, ſed tamen duriter, appellari poſſet) ſed tum ſecundùm diſpenſationem illam qua Filius ſe inaniuit ad opus Mediationis & redemtionis noſtræ, tum ſecundùm naturam humanam ipſius, tum ſecundùm corpus myſticum aſſumtum, id eſt, Eccleſiam, quam ipſe ſibi ſuo ſanguine comparauit. Illi ergo κόμποι Samoſatenici omnino nihil ad rem, quum ex verbis Pauli & Chriſti ipſius ſe ſomniat triumphare. Hæc ſi faciunt Samoſateni inſcienter, diſcant: ſin verò ſcienter prudenter, reſipiſcant velim: quam ad rem oro mentem det illis Dominus, vt credant veritati. Sic duorum aliorum locorum habetur interpretatio. Quod itaq; argutatur *Chriſtum ſedentem ad dexterā Patris gubernare Eccleſiam, vt vicarium, non vt principalem Dominum*, falſſimum eſt ex eadem elenchi ignoratione proficiſcens, vt Defenſione 2. docuimus. Nam Chriſtus, quà Deus cum Patre & Spiritu ſancto in vnitate eſſentiæ, gubernat vt principalis Dominus communiter cum Patre & Spiritu ſancto æterna communis eſſentiæ naturæque diuinæ veritate: quà Mediator & homo factus, gubernat vt vicarius diſpenſatione ſingulari atque voluntate: quæ duo nullo modo inter ſe pugnare

iam sæpe demonstrauimus. Contra hanc veritatem nihil, Samosatene, potes: quin sinis vt possit apud te omnia veritas? Decimus tertius locus est 1. Cor. 15. de quo tum Defensionis 2. segmento 12. tum hoc ipso segmento ad prioris scripti Samosatenici verba diximus satis, iudicio nostro, & ex Dei veritate, vt confido in Domino. Decimus quartus locus est non vno, sed pluribus locis comprehensus, *Christum semper in omnibus suis verbis ac factis omnem laudem & honorem Patri Deo suo* (sic enim mauult Samosatenus captiosè loqui, quàm cum Scripturis dicere Deo Patri suo) *detulisse*. Primùm falsa est propositio: nam etiam sibi Christus honorem vindicat, & eumdem cum Patre: quemadmodum ipse dicit, *omne iudicium dedit Filio: vt omnes honorent Filium, prout honorant Patrem: qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui misit ipsum*: & similia multa. Secundò, etiam quatenus hæc propositio vera est, fallit tamen Samosatenus, quum ex particulari statuit tolli communis rationem posse: nam secundùm deitatem, honor vnus idemque communis est Patri, Filio, & Spiritui sancto; qui honor quum de vna aliqua persona prædicatur, non deminuitur de ratione communis quicquam. Ex particulari autem ad commune affirmatiuæ propositiones duci possunt, negatiuæ nunquam. Tertiò, vt veram demus de cætero propositionem esse, laborat tamen ex elenchi ignoratione. Nam aliter Christus loquitur, vt Deus simpliciter in æqualitate naturæ, aliter verò vt Mediator & homo factus, secundùm dispensationem officio, secundùm humanitatem natura minor & inferior Patre. Quid istis miseris, infirmis, fallacibus argumentis & probationibus facias?

Ioan. 5.

His positis, Samosatenus cõcludit tãdem aphorismis duobus sermonem suum. Eorum prior huiusmodi est: *Omnes prærogatiuæ ac excellentiæ, quæ in Scripturis Christo*

attribui

attribui leguntur, non vti Deo illi summo omnium auctori, sed vti Mediatori nobis a Deo constituto attribuendæ sunt. Hunc bellum aphorismum negamus constantissimè. Tollatur vniuersale signum: nos idem affirmabimus. Nam (vt antè diximus) eorum quæ in Scripturis de Christo prædicantur, alia prædicantur de persona eius secundùm naturam diuinam solùm, alia secundùm humanam solùm, alia denique secundùm vtramque simul, vel secundùm totum (vt loquuntur) personæ. Dicendum ergo Samosateno fuerat, non *omnes*, sed quædam, indefinita voce. Sic verum fuisset dicturus: quod secus dixit, præstare non potest, qui nihil contra veritatem potest. Nam secundùm deitatem ante Ioannem fuit: secũdùm humanitatem post Ioannem venit: secundùm vtramque naturam Mediator noster est, Agnus ille Dei qui tollit peccata mundi; quà Deus per se ac principaliter; quà homo, in se ac instrumentaliter. Alia quàm plurima proferre possem: sed hæc satis hoc tempore, vt omnes intelligant, siqui aphorismum istum mordicus teneant, eos plurimùm erraturos: qui mediam viam hanc tenuerint, hos certa Scripturæ vestigia veritatísque diuinæ sequuturos. Posterior aphorismus est, *quando Christus a Patre huiusmodi potestatem, gloriam, maiestatemque acceperit, Petrum exponere epist. 2. cap. 1. nempe quando vocem illam pronunciauit in monte sancto*, &c. Falsus, & fallens aphorismus. Omnino certè falsus est: nam & antè, & pòst accepit, & eo tempore, vt Mediator est Dei & hominum, homo Christus Iesus. Antè accepit, per gratiam vnionis, re ipsa: quapropter diu ante illud tempus dicebat Christus, *omnia tradita sunt mihi a Patre meo*: item, *Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manum.* Pòst accepit manifestatione & exsequutione illius, vt dicit Apostolus *eum declaratum fuisse Filium Dei in potentia secundùm Spiritum san-*

Ioan. 1.
Matth. 11.
Ioan. 3.
Rom. 1.

ctitatis per resurrectionem ex mortuis. Res enim tum dicuntur fieri, quum manifestantur, vt orthodoxi Patres optimè docuerunt. Illa autem declaratio quæ in monte sancto tribus Apostolis spectantibus facta est, particularis fuit manifestatio, huius communis manifestationis παρασκευαστική, vt verba Christi commonstrant manifestissi-
Matt. 17. mè, dicentis, *Nemini dixeritis quod vidistis, vsque quò Filius hominis a mortuis resurrexerit.* Falsus igitur aphorismus. Quid verò, quòd fallit ex elenchi ignoratione? Non enim sequitur, si Christo, vt Mediatori θεανθρώπῳ per illud tempus data est potestas, &c. si tum accepit ille, non ergo eum antè secundùm deitatem fuisse, aut in se gloriam habuisse. Nam secundùm deitatem Christus gloriam diuinam essentialem habet, vt suum ipsius esse: secundùm humanitatem verò gloriam habet quam accepit; non vt natiuum & perpetuum adiacens, sed vt adiacens comparatum atque a Patre acceptum in tempore.
Ioan. 17. Secundùm illam Christus dicebat Patri, *gloriam habui apud te prius quàm mundus esset:* secundùm hanc verò dicebat ibidem, *Pater, glorifica Filium tuum, vt & te Filius tuus glorificet.* Habes igitur qua ratione Christus æternùm sit gloriosus gloria essentiali & cōmuni Patris & sancti Spiritus, vt Deus: & qua ratione idem sit gloriosus factus, vt Deus in carne patefactus, Mediator noster: quam distinctionem certissimam iam olim Samosatenus, Photinus, Arius, & alij summo opere cupiuerunt obscurare. Sed gratiæ agendæ sunt Deo auctori atque vindici veritatis suæ.

SAMOSATENVS. 6.

MS. Hoc erat in principio apud Deum.

REPETIT, *Verbum hoc quod erat Deus, id est, Iesum Christum in principio Euangelij, & antequàm scilicet prædicationem*

cationem regni Dei suis Iudæis manifestaret, soli Deo fuisse notum, hominibus verò incognitum. Quæ repetitio etiam alia ratione nobis valde opportuna & vtilis fuit. Per hanc enim declarare voluit, quàm nos tanti beneficij gratos esse oporteat, postquam Christus, vti Verbum, anteà incognitus, nobis autem reuelatus fuit.

ORTHODOXVS.

TOTA hæc interpretatio falsa est, atque a vero aliena, vt suprà segmento 4. docuimus. Res verò ipsa nihilo plus veritatis habet. Quæ duo quia ibidem copiosè fuerunt exposita, vnde peti a Lectore possunt, hîc a repetitionis fastidio supersedebimus. Quòd autē hæc verba prior coniunxit antecedentibus iudicio suo, ac non Euangelistæ ordini obsequens, id consilio non satis iusto fuisse factum, segmento 4. & 5. ostendimus.

SAMOSATENVS. 7.

Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est.

HAC *etiam particula abusi sunt mirè ad probandum Christum esse creatorem omnium, cæli terræq́. Sed in eo falsi sunt: primùm quòd vnum Deum esse Christum cum Patre somniarunt, illique coæternum & coæqualem, quare etiã creatorem cum illo vnum esse commenti sunt: secundò quòd creationis vocem non intelligerent de recreatione seu renouatione, reconciliatione, & recapitulatione, restauratione que accipi quoque sæpe in Scripturis, vt Paulus docet, & superiùs colligere potuisti. Quod ad primum attinet, nemo piorum est qui degustauit sacras literas, qui vel vnum Deum esse Christum cum Patre, vel etiam creatorem esse cæli terræq́ assereret.* Vnus est enim Deus Pater, qui creauit omnia: alius ergo non est. Solus erat, & nemo illi aderat, quum crearet cœlos,

Esaiæ 44. teste. Solus extendit cœlos, *Iobo teste cap. 9. Ille creator omnium vbique in lege, a Prophetis, Christo, & Apostolis prædicatur, tum in Symbolo Apostolico. Vide locos Deuter. 32. Esai. 40. 42. 44. Malach. 2. Sic Actor. 4. 14. 17.*

Neque verò sola creatio: sed omnia opera quæ fecit Deus sub veteri Testamento, siue verbo iubendo & promittendo, siue Spiritu oris sui re præstando, tribuuntur illi vni Deo Christi Patri (vt Lucas Actor. cap. 13. apertißimè docet) qui tandem impleuisse promißiones dicitur educto filio & dato ex semine Dauidis, non ex aliquo Verbo Dei æterno. Moses etiam describit accuratè, & nemo illo meliùs (huic enim soli data fuit hæc prouincia a Deo) omnium rerum creationem: singulos dies recenset quo quid factum sit: enumerat etiam animantia, bestias, insecta, herbas, & quidlibet suo genere: vbi, si quis Filius Dei adfuisset in creatione, an hoc præterijsset? Quemadmodum vbi ad restaurationem prolapsæ creaturæ venit, statim seminis mulieris, non æterni Filij, ad conterendum caput serpentis meminit. Et in historia Abraham meminit recuperandam benedictionem amissam per semen eius, Genes. 12. non per æternum quoque aliquem Christum dicit. Vtrobique & ad maledictionem auferendam, & ad benedictionem conferendam (in quo omnia opera Christi comprehensa) seminis humani, non æterni alicuius Dei meminit: tum mannæ cœlestis, tum aquæ ex petra profluentis, agni Paschalis, serpentis suspensi, sine quibus Deus populum illum nec aluit, nec potauit, nec seruauit. Describit structuram tabernaculi cum apparatu vario: sic sacrificia, fusionem sanguinis, & partium orbis vel altaris, ad quam fiebat: quæ omnia erant vmbra futuri Christi. In creatione verò cæli & terræ, omniúmque per Christum (si qua esset) surdáne aure præteriret? Annon absurdißimum esset, res factas per illum omittere, futuras autem longè pòst accuratè describere? vmbras nullas intermittere, & reptilia insectáque describere, Christum autem per quem facta essent omnia obliterare?

terare? Quod ad nouam creationem attinet, hæc in nouo Testamento vbique tribuitur Christo, per quem Deus hanc exsequutus est, de qua etiam hîc Ioannes loquitur, omnia per illum Christum Deum Verbum, qui fuit caro, facta esse, & sine illo nihil factum quod factum fuisset: vbi quoque statim additam restrictionem vides, ne quis vniuersaliter de omnibus creaturis hoc dici putet: addit enim, quod factum sit, *intelligens de ijs rebus quæ factæ sunt per eum. Nam ea exceptione innuit alia esse sine illo facta antequam educeretur ex semine Dauid, vt sub veteri Testamento fuisse diximus. Sed de noua creatione loquens Scriptura tribuit illi quòd* [1] *per illum sint omnia & nos per illum, & nos creatos dicit in Christo ad bona opera, vt in illis ambulemus, 1. Cor. 8. Ephes. 2. Et 2. Cor. 5. scribit, si quis igitur est in Christo, noua creatura est:* [2] *ecce nouam creaturam in Christo audis. Addit præterea, vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia. en quoque omnia noua audis in Christo. Certè cœlum, terráque, mare, arbores, animantiáque omnia denuò creata non sunt per Christum: sed loquitur hîc de spirituali renouatione & cum Deo reconciliatione per Christum: quemadmodum ibidem statim subdit dicens, hæc autem omnia (quæ scilicet sunt creata in Christo, & noua facta) sunt ex Deo, qui nos sibi reconciliauit per Iesum Christũ, dedítque ministerium reconciliationis: nempe quia Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, non imputando ipsis peccata ipsorum, posuitq; in nobis sermonem hunc reconciliationis. Hæc ergo creatio seu nouitas, omniáque noua seu nouæ creaturæ describuntur a Paulo, non cœli terræq; fabrica. Similiter & Ephes. 2. ait, vt conderet in semetipso in vnum nouum hominem faciens pacem, & vt reconciliaret ambos Deo per crucem. Similis est locus Ephes. 3. vbi dicit, omnia creata esse a Deo per Christum: qui locus de secunda creatione seu renouatione intelligitur, vt ex circumstantijs colligere facile est: quod & Caluinus apertè fatetur, quamquam in alijs locis aduersetur.*

Huic nouæ creationi per Christum seruit & ille locus Colos.1. vbi mox a principio describitur Christus, [3] non aliquis æternus, sed ille ex Maria natus, habens sanguinem, per quem habemus remißionem peccatorum. Meminit & ibi operum tenebrarum primùm, ad quæ destruenda venit Christus, 1. Ioan. 4. meminit & regni Christi, in quod translati sumus. [4] Regnū autem hoc cœpit in Christo homine: illi enim dicitur Luc. 1. dabit illi Deus (non antè dederat) sedem Dauid patris sui, & regnabit in ea. non regnauit anteá. Qui, & imago quoque Dei inconspicui, & primogenitus omnis creaturæ dicitur: per quē Christum hominem omnia sunt condita, seu renouata, vel recollecta, aut recapitulata: quod idem esse ex Pauli verbis quiuis colligere potest, quæ ibi sequuntur vice expositionis, & Ephe.1.

In vtroque autem loco eodem modo describit non cœli terræque creationem, quæ solius Patris est, Christo tribuens, sed eorum quæ in cœlo & in terra sunt renouationem. Non enim tribuit Paulus Christo cœli & terræ creationem, sed pacificationem vel reconciliationē eorum quæ in cœlo & in terra sunt: vt & Hebr. 9. cælestia ait per Christum repurgata, non facta. Per Christum enim non solùm Patrem se nobis Deus demonstrauit, nos recipiendo pro filijs, sed & omne dißidium inter cælum & terram sustulit, Angelos (qui olim erant hostes nostri vnà cum Deo, & Adamo ingressum paradisi flammeo gladio prohibebant) non tantùm amicos, sed etiam ministros fecit: qui gaudent super vno pœnitente plus quàm semper multis iustis, & Angeli piorum intuentur faciē Patris in cœlis semper, Heb.1. & Matth.18. Hæc autem omnia data nobis in Christo, cui Deus vt capiti nostro subiecit omnia, cui introducto in orbē terrarum dictum, & adorent eum omnes Angeli Dei. Per hunc Christum quoque quæcunque erant maledicta in terra, per crucem mortemque in benedictionem vertit, vt nihil iam supersit in cœlo & terra cuius inimicitiæ nobis metuendæ sint, postquam Christum fratrem nobis per omnia similē, caput vniuersæ creaturæ

turæ & dominum potestatem in cœlo & terra tenentem habemus. [5] *Vt verò de Angelorum creatione Scriptura tacet, ita & de lapsu eorum, similiter etiam & de eorum restauratione paucis attingit. Restauratione quidem egebant, postquã illorum caput est Christus, postquam & Christus sine capite suo Patre nihil potest, Ioan 5. Angelica natura etiam lapsu priorum Angelorum forte imminuta, vt & lapsu Adami humana corrupta natura.* *Hæc creatio seu reconciliatio per Christum facta in cœlo & in terra plus nobis fructus attulit, & multo ampliorem gloriam Dei in nos patefecit illa priore, quam habemus communem cum aliis creaturis.*

Ergo vt vetus Testamentũ illã priorem creationem vni & soli Deo creatori omnium Patri tribuit, ita istam posteriorem creationem seu renouationem, seu recollectionem omnium in cœlo & in terra Christo facto noui testamenti Mediatori tribuit nouum Testamentum. Non enim dicit vsquam solum Deum omnia seruasse vel absoluisse, sed per Christum cuncta fecisse & reconciliasse: vnde & nos redemptos, iustificatos, sanctificatos, Deo reconciliatos, & vitæ æternæ hæredes factos (quod est nouæ creationis) per Christum noua Scriptura semper asserit (absque isto enim nihil horum factum est) tum etiam accessum nullum nos habere nisi per Christum ad Deum, [7] *de quo sub veteri testamento altum silentium.* [8] *Vt quoque sub veteri Testamento suo ordine omnia opera creationis prioris &, quæ ad eam pertinet, conseruationis recensentur, Deóque Patri vni tribuuntur: sic etiam in nouo Testamento omnia opera nouæ creationis per Christum factæ recensentur quæ a Prophetis prædicta erant, neque intermissum quicquam quod nos scire expediret. Omnia inquit Lucas Actor. 1 se scripsisse, quæ Iesus cœpit (cœpit inquam) facere & docere (ecce initium operum & doctrinæ) vsque ad illud tempus quo in cœlum assumtus est, priùs constitutis testibus horum. Vide Matth. 4.*

Ad eumdem quoque modum & Paulus de operibus huius

nouæ creationis scribens nouum testamentum statuit initium horum tum dictorum, tum factorum, Hebr. 1. quum nouissimis temporibus Deum ait loquutum esse per Filium, quod antè sub veteri testamento fecit per Prophetas. Sic & cap. 2. Hebr. vbi & doctrinæ salutis cœptæ prædicari a Christo, & operum eius summa recensetur. hoc ipsum & cap. 12. Hebr. confirmat: Et cap. 3. Christum facit administratorem domus Dei, *cuius domus nos sumus.* 5 *Mentiretur certè Paulus, & Lucas: tum alij Euangelistæ, vt Marcus, qui initium Euangelij Iesu Christi describit: siquid antè sub veteri testamento Christus vel docuisset Patres, vel etiam fecisset.* *Christus etiam ipse, si creasset cœlum & terram, non tacuisset istud: ibi præcipuè, vbi contra Iudæos probat se filium Dei esse ex operibus communibus cum Patre: vbi tantùm operum nouæ creationis meminit in sanando, viuificando, resuscitando, iudicando. Dixisset etiam, si verum fuisset hoc, vt Pater operabatur creando, ita & ego operabar: sed tantùm de præsentibus loquitur, & Patrem sibi adiungit, quia Pater per eum omnia fecit: de præteritis tacet. Violasse ibi sabbathum negauit Christus, quia vt Pater omnia conseruando operatur, ita & Christus sanando in sabbatho hoc ipsum cum Patre egit.* 10 *Sed & Prophetæ omnes de hoc alio secundo creatore tacent, vno contenti sunt Patre: opera autem Christi futura describunt Esai. 35. & 61. quæ Matthæi 2. & Luc. 4 quoque recensentur. Et hæc sunt opera nouæ creationis, seu restaurationis.* *Summa est, loquitur hîc Ioannes de Christo ex Maria nato, per quem loquutus est Pater, non olim, sed nouissimis istis temporibus: vnde quoque Sermo vel Verbum dicitur.* *De nouo testamento loquitur, cuius Christus homo, teste Paulo, est mediator: & Mediatori competit vt sint per illum omnia, non autem ex ipso.* *Hæ autem facta nouæ creationis describunt Euangelistæ quatuor, quæ per eum fecit Pater. Nam & Lucas scribit signa fecisse* Deum *per illum, dæmones expulisse, & omnes morbos sanasse, quia* Deus *erat cum*

illo

illo: nihil autem vsquam tribuitur Deo in Christo incarnato. Et Christus quoque sibi credi non vult si a seipso loquatur, vel faciat aliquid, sed propter opera quæ egit Pater per eum, sibi credi voluit. Sic aliâs de Christo scribit Euangelista, bene omnia fecit. sed quæ illa omnia? addit opera noui testamenti, nouæ creationis, in sanandis mutis & surdis, quæ etiam Esaias antè multo prædixerat: & de creatione cæli terræq; per Christum nusquam, cum omnibus Prophetis, vel verbo meminit. Sed & Ioannes cap. 1. inibi apertè ostendit gratiam & veritatem per Christum factam esse seu exsolutam, vt per Mosem Legem.

Ne quis ergo sibi somniet Filium Dei Christum æternum, cuius generatio, vel vnctio æterna demonstrari non potest, sed nec vllum opus: tum quòd aliquid acceperit a Patre, aut illi potestas data sit omnium. Isti enim ex Maria nato hæc omnia tribuit Scriptura.

M. S.

Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est.

DICTIO *hæc,* omnia, *nō est referenda (vt vulgo fit) ad primam illam cæli terræq; creationem. Nam Ioannes hîc non de materialis ac visibilis huius mundi (de quo perfectissimè scripsit Moses) sed de spiritualis mundi structura loquitur, quæ non materialibus sed spiritualibus rebus, id est, Euangelij verbo construitur. Siquidem Christum (vt dictum est) ab effectu Verbum nuncupat, quòd homines Euangelij doctrina spiritualiter instauret & regeneret. Vniuersalis ergo particula ista* omnia, *non est simpliciter intelligenda, vt ad visibilia ista trahatur: sed restringenda est ad negotium Euangelij iam tunc publicati ac recepti, quasi dicat, omnia quæ nunc in Christi regno facta conspiciuntur (nam eo tempore quo Ioannes scripsit hanc suam de Iesu Christo historiam multi iam ad eius cognitionem venerant, ac ex potestate tenebrarum ad verum* Deum

conuerſi erant) non aliunde facta ſunt, quàm Chriſti ſolius opera, Euangelijq́; ſui prædicatione. Nam & Chriſtus ipſe inquit, ſine me nihil poteſtis facere. Sic Paulus ad Corinth. 2. cap. 5. Si quis in Chriſto noua creatura eſt: vetera præterierunt, ecce noua facta ſunt omnia. & ad Epheſ. cap. 1. vt omnia per Chriſtum reſtauraret. & 3. capite, omnia creauit per Ieſum Chriſtum. Et hìc creare pro inſtaurare Paulus vſurpat: vt multis etiam veteribus & modernis placuit.

Orthodoxvs.

Hvivs loci interpretationem pro ſua ſapientia & auctoritate Samoſatenus aggrediens, primùm affirmat proteruè ſatis omneis qui receptam illam de æterno Dei Filio doctrinam ſacram & catholicam defendunt, hoc loco abuſos eſſe: deinde abuſionis membra duo ſummatim proponit, quæ pòſt reliquo ſcripto multis & eodem ordine enarrantur. Ac primùm quidem ſi ipſa Moſis, Prophetarúmque, Chriſti, Apoſtolorum, & Euangeliſtarum ſcripta expendimus, id ſanctè coram Deo Patre & Domino Ieſu Chriſto, qui venturus eſt ad iudicandum viuos & mortuos, poſſumus confirmare, non abuti eos Scripturæ loco qui germanam ſententiam eius, & reliquæ Scripturæ conuenientem afferunt: atque hanc interpretationem huius loci ita ſe habere. Deinde verò quos incuſat abuſionis Samoſatenus! Deus bone. Apoſtolorum αὐτόπτας καὶ αὐτηκόους, qui eos viderunt, audiuerunt coràm, atq; coluerunt: quorum in numero Polycarpus ſuſcepturus coronam matyrij in ſua extrema oratione hãc ipſam confeſſionem pronunciauit: tũ proximos horum diſcipulos qui in Eccleſia quàm fideliſſimè doctrinam eamdem a ſuis doctoribus acceptam tradiderunt ſermone & ſcripto: quemadmodum exſtant Irenæi luculentiſ-

Euſeb. li. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 16.

ſima multa,& de ijs vnum ſuprà ſegmẽto 3. teſtimonium produximus : præterea ſeculorum omnium ordine ſequentium, in quibus homines Dei veritatem huius doctrinæ natiuámque huius loci interpretationem ſummo conſenſu, fide, religione docuerunt: in ſumma, Eccleſiam illam catholicam inde a temporibus huius Euangelij in hac veritate doctrinæ interpretationísque ſanctiſſimè inſtitutam, altam, atq; confirmatam: cuius vniuerſitatem, antiquitatem, & conſenſionem in veritate Chriſti fundatam & veritate conſeruatam illius facere debemus pluris, quàm Samoſateniorum delirantium ſomnia. Hos homines, hæc tempora, hanc Eccleſiam tu, Samoſatene, hoc loco abuſam dices? per te vnum a tetra abuſione hũc locum vindicari? quis credat, niſi qui ſciens prudens perire volet? Abuſos illos? prudentes, an imprudentes abuſos dicis? Si prudentes, impiè te auctore iudicéque fecerint: non fecerunt autem: ergo accuſas impié. Si imprudentes, ij ergo feſellerint a quibus acceperunt, & his abuſi fuerint. Scilicet Ioannes Polycarpum feſellerit, & alios quàmplurimos qui ab ipſo coràm acceperunt, didicerunt, hauſerunt huius doctrinæ veritatem. O audaciam! Sic non diſcipuli ſolùm, ſed ipſi etiam Apoſtoli abuſionis auctores in rebus diuinis ad ſalutem vitámque æternam pertinentibus futuri ſunt. Scilicet hic ſacerdos veritatis, adminiſter, interpres futurus eſt, qui palàm non dubitat damnare falſi Apoſtolos & Euangeliſtas, id eſt, homines θεοπνεύστους, notarios publicos diuinæ veritatis, omni exceptione maiores. Sed ad rẽ. Falſos duobus modis homines noſtros interpretando hoc loco pronũciat: primùm quòd Chriſtum eſſe vnum cum Patre Deum æqualem, coæternum, Creatorem cœli & terræ ex hoc loco pronunciant: ſecundò quòd creationem hanc de primo illo opificio materialis huius mundi, non de reno-

uatione & instauratione acceperunt. Nos verò neutra in re fuisse falsos, aut adhuc falli confirmamus. Quapropter cùm de vtroque hoc dicto probando Samosatenus laboret sequentibus, age, de probationibus ad vtrumque allatis suo ordine videamus. *Christum nec vnum Deũ cum Patre, nec creatorẽ esse cum Patre* probaturus, primùm audacissima affirmatione in re comperta exploratáque vtitur, dicens, *nemo piorum est qui degustauit sacras literas, qui vel vnum Deum esse Christum cum Patre, vel etiam creatorem esse cæli terræq́; assereret.* Nempe tibi, Samosatene, impij sunt quicunque hoc docent. At nos contrà affirmamus neminem piorum esse, si modò sacras literas religiosè degustauerit, qui hoc non asseruerit. Affirmationem suam non probat Samosatenus: nos probauimus nostram Defensionis 2. segmento 2. & si opus est, ampliùs probaturi sumus omnium bonorum, omniúmque ætatum consentientibus suffragijs. Quibus ætatibus inde ab Euangelij prædicatione aut neminem pium fuisse oportet (nam omnes contra quàm Samosatenus asserit docuisse constat) aut insigniter dare Samosatenum verba, & commenta sua imperitis fallendis obtrudere. Indignũ hominis factum qui sanctissimos Dei seruos, testes Christi, & participes afflictionum eius ἀσεβοβάτων maluit impietatis condemnare, quàm in se descendens gloriã æterno Dei filio tribuere. At quibus probationibus, obsecro?

Prima est, quòd *vnus Deus Pater creator cæli & terræ* passim in Scripturis dicitur. Agnoscimus, & idem affirmamus. Nam verè vnus est essentia Deus, ac non alius: vnus indiuisus, quamuis tres distinctæ personæ, vt Defensionis 2. segmento 3. expositum. Sed fallit Samosatenus æquiuocatione, quum ita dicit. Nam primùm vnus essentia est, non persona vna: quæ confundit iste. Deinde verò Deus Pater multis in locis dicitur essentialiter re-

ſpectu creaturarum, non autem perſonaliter reſpectu Filij quem genuit ab æterno Pater: atque hic ille eſt *Elohim* qui creauit cœlum & terram, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Poſtremò ſi etiam dicitur hoc de perſona Patris diſtinctè, fit vario reſpectu, adeò vt nulla his verbis inſit contradictio: nam Deus eſſentialiter Pater & Creator dicitur, quia communis eſt trium perſonarum in creandis rebus operatio: at Deus Pater perſonaliter Creator dicitur, reſpectu ſingularis termini a quo eſt principium creationis rerúmque omnium. Nam communitas operationis non tollit ſingularem diſpoſitionem perſonarum inter ſe, ad ſingularem diſpoſitionis illius terminum in vnaquaque, licet communi, operatione. Qua de re in Defenſione 2. multis. Hunc igitur locum totum iuſto ſenſu acceptum probamus, malè obiectum verò religiosè diſtinguimus. Secunda, quòd *non ſolùm creatio, ſed omnia opera quæ fecit Deus ſub vetere Teſtamento, tribuuntur illi vni Deo Patri Chriſti*, vt Actor. 15. Primùm non dicit Lucas, vni Deo Patri Chriſti: gloſſema eſt Samoſatenicum. Secundò etiamſi dixiſſet ab vno Deo eſſe (quo ſenſu antè ſumus interpretati) commune tamen non reſtringit aut derogat quicquam de particulari, aut particulare de communi: ſed Pater fecit, Filius fecit, &c. cōmune opus diſpoſitione particulari: quapropter ait Chriſtus, *quæcunque Pater facit, hæc etiam Filius pariter facit.* Tertiò eo loco Ioan. 5.
non agit Lucas de omnibus operibus quæ fecit Deus ſub Teſtamento vetere, ſed de præſtitis promiſſionibus de mittendo Filio, quæ miſſio neceſſariò importat diſtinctionem perſonarum, & ſingularitatem operum intus in relatione interna conſiſtentium: quia Pater mittit & excitat, Filius a Patre mittitur atque excitatur. Inanis igitur argumentatio. Quod autem cramben illam ſuam toties repetit, *de filio dato ex ſemine Dauidis, non ex aliquo verbo*

Dei æterno, duobus modis ineptum est. Nam primùm res coniunctas opponit velut contrarias, naturam diuinam & humanam Christi, tamquam si non possent illæ simul consistere: cùm tamen & hanc & illam substantiam esse nouerit, & nihil substantiæ aduersari. tum quæ de Christo dicuntur diuersa ratione, hic elenchum suum celans ratione eiusdem accipit artifex, vt circumueniat imperitos. Nam vtraque ratio est in vna persona Christi, æternæ naturæ Sermonis illius, quà Deus, & temporariæ carnis, quà Deus in plenitudine temporum factus ex muliere: quę duo nec opponi possunt inter se ad mutuam euersionem, nec confundi ad euersionem personæ. Captiosa omnia. Tertia probatio est ex Mose sumta. Nã Moses in Creatione mundi nullã mentionem fecit Christi; in promissis autẽ instaurationis semẽ mulieris, semen Abrahami nominat, & typos figurásque describit accuratissimè, quæ erant vmbracula futuri Christi, ac nõ præsentis iã aut æterni Christi. Argumentatio hæc est: *Qui tũ futurus dicebatur & præsignificabatur, nondũ erat: Christus futurus dicebatur a Mose, & præsignificabatur vmbraculis: Igitur nõdũ erat.* Maior ambiguè dicitur: nã qui dicitur aut significatur futurus, is aut secũdùm substantiã futurus dicitur, significatúrq; , aut secũdùm modũ & manifestationem illius: prætereà aut secũdùm totũ, si nihildum est illius, aut secundùm partẽ, siquid insuper est accessurum. Hinc minor exponenda: Christus non secundùm substantiam personæ suæ diuinæ futurus dicitur aut significatur, sed secundùm modũ manifestationémq; illius in assumta carne: nec secundùm totum sui exstiturus dicitur significatúrue, sed tantùm secundùm illam (vt ita loquamur) particulam quam assumsit, nimirum carnem, de virgine Maria. Sic conclusionem bene intellectam non dubitabimus approbare: nondum erat Christus, nimirum

mirum ſecundùm carnem; ſed erat tamen ſecundùm æternam illam perſonæ diuinæ ſuæ veritatem. Sed *abſurdum fuerit*, inquit, *Moſem non meminiſſe Chriſti, ſi quidem Chriſtus fuit iam eo tempore.* Reſpondeo primum cum Scholaſticis, ab auctoritate negatiuè non valere argumentum: *non meminit Chriſti, operumq; illius: non ergo fuit Chriſtus.* Secundò falſa eſt affirmatio, Moſem non meminiſſe Chriſti, tãquam eius qui iam tum eſſet: iam tum enim fuiſſe, & ab æterno eſſe, cùm alibi, tum etiam ſuprà ſegmento 2. oſtendimus: atque etiam hoc ipſum a Moſe quàmplurimis locis expreſſum fuiſſe euidentiſſimé, Geneſ. 1. & 3. & 11. & alibi. Sic erat quidem perſona Chriſti, ſed non erat ſemen quod aſſumeret ex muliere, Dauide, Abrahamo: ac proinde ſecundùm perſonam diuinã erat, non erat autẽ ſecundùm naturã noſtram: hanc enim poſtea aſſumſit in tempore. Irrita cadunt igitur harum argumentationum tela: quibus certiſſimam illam interpretationem de creatione aſpectabilis huius mundi conatur Samoſatenus Chriſto & Eccleſiæ illius eripere.

Poſtquàm fruſtra operã Samoſatenus cõſumſit vt noſtrã ſentẽtiã ad luculentiſſimũ hunc locũ euerteret, trãſit ad firmamẽta interpretationis ſuæ. *Hæc Ioannis verba*, inquit, *de recreatione, renouatione, recõciliatione, & recapitulatione, ſeu reſtauratione intelligenda ſunt, quæ vbiq; Chriſto tribuitur, & per quẽ Deus hãc exſequutus eſt.* Multa hîc ſeſquipedalia verba, etiã re inter ſe differentia, ad rẽ vnã & eamdem ſignificandã. Sed nolumus in verbis curioſi eſſe: de re dicturi ſumus. Negamus hæc Euãgeliſtæ verba ad inſtaurationem per Chriſtum factam pertinere. Quibus argumentis hoc contendat aſſequi & conficere, videamus.

Primus probationum locus *Noua creatio vbique in nouo teſtamento tribuitur Chriſto, eámque Deus per hunc exſequutus eſt: hæc ergo de noua creatione pariter intelligenda.* Re-

ſpondeo, per negationem conſequentiæ. Hæc enim tum demum valitura eſſet vt neceſſariò vera, ſi oſtenderetur vnicum eſſe actū Domini Ieſu Chriſti: ſed cùm Ieſu Chriſti actus non ſit vnicus, immo potiùs multiplex, falſa eſt conſequentia, neque ex antecedente iſto confici vnquam poteſt. Prætereà tribuitur hæc noua creatio Chriſto, velut proximo termino, vt antè dictum: ſed eadem opus eſt commune Patris, Filij, & Spiritus ſancti: quam communitatem vt Samoſatenus confiteretur effecit veritas, quū diceret *Deum hanc per Chriſtum exſequutum eſſe.* Vt autem communis renouatio, ſic etiam creatio prima credenda eſt communiter a ſancta Trinitate facta. Creauit igitur Chriſtus mundum, ac non inſtaurauit ſolúm. Inſtat, *Atqui reſtrictionem addit Ioannes, quod factum eſt, ne quis vniuerſaliter de omnibus creaturis hoc dici putet, ſed intelligat de ijs rebus quæ factæ ſunt per eum, quia aliæ ſine illo factæ ſunt in teſtamento vetere.* Negamus iſtud ad rem pertinere. Nam primùm reſtringēs iſtud gloſſema falſum eſt, *quod factum eſt per eum*, nec vllo ex loco eodem aut ſimili probari poteſt. Prætereà ſtolida iſthæc reſtrictio eſt, quam vix balbutientes pueri, vix Battus agnouerit, *ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt per ipſum.* Te appello, Samoſatene, ſi quid vnquam audiſti infantius, prome. Poſtremò Hebræas, Græcas, Latinas aures probemus: cōſulamus, vtrùm hoc genus loquutionis ad reſtrictionem pertineat, an verò ad enunciationem vniuerſalitatis, ὅλυ καθόλυ. Quum enim dicitur, nihil quod factum eſt, æquipollet hic ſermo illi, nihil factum, vel nihil facti, vt nomen facti vniuerſale ſit, & nomen *nihil* vniuerſale ſignum. Hæc tu reſtringes, Samoſatene? nomen vniuerſale coniunctum vniuerſali ſigno? & nulla determinatione factum anguſtius? Sed quid mirum; ſi naturam vocum & enunciatorum mutas, qui mutas Dei veritatem? Summa, & hanc reſtrictionem

ctionem veram negamus esse, & alia sine Christo negamus facta, quod pro auctoritate hoc loco audes affirmare. Vellus quidem tibi, Samosatene, istîc non carpitur; aliæ argumentationes & probationes adferendæ, si tibi vis haberi fidem. Ecce autem, his positis, tamquam re bene gesta, probata, euicta, confessa, excurrit ad nouæ creationis, siue renouationis per Christum enarrationem: & locos accumulans vbi de instauratione per Christum agitur (quam sanctè credimus, & participamus per gratiam, & docemus secundùm gratiam illius) videtur sibi probare hanc natiuam esse huius loci interpretationem, primùm propter locorum quibus hoc docetur copiam, secundò propter oppositionem quam instituit inter creationem nouam siue instauratione͞ per Christum, & illam veterem conditionem naturæ. Sed quàm infirmum vtrumque hoc sit probationum genus, paulo antè fuit demonstratum. Nam quod ad locorum qui adducuntur copiam, *non est vnus locus, immò ne mille quidem loci lex sunt alterius in quo res diuersa agitur: sunt autem res diuersæ, creatio mundi, & instauratio: ineptum est igitur eos locos qui de re vna agunt, ad rei alterius locorúmque eò pertinentium explicationem rapere.* Sed, ne actum agatur, pium Lectorem rogatum velim, vt ea solùm hoc loco adhibeat quæ proximè in primum probationis locum annotauimus. De oppositione verò quid dicturi sumus? Christum enim opponit Deo Patri, & opus creationis operi renouationis, tamquam si alterum altero euerteretur. Atqui, Samosatene, in causa persimili paulo antè ostendimus bifariam venire te contra istarum oppositionum leges. Nam primùm res coniunctas diuidis, & actus particulares facis ex communibus: tum ex operibus diuersis contraria facis, quamuis non affirmetur & negetur idem, ad idem, ratione eiusdem, eodémque modo & tempore. Frustra igitur

laboras in probanda renouatione per Chriſtum, quam credimus,ſentimus,& docemus fideliter in Domino:fruſtra operã conſumis in creationis opere auertẽdo a Chriſto,quod hîc a Ioanne Chriſto tribuitur: vtrumque opus Chriſti eſt, & Chriſto in ſacris literis ſanctiſſimè attributum. Ex his autem omnino ſequitur iſtud,quæcunque in hunc locum de renouatione & inſtauratione per Chriſtum a te adducuntur, ea eſſe ἀπροσδιόνυσα, nihil ad rem, atque ad locum pertinere:vt antè legmento 1.docuimus. Quapropter ſiqua commodè a te de renouatione dicta ſunt, quamuis non huius loci, tamen libenter ea veluti a Deo profecta relinquemus ſuo loco: quæ autem a veritate diſcrepant, curſim deſtringemus, ne falſo conſentire, quum nõ contradicimus aut ſubmonemus de eo, videamur cuiquam. 1. Hic locus 1. Cor. 8. aduerſatur conſilio Samoſateni omnibus modis. Nam agitur de idolothytis:oſtenditur neque idola,neque eorum quemquam qui dicuntur dij in cœlo aut in terra quicquam in idolothyta poſſe,ſed eum ſolum qui fecit omnia, tum in res quæ idolis offeruntur, tum in idololatras poteſtatem omnem obtinere, cùm omnia ab ipſo,in ipſo, per ipſum, & propter ipſum ſubſiſtant, vt idem ait Rom. 11. Quod opus commune trium perſonarum ſanctæ Trinitatis ſiquis per ſuos perſonales (vt ita loquamur) terminos volet diſtinguere, omnia a Patre & in Patre ſubſiſtunt, velut principiali termino ſummo : per Filium verò ſiue Dominum Ieſum Chriſtum, velut propinquiorem terminum, ſapientiam Dei & potentiam Dei, ſuſtinentem omnia verbo potente ſuo in hac adminiſtratione diuina, Hebr. 1. Extra chorum ſaltas, (quod aiunt) Samoſatene, quum hanc interpretationem adtexis huic loco,& perdis luculentiſſimam grauiſſimámque Apoſtoli in hac cauſa argumentationẽ. 2. Peccatum hîc duplex: primùm

oppoſitio

oppoſitio illa quam antè refellimus, perinde ac ſi Chriſti vnus ſolùm actus eſſet (quod eſt ineptiſſimum dictu) aut creatio omnium & renouatio Eccleſiæ tam contraria eſſent, vt ab vno eodemque auctore ἀδύνατον eſſet vtramque proficiſci, quod ridiculum: deinde quòd res ſecundùm quid dicta accipitur ſimpliciter, & prauè locus exponitur. Sic enim verba Pauli habent *ſi quis eſt in Chriſto, noua creatura eſt: vetera præterierũt*, puta in eo qui eſt Chriſti, *noua facta ſunt omnia* in eo, quaſi dicat, renouatus eſt per omnia. *Hæc autem omnia ſunt ex Deo*, &c. *Omnia* igitur quum dicit Apoſtolus, non creaturas intelligit, ſed quæ in creaturis, qualitates, ac non ſubſtantias. Proinde inepta oppoſitio eſt, quam pòſt vſurpat Samoſatenus dicens, *Certè cœlum, terraq;, mare, arbores, animantiaq; omnia denuo creata non ſunt*, &c. Alioquin de nouatione in Chriſto agi eo loco aſſentimur & docemus. De loco ſequente Epheſ. 3. ſuum cuique per me iudicium liberum, prout etiam a Caluino relinquitur. Sed inconſequens ſemper manet argumentatio: ſic accipitur eo loco de Chriſto, ergo alijs etiam locis omnibus ſic oportet accipi. Inepta ex particulari argumentatio. 3. Falſa oppoſitio, vt antè in probationem 2. huius ſegmenti oſtendimus, & quam hic perſæpe recantat κοκκύζων, adeò ſibi in hac re allubeſcit: quamobrem idem etiam ad ſequentia huiuſmodi (nam frequentiſſimè recurrunt) dictum eſto. 4. Vera propoſitio, ſed ambigua duobus modis. Eruncandũ vtrumque ambiguum. Prius eſt, quum dicit, *in Chriſto homine*. Nam hoc dictum aut ſimpliciter accipitur vt dictum ſe habet, pro eo quod eſt in perſona Chriſti, qui eſt homo, idémq; Deus in vnitate perſonæ: aut accipitur cum excluſione latente quam Samoſatenus diſſimulat, pro eo quod eſt in perſona Chriſti qui eſt homo ſolùm. Poſterius negamus freti veritate Dei & auctoritate Scripturæ. Prio-

rem sentētiam intellectam commodè amplectimur. Alterum ambiguum est, quum dicitur *regnum hoc cœpisse in Christo.* Si enim Samosatenus id sibi vellet simpliciter principium huius regni a Christo esse, hunc vnum esse regni illius principem, acquiescerem vltrò: sed aliud est quod machinatur, nempe tum primùm exstitisse, quum Sermo factus est caro. Hoc autem falsissimum est: nam Sermo erat suppositum, antequàm fieret caro, erat in principio, apud Deum, Deus, operabatur, regnabat: quod hîc negatur impié. *At*, inquit, dicitur Luc. 1. *dabit illi Deus (non antè dederat) sedem Dauid patris sui, & regnabit in ea, non regnauit anteá.* Fallacia est, vt vocant, ex elenchi ignoratione duplex: nam vtrumq; verum erat, sed non ratione eiusdem, nec semper de eodem tempore. Dederat Pater, & daturus erat: regnauerat Filius, & regnaturus erat. Dederat Pater secundùm personam diuinam eius: daturus erat eidem personæ secundùm assumendam carnem. Regnauerat Filius Dei secundùm diuinitatem suam: regnaturus erat secundùm humanitatem suam re & manifestatione regni. Regnauerat semper in omni tempore secundùm personam: pòst erat regnaturus etiam secundùm carnem. Hæc duo non sunt inter se contradicentia: quę tamen eadem arte ac potiùs imperitia Samosatenus velut contraria opponit, qua antè naturam diuinam humanæ, opus diuinum humano, creationem nouam veteri opposuit; tamquam si in vno subiecto nunquam simul esse, aut ab vno subiecto, nimirum θεανθρώπῳ, proficisci possent. Belle sanè, & argutè omnia. De loco altero Colos. 1. quem etiam torquet miserè, & adducit ineptè, diximus suprà segmento 5. Quid plura? pergit in sua oppositione ex Col. 1. Ephes. 1. & tamquam Phœnix, in rogo suo sibi videtur viuere, cœli & terræ creationem soli Patri, renouationem verò Filio Deo a Patre facto vindicans, vtrumque

tumque falsò, & ex falsis hypothesibus quas antè reuicimus, triumphos sibi de Filio Dei & de veritate somnians. Scilicet *creationem Pater fecit, non ergo Filius*. falsum: nam commune vsque adeò opus est vt quæcunque facit Pater, eadem Filius faciat pariter. Item dixero, *renouationem fecit Filius: non ergo Pater*. falsum: nam hoc quoq; commune opus est: *non enim potest Filius a semetipso operari, nisi viderit Patrem facientem: Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, ita etiam Filius quos vult viuificat*. Ad eamdem falsam oppositionem relabitur argumento Hebr. 9. ex vnius facti affirmatione remotionem alterius non contrarij statuens, sed diuersi solúm. Quis hominem literatum credat sic argumentari contra rationem, iustasque argumẽtandi leges euertere? Ioan. 5.

5. Etsi hæc nihil ad rem præsentem, quia tamen de restauratione Angelorum imaginatur & nugatur quædam in Christum ipsum & in Angelos iniuria contumeliosáque, non potuimus quin bona fide Lectorem moneremus. Duæ hîc enunciationes falsæ sunt: vna, *Angelos instauratione eguisse*: altera, *argumento Christi hoc dictum de Angelis confirmari*. Prius nusquam Scriptura dicit: non instauratione eguerunt, Samosatene, Angeli electi (non enim lapsi sunt) non lapsis autem non est instauratio) sed dono perseuerantiæ, & confirmatione diuina in bono: quod bonum in creaturis omnibus est natura mutabile, nisi a Deo sustentetur & subsistat in Deo. Mediatore ergo Angeli, ac non Redemtore; conseruatore, ac non instauratore eguerunt quod in Enchiridio ad Laurentium & alibi Augustinus optimè declarauit. Hîc verò quis ferat diuinaculum dicentem ista? *Angelica natura lapsu priorum Angelorum fortè erat imminuta*. Priorum, inquis? ergo tibi sunt priores & posteriores tempore: hoc Scriptura non dicit. Deinde, *fortè erat imminuta*, coniectura est, somnium: non augentur, minuuntúrue

ſpiritales formæ, vt fit elementaribus. Tum *imminuta lapſu aliorũ*: multo minùs. nam ſi horum natura nec augeri per ſe (nam perfectionem habet in creaturis ſummam) nec minui poteſt (nam qui minuti ſunt, eorum minutio ſemel in totum facta eſt) quanto minùs per alium? Poſtremò, *vt lapſu Adami natura humana corrupta eſt*, ſic illos minui potuiſſe. Negatur: eſt enim diſſimile, toto genere, totaque ratione differens. Poſterius verò plus etiã habet periculi, quia ſalutem attingit, quum dicit eos *reſtauratione eguiſſe, poſtquam illorum caput eſt Chriſtus, poſtquam & Chriſtus ſine capite ſuo Patre nihil poteſt. Quorum caput eſt Chriſtus, ij egent inſtauratione: Angelorum caput eſt Chriſtus: ergo.* Maior particularis eſt: nam contrà quorum caput eſt Chriſtus, eorum quidam egent inſtauratione, puta qui homines ſunt, quidam verò ſola confirmatione in bono, puta qui Angeli. Itaque Chriſtum Angelorum caput & Mediatorem eſſe damus, at inſtauratorem vel Redemtorem minimé. Falſa igitur concluſio. Sed verba illa ex Ioan. 5. detorta ad hunc ſermonem ſunt indigniſſimè, *Chriſtum ſine Patre nihil poſſe*: de quorum iuſta interpretatione diximus copioſè Defenſionis 2. ſegmento 9. & alibi. Nam primùm hoc loco mutilantur, quod eſt inquiſſimum: deinde in alienum ſenſum a mente & conſilio Chriſti rapiuntur, vt locus ipſe clamitat: poſtremò res planè diſſimilis eſt. Ex loco autem mutilo, malè expoſito, atque diſſimili, quid concludas boni? Pergamus ad alia.

6. Ex hoc autem loco ſic lubet argumentari: *Qui minorem gloriam non cedit alteri, neque communicat, non cedit maiorem: Deus minorem non cedit alteri: ergo nec maiorem.* Tum, *gloria recreationis maior eſt quàm ſit creationis gloria: Deus creationis gloriam non cedit Chriſto, neque communicat: nec recreationis igitur gloriam Chriſto cedit, neque communicat.*

cat. Est autem falsum consequens: & antecedens igitur falsum, quod a Samolateno affirmatur. De sequente autem oppositione & diuisione communium Patri & Filio operationum, quàm sit iniqua, & falsa, & impia, iam sæpius est demonstratum. 7. Falsum, vel Samosateno teste. Nam si per sacrificia & effusionem sanguinis ad Deum adibatur, illa autem fuerunt sacramenta quorum corpus est in Christo: quis Patres illos neget in Testamento vetere Deum Patrem per Christum adiuisse? Promissionibus, inquiet, typis, præfigurationibus. Non satis: nam præsens erat Christus, Exod. 23. & 33. & 34. & 1. Cor. 10. & per nomen eius inuocabatur Pater, Psalm. 80. Dani. 9. & alibi. Non siluit de hac re in vetere Testamento Deus: sed hic voluntariè surdus & cæcus est miserabili cæcitate, quam curet in suis Dominus ille curator noster.

8. Sequentia omnia ab eadem oppositione sunt, quam falsam & inanem esse antè ostendimus. Quæcunque autem adfert testimonia, ad fallaciam sunt apposita, partim a dicto secundùm quid (vt vocant) ad dictum simpliciter, vt Actor. 1. Matth. 4. Hebr. 1. & 2. (nam quæ de Christo secundùm carnem his locis dicuntur, simpliciter attribuuntur personæ toti & de toto personæ prædicantur) partim elenchi ignoratione, vt Hebr. 3. & 12. nam quæ de persona dicuntur vniuersè, ea speciatim ad carnem Christi & tempus illius restringuntur certo consilio, vt aboleatur indignissimè beneficium Christi. Sed has argumentationes passim, disertè verò suprà segmento 3. refellimus. 9. Hinc transit ad absurda Samosatenus: qui secundus est probationum locus, siquid absurda probant. *Mentirentur*, inquit, *Apostoli, Euangelistæ, Christus.* Negatur. Nam horum consilium in Euangelijs & alibi fuit plurimùm, vt de rebus a Christo in carne gestis agerent: atque hoc proprium est historiæ Euangelicæ. Hoc

verò mendacium iure dici non poteſt, ſi verè narratur quod narratur, quamuis inde ab ouo nō inſtituatur principium eius. Quæ ſecundùm quid dicta ſunt, ea ſimpliciter ne accipiantur: integra erunt omnia. At *Chriſtus, ſi creaſſet cœlum & terram, non tacuiſſet iſtud.* Primùm ab auctoritate negatiuè (vt loquuntur vulgo) nihil efficitur: nō dixit hoc, non eſt igitur hoc: fieri enim poteſt, vt alius quiſpiam dixerit. Deinde verò falſum eſt quod dicitur, Chriſtum ſibi creationem communiter cum Patre non aſſeruiſſe. Aſſeruit enim, & eo ipſo loco aſſeruit quem hîc Samoſatenus obijcit. Dicens enim, *Pater meus vſque adhuc operatur, & ego operor,* tria demonſtrat manifeſtiſſimè: ſe communiter operari cum Patre, diuinitus operari vt Patrem, & indeſinenter ab omni tempore & ante omnia tempora operari vt Deum. Communiter operari ſe cum Patre oſtendit, quum occaſione vnius operis dicit, *Pater operatur, & ego operor:* diuinitus operari vt Patrem, quum dicit præſente tempore (quod tempus eſt in Scripturis de deitate proprium, vt cui omnia ſunt præſentiſſima) *operatur, operor*, qua de re ſuprà ſegmenti 4. nota 11. aliquid diximus: indeſinenter denique ab omni tempore & ante omnia tempora operari demonſtrat dicens, *vſque adhuc:* nam ad illud vſque momentum ſiue terminum temporis ſe operatum quum dicit, ſe inquam & Patrem, attribuit ſibi cum Patre omnium temporum antecedentium operationem. Quòd ſi mentem Chriſti a nobis Samoſatenus non vult cognoſcere, ſaltem a Iudæis audiat. *Studebant* enim, ait Ioannes, *Chriſtum trucidare, quia non ſolùm ſoluiſſet ſabbathum, ſed & Deum dixiſſet Patrem ſuum, æqualem ſe faciens Deo.* Singula hæc ſenſerunt Iudæi, Chriſtum operari cum Patre, diuinitus operari, indeſinenter ab omni tempore operari, denique per omnia Patri æqualem eſſe. Senſerunt, inquam, Iudæi, ac non

non crediderunt: ſtupidior illis Samoſatenus nec credit, nec ſentit. Ergo, inquit, *dixiſſet Chriſtus, vt Pater operabatur creando, ita & ego operabar.* Falſum: nam primùm non fuit hypotheſis de creatione, de qua ſi tum diſertè ſpeciatímque dixiſſet Chriſtus, reſponſuri fuiſſent Iudæi, nos de allijs, tu de cæpis loqueris: ſed ex hypotheſi optimè & conuenienter ad theſin aſſurgitur. Deinde verò de toto affirmat Chriſtus, dicendo, *vſque adhuc.* Non eſt autem Samoſatenus neſcius, Quod tribuitur vel adimitur toti in quantitate, idem cuilibet eius parti tribui vel adimi. Ergo & in creatione Chriſtus operatus eſt cum Patre cõmuni operatione. At *Chriſtus tantùm*, inquit, *operum nouæ creationis meminit.* Negatur: nam omnia vniuerſalia Chriſtus enunciat quæ vnquam enunciari poſſunt, *vſque adhuc, quæcunque, omnia, pariter.* hæc communem æternitatem, vniuerſitatem, æqualitatem ſonant: vnitatem autem eſſentiæ demonſtrat neceſſariò non ſolùm Patris & Filij appellatio, ſed etiam operationum æqualitas. *At de præſente dicit, de præteritis tacet.* Negatur: nam præſente quidem tempore enunciat, ſed de perpetuo, vt coniuncta vox, *vſque adhuc*, oſtendit manifeſtò. Eſt autem præſens tempus ſimpliciter proprium deitatis, & ſummè propriè de ea enunciatur, vt ſegmento 4. antè docuimus. Falſa igitur reſtrictio. 10. Hoc aliud abſurdum inſidiosè dictum: *Si Chriſtus ſecundus creator eſſet, non tacuiſſent de eo Prophetæ omnes: Tacent autem.* Maioris antecedens inſidioſum eſt: Chriſtus enim propriè nec ſecundus creator, nec ſecundus Deus appellatur: eſt enim vnus Deus, creator vnus, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, eſſentiæ vnitate: ſed appellatur ſecunda perſona deitatis vel eſſentiæ illius vnicæ, quam appellamus Deum. Minor omnino falſa eſt: quæ ſingulis fermè capitib. Eſaiæ Prophetæ inde à capite 40. ſæpius reuincitur. Sed de hoc aliâs. Quòd ſi

opera instaurationis Prophetæ de Christo prædicarunt, non magis ex eo sequitur Christum non esse creatorem mundi communiter cum Patre, quàm si ex eo quòd hodie dicor ambulare, vellet quis concludere me igitur heri non vigilasse: adeò friuola & inanis oppositio est, vt antè demonstrauimus. Omnia certè sunt ab vno diagrammate, indocto tamen & futili. Postremò autem sequitur summa verè ἀλογίστως syllogismos qui antè positi sunt in vnum contrahens arte & veritate pari, quam hactenus reteximus. Nam ex eo quòd Christus caro factus & ex Maria natus est secundùm carnem, concludit non antè fuisse, ne secundùm personam quidem illam diuinam quæ erat in principio, & apud Deum, & Deus. Ex eo quòd Deus per ipsum his nouissimis temporibus nos alloquutus est, negat antè per eum loquutum esse. Ex eo quòd Sermo in nouo Testamento dicitur (etsi dicitur etiam in vetere, vt antè docuimus) negat fuisse mediatorē veteris, contraquàm affirmat Paulus Rom. 15. Galat. 3. & alibi. Ex eo quòd Euangelistæ de Christo opera nouæ creationis descripserunt, negat opus creationis primæ ad Christum pertinere. Ex eo quòd Deus signa per illum dicitur edidisse, id est, Pater per Filium, negat Filium esse Deum, per singularem terminum operandi cupiens tollere vnitatem essentiæ. Ex eo quòd Christus vetat sibi credi, si quid a seipso loquitur aut facit, respiciens ad hypothesin Iudæorū ex specie hominis & studio suo de ipso
Mar. 7. iudicantium, seque illorum captui accommodans; concludit simpliciter ipsum non esse Deum. Ex eo quòd bene omnia fecisse dicitur signis contestantibus, concludit ergo signa tantùm fecisse & creationem nouā. Ex eo quòd creationis cœli & terræ ipse non meminit, statuit non ergo eorum creatorem esse. Ex eo quòd gratiam & veritatem per ipsum factam docuit Euangelista, arguit nō ergo substan-

substātias & creaturas principio ab ipso fuisse factas. Quorum pleraque (si ab ijs quæ ad carnem necessariò pertinent discesseris) eodem iure & argumentationis modo de Patre prædicari possent: Gratiam & veritatem facit Pater (facit enim per Filium, vt Samosatenus agnoscit) non ergo fecit substantias, nec creauit omnia. & similia multa. Sed quia hæc omnia fermè sigillatim fuerunt antè confutata, & imbecillitas harum argumentationum cuiuis homini (qui mediocri iudicio præditus est) per se est exposita, non sumus in his rebus immoraturi diutius, sed Deum oraturi, vt imperitorum iudicia instituat, peritorum confirmet, vt in veritate ipsius possint fide & conscientia bona ex testimonijs verbi diuini constanter incedere ad gloriam ipsius, & alij alios ædificare in charitate Christi Seruatoris nostri. Eorum autem omnium quædam epitome in Manuscripto est. Cùm itaque nihil insuper eo contineatur quàm quod priore exemplari expressum est atque a nobis confutatum, ad alia, Deo auctore & duce, examinanda veniamus.

SAMOSATENVS. 8.

In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.

D E *eodem Christo ex Maria nato loquitur Ioannes, ostendens vitam hominum in eo stare. Qui enim in Christū credit, habet vitam æternam: qui verò non credit, non videbit vitam, & luce omni destitutus in tenebris degit, Ioan.3. Loquitur ergo hic non de vita temporali, sed de æterna, vt 1. Ioan. 5. exponit dicens, quoniam vitam æternam nobis dedit Deus, & hæc vita in Filio eius est. Sic alias, vt Pater habet vitam in semetipso, ita dedit Filio vitā habere in semetipso, vt & ille viuificet quos velit. Sic Christus ille homo vocat se viam, veritatem, & vitam, Ioan. 14. æternus ista de se ante hunc non dixit. Quod autem ad vitam animalem attinet, Paulus testatur Deum eam omni-*

bus dare, & halitum; in ipso nos viuere, moueri & esse: cui vita etiam & habitationi in terra terminos præstituerit Deus. Quemadmodum ergo alijs titulis descripsit nobis Christum Dei filium ex Maria natum, non aliquem ante Mariam: ita quoq; & hoc titulo summo pingit eundem, cùm in eo sit vita omnium, nemo præter ipsum, & omnes per ipsum saluentur. Ille ipse est vita, ille habet verba vitæ æternæ, ipse est panis vitæ. Aeterno autem alicui Christo non homini nusquàm ista tribuit Scriptura. Lucem quoque illum vocat, quia vt viuificat, ita & illuminat. Ille enim Christus homo de se testatur dicens, Ego sum lux mundi: qui me sequitur, non ambulat in tenebris: quamdiu fuero in mundo, lux sum mundi. Hanc lucem in tenebris lucentem tenebræ non apprehenderunt; immò eam fugiunt; ob hancque lucem spretam, quæ venit in mundum, condemnationem esse iustam Ioannes asserit. Hunc titulum etiam Esai. 42. vt & Lucas cap. 2. Christo homini tribuit quum lux Gentium vocatur. Certum est autem eam lucem non lucere, neq; apprehendi, nisi ab hæredibus vitæ: positurum enim se dicit Deus Christum in lucem, quia lux non fuit.

M. S.

In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.

CHRISTVS *vita dicitur, quia credentibus vitam dat æternam. In hanc sententiam Christus ipse loquutus est, quum dixit, ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Lux similiter dicitur, qui hominum mentes Euangelij prædicatione illustrat. Non intellexit ergo de vita naturali, de qua argutantur Philosophi, sed de vita qua Deus in nobis viuit per Christi Euangelium, vt ab ipso, per ipsum, & in ipso viuamus. Dictio, erat, refertur ad tempus conuersationis quam in carne gessit: nec aliud sonat hæc dictio, erat, quàm dicitur de Ioanne, Erat homo missus a Deo: item, non erat ille lux: sic, Baptista erat lucerna. Eodem modo vita est, vt lux: & sicut fuit lux*

mundi quamdiu fuit in mundo, ita fuit vita quamdiu fuit in mundo.

ORTHODOXVS.

PRO instituto Samosatenus pergens primùm Christum hominem, siue ex Maria natum, nominat æquiuocè, vt personæ æternæ illi diuinæ opponat humanam, & expositione (vt loquuntur) naturæ vnius statuat remotionem alterius. Itaque (vt semel moneamus) in peccatum triplex hoc modo incidit. Primum est, quòd Christum hominem captiosè dicit pro humanitate Christi, cùm alioquin abstracta a concretis differre optimè Logici tradiderint. Secundum, quòd ex natura humana facit personam: id quidem certo consilio, sed contra veritatem. Nam Christus θεάνθρωπος, Deus & homo, persóna est, quæ persona æternùm est secundùm deitatem suā: natura verò humana, nunquam fuit nisi ἐνυπόστατος, inexistens in persona (vt loquuntur vulgo) ne ad momentum quidem. Tertium denique, quòd ex eo quòd dat Christum hominem esse, inconsequente argumentatione per oppositionem statuit non ergo æternum esse Deum essentialiter: quem errorem segmento 5. & 7. perspicuè cõfutauimus. His falsis hypothesibus superstruit huius loci & sequentium interpretationem: quapropter deinceps, quum idem incidet, huc sumus reiecturi. Duas autem illas enunciationes ab Euangelista positas ordine enunciat, sed eodem modo; nempe spiritualiter: quia nõ placet ipsi Christum Deum essentialiter, id est, Deum æternum appellari. Id autem vt assequatur, priori membro, *In ipso vita erat*, adtexit glossema suum, dicens, vita hominum. Hæc restrictio non est ab Euangelista: negamus. Non negamus vitam æternam in Christo esse: sed negamus esse hanc loci huius mentem. Cur negemus,

antè ſegmento 2.& 3. apertè oſtendimus, a cõſilio Euangeliſtæ, a perpetuo orthodoxæ Eccleſiæ conſenſu, a rei natura quæ agitur, a conditione loci, & ſimilium comparatione. Cur autem de vita illa creante, ſuſtentante, gubernante, ordinante, agente cuncta & ſingula vniuersè & particulariter non intelligatur? nam eam ipſam, vel Samoſateno teſte, Deus creaturis omnibus dare pro modo earum dicitur. eſſe, ſubſiſtere, moueri, viuere in rebus creatis ſunt indiuidualiter: in Deo communiter, velut in principio cõmuni omnium. *In Deo ergo vita eſt:* annuet Samoſatenus. *Chriſtus eſt Deus*: & hoc annuet. *Ergo in Chriſto vita:* de principio vitæ, a quo ad creaturas omnes vita communiter pertinet, negaturus eſt: de vita ſpirituali, dabit. Atqui plus eſt vita ſpiritualis illa quàm hæc temporaria, plus eſt illius quàm huius donatio, vt ipſe proximè præcedente ſegmento confeſſus eſt. Ineptiſſimum. Atqui, mi homo, quæcunque hîc prædicantur, abſolutè prædicantur, conuenienter naturæ Dei. *Si vita, omnis vita: Eſt autem in Chriſto vita: ergo omnis vita. Non eſt autem omnis vita, niſi in Deo: Chriſtus ergo Deus. Si non eſt Deus, non eſt in ipſo abſolutè vita. Si eſt Deus, in ipſo vita: ſi in ipſo vita, Deus eſt.* Demonſtratio eſt neceſſaria, & termini ἀντίστροφοι vt cauſæ efficientis ſemper agentis liberrimæ, & effectus eius perpetui. Video quid affectes, Samoſatene: ſed veritatem in ſimplicitate colimus: & quia Chriſtus eſſentiales Dei proprietates per ſe in ſe habere dicitur (vt hoc loco vides, vtrouis modo vitam acceperis) Deum eſſentialiter Chriſtum eſſe in ſua perſona agnoſcimus. Vtramque vitam Chriſtus in ſe habet: tu tollis alteram, quam tamen inferiorem eſſe altera confiteris. Quæ (malum) dementia eſt, vita digniore conceſſa perſonæ Chriſti, alterã eripere quæ cum illa non ſit dignitate comparanda? An hæc magis Dei quàm illa eſt? Sed ad cætera.

Lucem

Lucem esse Christum eodem modo interpretatur, id est, spiritualem lucem ad vitam æternã. Quis negat? sed de hac non agitur simpliciter. Agitur de principio æterno lucis: *Deus autẽ est lux,* ait Ioannes, *& tenebræ non sunt in illo:* principium æternum lucis, lux essentialis, lucem rebus creatis fœnerans. Sed hoc principio posito, concludo, vt antè: *Christus est Deus: & lux igitur. Si non hoc, nec illud: sin autem hoc, etiam illud.* Negat Samosatenus? Quisquis negat, hunc & naturæ Dei, & diuinarum operationum dignoscendarum nescium oportet esse. Est enim causæ necessariæ semper agentis liberrimæ non impeditæ effectus necessarius: & ab hoc necessaria ad efficientem causam ipsius regressio. Ab hoc principio lux communicatione in humanum genus fusa est, primùm naturalis, integra, & obtenebrata, de qua in hoc versu: deinde gratiosa, tum oblata, sequente versu, tum percepta, versu 12. Hanc simplicissimam interpretationem Samosatenus dum fugit, tenebras luci conatur offundere, & ordinẽ fidelissimum lucis comitem in hoc capite conturbat imperitissimé. Sed de ordine, suprà segmento 2. de luce, segmento 3. antehac diximus. Sed quando quidem Christum lucem spiritualem esse inter nos conuenit, & lucem illam veram; mirari satis non possum, cur Christum æternum esse neget, immò antè fuisse quàm conceptus esset in vtero virginis Mariæ. Nam si lux erat, si erat lux hominum, si in tenebris luxit, si illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundũ, nemo lucem habuit nisi ab illa luce: Pij autem in testamento vetere habuerunt lucem: ergo ab illa luce. Est autem lux illa Christus: ergo a Christo habuerunt. Videns Samosatenus incommodum istud inexpugnabile, exceptionem commẽtus est, nempe lucem esse ab aduentu ipsius. Hanc exceptionem (falsam tamen, qua Deitatem Christi turpiter oppugnat) duobus modis

voluit confirmare: primùm quòd lux Gentium appellatur: deinde quòd Deus prædixit se positurum esse Christum in lucem. Prior confirmationis locus concludit ex particulari: supponit enim idē genus oppositionis quod antè confutauimus: *lux Gentium est, non ergo Iudæorum: lux noui Testamenti est, non ergo veteris*. Si diceret Deus, lux Gentium solùm, Samosatenus vicisset, vt putat vicisse. Aliter Deus loquutus est. Posterior locus nihilo est firmior: nam ab accidente, siue ab actu & adiacente aduentitio concludit de esse subiecti, contra omnes naturæ & Logicæ leges; & de substantia ex accidente iudicat. Hoc verò argutari, non argumentari est. Sed vt Samosatenum molestia liberemus, age ex Esaia probationem certissimam
Esai. 49. & luculentissimam, quę dictum ipsius euertat, afferamus. *Qui lux gentium datus est, olim diu fuerat Iudæorum lux, erecturus tribus Iacobi, & custoditos Israelitas reducturus: Christus lux gentium datus est: olim ergo diu antè fuit lux Iudæorum*.
Psal. 118. Est enim æternus pastor & lapis Israelis, quem lapidem reprobauerunt ædificatores, & factus est caput anguli. Vt autē antè est lapis quàm structores ædificent, ita suppositum, id est, personam Christi antè fuisse constat, quàm caput anguli his temporibus vltimis efficeretur. Antè esse subiectum quàm carnem sumserit ostendimus: nimirum personam Christi: hoc autem effecto, quid restat quàm vt Samosatenus cedat, manumque porrigat veritati? Fac, o Deus veritatis, propter nomen tuum, per veram illam Lucem quæ erat in principio, & omnem hominem venientem in hunc mundum a principio illuminat. De verbo autem, *erat*, segmento 1. suprà.

M. S.

SAMOSATENVS. 9.

Et

Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

MERITO *homines huius seculi tenebræ vocantur, quòd sine Christo vera luce nihil prorsus earum rerum cognoscant quæ ad salutem pertinent. Animalis homo enim non percipit quæ Dei sunt. Quòd verò Iudæi tam salutiferam non comprehenderint salutem, in causa fuit illorũ ingratitudo, propter quam & grauißimè punientur, iuxta illud, Hoc est iudicium, quòd lux venit in mundum, & dilexerunt magis homines tenebras quàm lucem.* 1. Cor. 2.

Fuit homo missus à Deo, cui nomen Ioannes: hic venit in testimonium, vt testaretur de luce, vt omnes per eum crederent.

AD *probationem manifestationis huius tam præclari luminis ponitur hìc testimonium Ioannis Baptistæ, qui publicè testificatus est non de lumine aliquo substantiali ac æterno in Christo, vt multi falsò interpretantur, sed solummodò de spirituali vitaliq́; lumine Euangelij ipsius, vt ex progressu historiæ liquidò apparet Vocat enim Christum Spiritus baptizatorem, ac Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, Christum, ac Dei Filium, &c.*

ORTHODOXVS.

ETSI vera est simpliciter prioris loci interpretatio quam Samosatenus attulit, tamen ea in re peccatum est non mediocriter, quòd eam historiã obscurat planè qua narratur quid mundus gesserit inde a principio, quamuis luce diuina Christi in viam reuocatus, cùm naturæ ordinarijs & extraordinarijs testimonijs, de quibus Paulus in Actis, tum Verbi gratiosis. Sic ordinem rerum luculentissimum peruertit de industria, vt suo illi commento seruiat quod antè confutauimus, & ex vniuersali dicto facit Actor. 14. & 17.

particulare contra Ioannis mentem, & veritatis rerumq; gestarum ordinem hoc in loco institutum. Cætera suo loco relinquimus. Huic autem incredulitati communi obiecit Deus remedium potentissimum, lucem Euangelij: cuius manifestationem & complementum iã olim promissum exspectatúmque cœpit demonstrare ex facto
Marc. 1. per Ioannis Baptistæ prædicationem aduentu Christi in carne, id est, essentialis æternæque illius lucis quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vt proximè præcedente segmento demonstrauimus. Hoc falsum interpretamentum Samosatenus vocat, dicẽs agi de spirituali vitaliq; lumine Euangelij ipsius: hoc est, non hîc agi de essentiali luce, sed de effectu illius. Atqui *accidentia non sunt sine subiecto: nec igitur sine subiecto operãtur. Tum, prout sunt operationes, ita est subiectum operans: hac operatio diuina est: & subiectum igitur diuinum.* Diuinum est, inquit, communicatione operationum, ac non essentiæ. Respondeo, *quod diuinum est communicatione solùm operationum, id nõ habet res diuinas in seipso: Christus habet vitam, ac proinde res diuinas in seipso, vt ipse confirmat Ioan. 5. non ergo Deus est, aut diuinus communicatione solùm. Si non communicatione solummodò operationum, ergo essentiâ Deus est.* Sed de hac re plura in præcedente segmento. Confirmaturus suam illam distinctionem luminis, duo adducit probationum genera, progressum historiæ, & nomina attributa Christo. Progressus historiæ planè contrarium ostendit. Nam *Ioannes missus est ad parandum viam Iehouæ: Christus ergo Iehoua. Christus lux vera est diuinitus: essentialis igitur. Illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum est Dei solius opus: Christus illuminat omnem hominem: ergo Deus, & quidem essentialiter.* Sic sequentia omnia. Falsum igitur, quod de progressu historiæ ostentat. De nominibus iudicium idem. *Baptizare spiritu opus deitatis est,*

est, essentialis deitatis: Christus baptizat spiritu, ac non minister vllus: Christũ ergo quis esse neget essentialem Deum? Tum *nemo tollit peccata cuiusquam, multo minùs totius mundi, nisi Deus sit essentialiter: Christus autem tollit peccata mundi:* De- *us igitur*: Non Deus, inquit, sed agnus Dei. Vtrumq;, inquam ego, & agnus Dei, & Deus in personæ vnitate: Deus tollens peccata, essentiali virtute: agnus tollens peccata, corporis sui instrumento. Sed hîc rursum impingit Samosatenus festiua illa oppositione sua, quam centies antè refellimus. Quod addit *Christum*, quasi dicat, *Christus est siue vnctus, non igitur Deus*: ab eadem falsa oppositione est: nam idem vngens & vnctus est, vt optimè Damascenus loquitur, vngens deitate, vnctus humanitate sua. Lepidum verò illud est, quòd obijcit *Filium Dei* appellari, vt probet non esse Deum. Atqui est Filius Dei vnigenitus, solus generatione Filius naturáque, non autem adoptione, regeneratione, & gratia: Filius est singulari modo, non communi, vt nos sumus. Est autem singularis filiationis modus (vt ita loquamur) generatio. Ex eo autem ita concludimus: *Qui pater est gignit Filium essentia vnum, æqualem similemque persona: Deus Pater genuit Filium vnigenitum suum: est ergo Filius essentia vnus cum Patre, persona æqualis & similis Deo Patri suo.* Hoc natura docet, quod nulla ars aut cauillatio potest reuincere. Est igitur Christus lux vera, verus Deus, & vita æterna.

M. S. SAMOSATENVS. 10.

Non erat ille Lux vera, sed missus fuit vt testaretur de luce.

ERAT *quidem & Ioannes lucerna ardens, vt infrà cap. 5. legitur, idque non tam propter maximam vitæ sanctitatem, quàm quòd Christum veram lucem vel ad digitum demõstrabat: sed tamen non erat ipsa lux vera, quæ Euangelij prædi-*

catione tenebrosas hominum mentes illustraret. Proinde sequitur;

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

SOLVS *ergo Christus est vera lux illa quæ Euangelij prædicatione hominum mentes a tenebris ignorantiæ Dei liberat, ac in veram resurrectionis vitæque æternæ lucem ac certam spem traducit. Quod autem hic dicitur Christum* illuminare omnem hominem venientem in hunc mũdum, *tripliciter intelligi potest: Primùm, quòd quotquot ex hominibus huius mundi illuminantur ad vitam istam æternam, nõ aliunde illuminentur quàm per Christi Euangelium: Secundò, quòd per omnem hominem intelligat omnis generis homines: nempe quòd non sit personarum acceptator, sed æquè illuminet gentes atque Iudæos, tam doctos quàm indoctos, tam ignobiles quàm nobiles, tam fœminas quàm masculos, tam seruos quàm dominos, &c. iuxta illud Christi,* quum exaltatus fuero, traham omnia ad me. *Tertiò, textus aliter legi potest; hoc nempe modo, Lux veniens in hunc mundum illuminat (spiritualiter scilicet) omnem hominem. Nam vox ista Græca, ἐρχόμενον, potest vtrique accommodari, tam scilicet luci quàm homini. In hanc sententiam Christus ipse alibi dixit, Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me in tenebris non maneat.*

ORTHODOXVS.

PERTEXENS Samosatenus telam quam orsus est, Christum veram lucem esse pronunciat, quamuis non essentialem lucem: quòd sanctè confirmauimus. Hoc discrimine posito, ferri possunt reliqua, præterquam huius membri interpretatio, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Nam quia hoc membrum vidit causæ

causæ suæ & commento obfuturum, posita signi vniuersalis æquiuocatione, aut etiam ambiguo, putauit se huic incommodo facilè occursurum. Hoc illi incommodũ est, quòd ita arguimus: *Lux vera illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ergo nullum hominem non illuminat.* Tum, *homines autem fuerũt inde a creatione: ergo lux vera inde a creatione illuminat. Vtrumque autem opus non est nisi veri Dei, qui Deus sit & lux sit essentialiter: Christus ergo, verus Deus, vera lux & essentialis est.* Hæc declinare sibi Samosatenus videtur bellissimè adducta vocis, *omnis*, æquiuocatione, aut phraseos amphibolia. Aequiuocatione: nã omnis aut de toto in quantitate dicitur (prout nos accipimus) aut de communi quod totũ in modo vocãt, pro eo quod est quiuis, ex quocunq; genere, cuiuscunq; modi: & ita Samosatenus, vt illi verissimæ argumentationi illudat. Sed nihil efficit hac distinctione sua. Nã *quisquis illuminatur, illuminatur a luce: nemo homo non illuminatur: a luce igitur.* Negat Samosatenus, quia hîc agitur de spirituali luce, quę non est omniũ. Primùm falsam distinctionẽ esse hanc suprà ostendimus segmento 9. & seq. Deindè spiritualis lux est instaurationis: ergo re cum præcedente est eadem, quamuis modo & quantitate differens. Christus autem, vel Samosateno teste, est lux illa gratiosa instaurationis: ergo & lux naturæ est, quæ lux per nos amissa per eundem instauratur. Quòd si principium est vtriusque lucis (vt est) ergo illuminat omnem hominem (id est, non solùm quemuis, sed quemque) venientem in hunc mundum. Sic vafritiei plus habet distinctio, quàm veritatis. Amphibolia verò adfertur duplex, a Grammaticis facilè expedienda. Vna est καθ' ἔλλειψιν, *illuminat omnem hominem*, puta qui illuminatur: ellipsin non quidem inauditam, sed quæ non nisi ex necessitate summa adhiberi potest atque euidente: deinde quæ si recipitur, Ioannes pue-

riliter dicetur ταυτολογεῖν versu 11. & 12. quod vitium de Ioanne Euangelista ne iurati quidem omnes Samosateni mihi persuaserint. Altera, κατὰ σύγχυσιν, quæ tamen si obtineretur, ne pilum quidem Samosateni causam adiuuaret, quũ ait vocem ἐρχόμενον cum nomine lucis aptari posse. Verũ hæc σύγχυσις admodum, violenta est nihil lucis orationi, nihil cõmoditatis ad rei intelligentiã, nihil deniq; opis ad causam Samosateniam adferẽs: quo magis demiror ab isto homine productam esse, vt inopiam magis sui iudicij, quàm inuentionis copiam (quod affectauit) ostenderet. Valeat igitur.

SAMOSATENVS. II.

In mundo erat, & mũdus per ipsum factus est, & mundus eum nõ cognouit. Ad sua venit, & sui eum non receperũt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomen eius.

MVNDVM *hic vocat non cœli machinam & sphæras, sed homines. Quid enim hoc esset ad rem, Christum non esse cognitum a machina cœli & sphæris? Vox mundi apud Ioannem sæpe pro hominibus accipitur. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, Ioan. 3. hominibus certè, nõ sphæris cœlestibus. Sic non venit vt iudicet mundum, sed vt seruetur mundus per eum: Christus saluator mundi: tollit peccata mundi: dat vitam mundo & carnem pro mundi vita. In mundo ergo fuit, inter homines versatus est, & præcipuè inter Israelitas, quorum reformandorum & saluandorum causa primùm venit.[1] Christum autem ex Maria natum describit: nam illum æternum Christum confictum, inter homines versatum nusquam legimus. Qui ergo Christum venisse non in carne, sed ante carnem dicit, Antichristus est, 1. Ioan. 4. Intelligitur ergo de aduentu Christi, hominis videlicet in carne, in mundum.*

Sequen-

Sequentibus, Et mundus per ipsum factus est, de noua creatione, vt audiuisti, loquitur. Per Christum enim nouus mundus sub nouo testamento, vt per Mediatorem noui testamenti, fabricatus est: docendo, quia fuit Verbum, magister, propheta: diuinam vim in miraculis exercendo, quia Verbum fuit Deus: viuificando, quia fuit vita: & illuminando, quia fuit lux, Esai. 35. & 61. Lucæ 4 describuntur opera Christi, euangelizare pauperibus, sanare infirmos, cæcos illuminare. Hæc est noui mundi fabrica, & fabricatus nouus mundus a Christo: hæc est fabrica, quam describunt omnes Euangelistæ, non Moses. Et tamen hic fabricator summus huius mundi nō fuit agnitus, quia fuit vilis homo, caro, subiectus, despectus virorum. Quum esset in mundo, versaretúrque inter homines fabricans mundum, non agnoscebatur ab illo: quare & scandalizabantur in illo etiā discipuli eius, durum sermonem eius dicebant, deserebant eum, & Petrus etiam eum ter negauit, in illo principio nihil erat firmum in discipulis, & omnes discipuli fugerunt ab eo, & se solum esse desertum ab omnibus, Patre tantùm excepto, dicebat.

Quum autem esset glorificatus per resurrectionem, desiissetq; versari inter homines, post Spiritum sanctum missum, amplior notitia eius & virtus se exeruit inter pios, quàm quum in mundo esset, vt antè audisti. Eò spectabat & illud Christi dictum, quum scandalizarentur in eo, vt vili, Quid si videritis (inquit) filium hominis (non aliquem alium) ascendentem vbi erat prius? Ioan 6. hoc est, vbi hic filius hominis, qui vobis nunc sua vilitate est scandalum, exaltatus fuerit, seu demonstratus Seruator mundi & Messias, per quem Deus omneis saluat, dederítq; ei illam gloriam Pater, quam apud eum habuit ante mundi iacta fundamenta, vel in qua erat apud eum (dedit autem illi eam post resurrectionem locato in dextera) tunc tandem desinetis scandalizari: quod factum est in die Pentecostes. Exaltationem futuram obijciebat vilitati suæ præsenti, præ qua non agnoscebatur a suis ad quos venit. Sicuti & Caiaphæ scan-

dalizato in Christo vili, sed faciente intereà se Filium Dei, qui scidit vestem, obijcit illam exaltationem qua se filium hominis in nubibus cæli venturum cum maiestate sui asseruit.

Quòd si verò quis de prima creatione hoc vellet intelligi, mundum hunc per illum factũ, & illum fuisse in mundo olim, quod iam falsum esse antè probatum est: an non dicerent illi homines quos accusabat, quis nobis de Christo retulit quòd creauerit cælos, vel fuerit ante mundum? Moses enim in creatione omnium de Christo tacuit. Christus etiam nullo verbo (etiamsi esset Verbum) se creatorem cælorum esse patefecit: nam; eum qui creauit omnia & Deum & Patrem suum esse, & verbis & reipsa testatus est. Frustra ergo quis hoc exprobrauerit illi populo. Ioannes autem aliam creationem respiciens accusat Israëlitas, quòd quum venisset Christus ad eos sanandos, docendos, illuminandos, & suscitandos, tamen tenebræ, vbi luxit, eum non comprehenderunt, non fuit agnitus, nec receptus pro sua dignitate: a quibus verò fuit receptus, datam esse illis potestatem a Christo, vt essent filij Dei. Non leue illis beneficium Christus dedit, in quo eius summa prærogatiua & potestas accepta a Deo in mundo apparuit: nam hîc Ioannes istis titulis prærogatiuam summam Filij Dei ex Maria nati tuetur, ne quis leuis esse credatur. + De æterno autem aliquo nihil somniat: qui nec fuit antè in mundo, nec docuit, nec miracula fecit, nec dedit potestatem cuiquam; cùm nec crederetur tunc in eum sub veteri testamento, sed exspectabatur. Ioannis 14. quum ait, creditis in Deum, vt de re nota loquitur: & in me credite, vt qui non fui notus.

M. S.

In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.

Hîc mundum per metonymiam pro huius mundi hominibus accipi nulli dubium esse debet. Est autem huius vocabuli frequens

quens & multiplex vsus in Scripturis, & maximè apud Ioannem. Sed quantum ad præsentem locum attinet, sufficiet si noscamus respectu diuersorum tripliciter accipi. Aliquando ergo in genere ac indifferenter pro hominibus tam renatis quàm nō renatis vsurpatur: vt apud Matth.13. vbi Christus edisserens Zizaniorum parabolam dixit, ager est mundus: vbi euidenter apparet Christum mundi nomine bonos & malos huius mundi homines indifferenter comprehendisse. Aliquando pro regeneratis, ac spiritualiter per Euangelium renouatis; vt apud Paulum, Deus erat (inquit) in Christo mundum sibi reconcilians: & Ioan.6. caro mea est, quam dabo pro mundi vita: & alibi, vt cognoscat mundus, quòd tu me miseris, & huiusmodi. nam ista verificari non possunt, nisi in solis regeneratis & electis. Tertiò pro non regeneratis & infidelibus: vt, væ mundo a scandalis: item, non pro mundo rogo, &c. cuius mundi alibi fit mentio, nunc princeps huius mundi eijcitur foras. Dum ergo Euangelista dicit, In mundo erat, perinde est ac si diceret, Christus versabatur inter homines huius mundi, qui mundus constat ex hominibus bonis & malis, ex fidelibus & infidelibus. Prætereà dum dicitur, & mundus per ipsum factus est, nihil aliud infertur quàm si Ioannes dixisset, Homines isti qui nunc regenerati spiritualitérque renouati in Christi regno insunt: non aliunde id factum est, quàm beneficio Christiq; opera. Demum quum dicit, & mundus eum non cognouit, sensus erit, Homines autē qui mundo huic visibili sunt addicti eum non cognouerunt. Sed quia hoc paulo obscuriùs proposuerat, in hunc modum sese exponit, dicens,

Ad suos venit, & sui eum non receperunt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomen eius.

DECLARATIO *est apertissima superioris sententiæ,*

ſed paulo commutato ordine ornatus gratia. Dum igitur Ioannes ſuperius dixerat, in mundo erat: ſic dicit, in ſua venit. vbi obſeruandum eſt iſta verba Græca, εἰς τὰ ἴδια, id eſt, in ſua: quia etſi Chriſtus miſſus eſt vt omnes ſeruet quantum in ſe eſt, tamẽ ſpecialiter ad Iudæos miſſus eſt, quòd illis factæ eſſent promiſſiones: ac ſi diceret, Chriſtum veniendo ad Iudæos veniſſe in domũ ſuam. Sic enim alibi, quando Ioannes accepit Chriſti matrem in ſua, eadem verba leguntur, εἰς τὰ ἴδια, in ſua, habitatum in ſuã domum. Dum prætereà dixerat, & mundus per ipſum factus eſt, hîc dixit, Quotquot autem eum receperunt, dedit poteſtatem filios Dei fieri. Demum vbi dixerat, & mundus eum non cognouit, hîc habetur, & ſui eum non receperunt.

ORTHODOXVS.

QVOD inde a principio huius capitis Samoſatenus inſtituerat, vt ſanctæ huius grauiſſimæq; narrationis ordinem conturbaret, in eodem conſilio hîc pergit diligentiſſimé. Nec mirum: quia hoc niſi aſſequitur, omnino eorum quæ captat nihil aſſequuturus eſt. Nam Ioannes ordinem ipſum naturæ conuenientem perſequens (vt antè ſegmento 2. & 3. docuimus) primùm de rebus diuinis ad perſonam Chriſti in ſeſe pertinentibus cœperat dicere: inde ad diuina opera eius erga res creatas deſcenderat, quorum alia in creandis rebus, alia in ſuſtentandis & regendis ſunt poſita per vitam & lucem illius: quam primùm naturæ noſtræ collatam, deinde (poſtquam amiſſa eſt) gratiosè denuò operibus & ſermone oblatam mundo narrauit Apoſtolus, turpiſſiméque inde a principio repudiatam ab hoc ingrato mundo. Nunc verò propter neceſſarium illud hyperbaton (quod diſtinctionis ergô commodè interiectum eſt, verſibus antecedentibus) regrediens Apoſtolus ad interruptam narrationem

tionem suam, de oblata mundo luce ampliùs loquitur, eiusque a mundo repudiatæ duos gradus ostendit, secundùm rationem temporis & grauitatem facti optimè ordinatos. Nam primùm communiter a mundo gratiam repudiatam exponit, hoc versu, deinde a gente Iudæorũ versu sequente, antequam ad tertium & vltimum genus manifestationis veniatur, nimirum in carne assumta personaliter: quæ manifestatio facta est demum in temporum plenitudine, postquam opere & verbo diutissimè omnes sollicitauisset. Hunc diuinum ordinem æquè imperitè ac malitiosè Samosatenus peruertens, prima cum medijs & media cum vltimis ita confundit, vt quisquis ordinem in explicatione eius quæsiuerit, oleum & operã (quod aiunt) miserè sit perditurus. Quod factum eo est indignius, quòd Euangelistæ suauissimo, & grauissimo ordinis conuenientis (si quisquam est) typo hanc ἀταξίαν adfinxerit. Quod vel vnicum incommodum Samosateniani omnes si bene obseruarent, omnino a suis istis putidis commentis & cauillationibus abstinentes cederent diuinæ veritati. Quam rem vt efficiat gratiosè Deus, oro & opto in Christo Iesu seruatore nostro. Pro eo quod igitur Apostolus ingratum hominum factum expositurus, resumtis argumentis antecedentium beneficiorũ Christi, narrationem instituit ingrati animi tum omniũ communiter, tum Iudæorum singulariter, hic chimæras & monstra supponit interpretationum. *In mundo erat*, inquit, id est, inter homines versabatur; *& mundus per ipsum factus est*, nimirum nouus: *& mundus eum non cognouit*. Atqui si nouus factus, quomodo non cognouit? Quid est Scripturæ illudere, nisi hoc est? Hæc sic interpretari, & ad carnem Christi ac tempus illius restringere, & argumento humanitatis naturam diuinam personæ Christi tollere per ineptam illam oppositionem quam toties refelli-

mus, nihil est aliud quàm veritatem salutémque voluntariè perdere falsarum interpretationum & fallacium argumentorum fuco. Lepida verò illa argumentatio est, quum Samosatenus dicit, *Qui Christum venisse nõ in carne, sed ante carnem dicit, Antichristus est, 1. Ioan. 4. Intelligitur ergo de aduentu Christi, hominis videlicet in carne, in mundum:* quasi argumentetur ex maiore illa propositione hoc modo: *Ioannes dicit Christum venisse: ergo venisse in carne dicit, ac non ante carnem:* & contrà, *vos orthodoxi ante carnem venisse dicitis: ergo Antichristi estis.* Maior ambigua, & falsa est, non Apostoli scribentis, sed huius argumentantis vitio. Ambiguitas duplex: vna in nomine *Christi,* altera in *veniendi* verbo. Christũ enim personam illam diuinam, Sermonem illum intelligimus, qui erat in principio, erat apud Deum, & erat Deus, vt antè Ioannes loquutus est: Hic ψιλὸν hominem intelligit, qui tum primùm cœpit esse, quum factus est caro ex virgine. *Veniendi* autem verbo singularem illam actionem intelligimus, qua se æternus ille Sermo adiunxit naturæ nostræ in vnitate personæ, & manifestum siue conspicuũ in carne fecit: hic processionem a non esse (vt loquuntur) ad esse intelligit, tamquam si Italico sermone, ac nõ Græco Ioannes Euangelium suum conscripsisset. Nam apud Græcos inaudita est τοῦ ἐλθεῖν illa significatio, quicquid Samosatenus garriat. Falsum autẽ illud axioma est quod per oppositionem (pro sua illa communi oppositionum arte) hoc loco statuit, Qui Christum venisse ante carnem dicit, hunc Antichristum esse. Nam de Christo secundùm personam agitur quæ æterna est, non de carne quam persona assumsit in tempore. Quòd si quis diceret Christum in carne venisse ante carnem, meritò exploderetur vt insani dictum: quis enim puer non videat illa esse contradictoria, nisi de carne per singularem dispensationem

assumta

assumta (vt olim Christus & Angeli assumserunt) at non personaliter vnita alterum membrum intelligas? Sed persona Christi venisse dicitur, nō caro. Nam caro Christi siue humanitas, non est persona siue hypostasis, aut natura subsistens per se, sed natura est enhypostatos, inexsistens in persona, vt more Scholasticorum loquar. Atq; hæc disertè sua illa loquutione distinxit Ioannes, vt Samosateno ansam quam captat præcideret. Non enim carnem Christi venisse dicit (quod figuratū esset δι' ὑπαλλαγῆς dictum) non carnem Christum venisse siue hominem Christum (quod Apollinaristę sibi assumerent, & Samosatenus vsurpat) sed Christum, personam inquā Christi, venisse in carne, id est in humanitate assumta vnione personali, vt esset Immanuel, id est, nobiscū Deus, quod Prophetæ olim prædixerant: venisse inquam non mutatione loci in hunc mundum, non productione noua personæ quæ antè non fuerit, non communicatione substantiæ, conuersione, aut confusione vlla, sed φανερώσει vel manifestatione personæ suæ diuinæ in carne, in qua factus est conspicuus qui in se est inconspicuus, vt loquitur Apostolus. 1. Tim. 3.
Minor planè falsa est & cum veritate pugnās. Non enim hoc loco Ioannes dicit, In mundum venit: sed *in mundo erat:* Quumque dicit posteà, *ad sua venit*, non dicit in carne venisse. Nam venit etiam aliter, & alio tempore, quàm in carne: sic falsa est ex particulari, siue ex distributo (vt vocant) argumentatio. Ac proinde quæcunque superstruuntur fundamento isti ex particulari & per elenchi ignorationem posito, ea nullas vires apud bonos meritò habere possunt. Quid ergo ista sibi volunt, *in mundo erat, & mundus per ipsum factus est?* Nempe ingratum mundi animum in Christum Ioannes propositurus, duos amplissimos illos beneficiorum locos quos antè narrauerat summatim repetit ὕστερον πρότερον (qui ordo Hebræorū

est, memoriæ iuuandæ percommodus) vnum gubernationis, alterum creationis: quibus locis æquissimum fuerat homines adduci & rapi ad agnitionẽ Christi: *in mundo erat* (inquit) essentia, præsentia, potentiáque sua, regens omnia & sustinens verbo potente suo, vt Sermo æternus Patris apud Deum Deus: *& mundus per ipsum factus est*, id est, conditus creatusque in principio: quo iure, creationis inquã & administrationis, mundus tenebatur omnino eum agnoscere, & non agnouit tamen. Sic & versus sequens. Sed hîc nouus interpres occurrit dicens, *non creationem mundi, sed instaurationem potiùs significari, quia per Christum nouus mundus sub Testamento nouo*, &c. Quàm inconsequens sit hoc argumentationis genus, *nouus mundus est per Christum, non igitur vetus per eumdem est*, antè ostendimus segmento 7. Nam ex particulari concluditur, & negatur diuersum, & tempora confunduntur, & ratio diuersa tollitur, quam in persona Christi necesse est obseruari: nam quà Deus, creauit mundum: quà mediator, instaurauit. Quis ex tot vitijs, obsecro, nectat bonam consequentiam? Hoc agnoscimus, a Christo nouas creaturas esse: quid hoc confitentibus, credentibus, acquiescentibus probari opus est? Sed hîc Rhodus, hîc saltus, quod aiunt, probari non esse a Christo creationem omnium, quam simpliciter ex Ioanne & alijs haustã in Ecclesia confitemur. De recreatione quam vocat, minimè contendimus, quam Christo Mediatori nostro ferimus acceptam: quæcunque ergo de ea commodè adferuntur, suo loco relinquimus. De creatione per Christum agitur. Quapropter hic artifex μιμηλικῶς in suam scenam personas introducit, quæ probationes a nobis desiderent. *Quod nemo docet, falsum est*, inquiunt: *Christum creauisse cœlos, aut ante mundum fuisse, nec Moses, nec Christus, nec quisquam docet: Falsum igitur.*

Minor

Minor planè falſa eſt. Nam creauiſſe cœlum & terram Moſes narrat Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctũ, quem Elohim cap. 1. Iehouam Elohim, cap. 2. vocat agẽs de creationis argumento: Christus narrat Ioannis 5. vt antè ſegmento 7. docuimus. Ante mundum fuiſſe idẽ Moſes per conſequens narrat, qui mundum fecerit: Christus narrat Ioan. 17. quum *ſe gloriam apud Patrem dicit habuiſſe prius quàm mundus eſſet*. Quid? quòd vnicus ad Hebræos locus ex Teſtamento veteꝛe vtrumque probat luculentiſſimé? Nam æternitatem primùm perſonæ, tum creationem ab eadem perſona factam aſſerit his verbis, propoſita Angelorum comparatione, *De Filio verò dicit, Thronus tuus, o Deus, in ſeculum ſeculi: virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propter eà vnxit te, o Deus, Deus tuus oleo exſultationis præter conſortes tuos. Et, Tu in principio, Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes vt veſtimentum veteraſcent. Ac velut amictum circumuolues eos, & mutabuntur: tu verò idem es, & anni tui non deficient.* Alia prætereà teſtimonia adferre poſſem: ſed hæc pijs mentibus futura ſunt ſatis: contentioſis ne ſexcenta quidem ſtudiũ φιλονεικίας eximent. Atque hæc vniuersè de prioris ſcripti ad locum hunc interpretatione. Nunc ad ſingularia quædam excutienda veniamus. 1. Ad eumdem lapidem hic denuò offenditur, facta oppoſitione duarum naturarum in Chriſto: quæ, quia diuerſæ, huic ſunt viſæ contrariæ & pugnantes inter ſe: vt bis aut ter etiam fit in hoc ipſo loco. Sed de vanitate huius oppoſitionis iam dictum centies. 2. Hic ille ipſe locus eſt, quem paulo antè ad demonſtrandam æternitatem Chriſti protulimus: ab hoc autem interprete prolatum demirarer, niſi ſcirem admirabilem vim eſſe veritatis, quæ hanc confeſſionem huic homini expreſſerit. Hæc autem de manifeſtatione &

Hebr. 1.
Pſal. 45.
Pſal. 102.

demonstratione intelligi oportere ipsa verba Samosateni euincunt manifestò, quum ait, *exaltatus fuerit, seu demonstratus seruator mundi, &c.* 3. Sic argumentatur: *Qui alium quàm se Creatorem omnium esse prædicat, se Creatorem negat : Christus Deum & Patrem suum Creatorem omnium testatur esse: Ergo se Creatorem negat.* Maior ambigua est, & particularis: ex qua nihil iustè concluseris. Exempli causa, si quis alium quàm se dominum ædium, vel fundi esse dixerit, hæc responsio duobus modis potest intelligi: nam aut alium secum dominum esse intelligit, si domus vel fundus communis est, neque se a communitate excludit; aut alium, non autem se, dominum esse intelligit, & excludit sese. Christus autem Deum & Patrem suum esse Creatorem pronunciat secundùm rationem communis, non seipsum excludit ab illa communi operatione. Itaque nihil agit Samosatenus hac sua argumentatione. Quod autem Ioannes ad aliam creationem dicitur respicere, id antè negauimus, & falsi euicimus.

4. Probaturus Christum nec æternum esse, nec fuisse sub testamento vetere, tribus argumẽtis vtitur. Primùm, *Qui ante prædicationem Euãgelij nec fuit, nec fecit quicquam, non est æternus: Christus antè non fuit, nec fecit quicquam: non ergo æternus est.* Maiorem damus, minorem distinguimus. Christus antè nõ fuit secundùm carnem, quàm plenitudo temporum aduenisset: at fuit Christus, seu persona Christi secũdùm diuinitatem æternam, quæ suo tempore induit carnem. Elenchus perpetuus est, ex quo conclusio falsa. Secundum, *In quem non credebatur sub testamento vetere, is non erat: In Christum non credebatur: non erat igitur.* Negatur minor: nam in Christum credidisse Patres sub testamento vetere, vel solus Dauid Psal. 2. & 16. & 45 & 102. & 110. docet apertis verbis, & Christus Apostolique confirmarunt. Tertium, *Qui exspectabatur, nondum erat:*

Ioan. 8.
Rom. 10.
Hebr. 1.

erat: Christus exspectabatur: Nondum igitur erat. Maior ambigua est: nam qui exspectabatur, aut futurus exspectabatur, aut venturus: futurus, si non erat; venturus, si non aderat. Christus autem exspectabatur, non futurus tum primùm (erat enim) sed venturus in carne, secundùm modum illum patefactionis qui exspectabatur. Falsa igitur conclusio: nam etsi non erat Christus secundùm carnem, erat tamen secundùm veritatem personæ suæ. His argumentationibus positis, Samosatenus quasi extra scraptus, ad aliam anchoram confugit, nempe ad notitiam Christi, *quòd non fuerit notus.* Hoc autem quorsum, si certò constabat ipsi non fuisse Christum? Nam de eo qui non est, nec adhuc fuit, nemo dicit non esse notum, cùm ne sit quidem. Dum vult iste homo subtilis esse, subtilitate diffluit. Deinde verbis Christi indignè abutitur ad istud suum commentum confirmandum. Nam Christus Apostolos his verbis compellans non agit de notitia illa communi, aut etiam singulari notitia fidei, vt eam tamquam priùs ignoti habeant: nouerant enim Christum, & fide aliqua nouerant, vt verbis illis Petri demonstratur lotionem pedum a Christo recusantis: sed de confirmatione agit illius fidei aduersus scandalum crucis proximè obuenturum: quemadmodum illa Christi verba vincunt manifestissimè, *ne turbetur cor vestrum:* quibus illicò subijcit, *creditis in Deum, etiam in me credite.* Quæ cum ita sint, eo tantùm pertinet hæc interpretatio a Samosateno allata, vt ipse suo iuguletur glaudio, cùm hæc euertat illam, & a Scriptura sacra potentissimè vicissim euertatur.

Ioan. 14.

Ioan. 13.

Altera interpretatio maiorem subtilitatẽ sectata, argumento quidem eadem est, sed modo interpretationis differens. Non contendam vtrùm hæc metonymia, an synecdoche dicenda sit, vbi pars pro toto, vel totum pro parte sumitur: viderint Grammatici. Sed insignis est

M. S.

audaciæ, an impudentiæ? quòd vnico in versu, eóque perbreui, treis mundi significationes statuit: *in mundo erat*, nempe inter homines: *& mundus per ipsum factus est*, nempe hominũ renouatorũ & regeneratorũ, per Spiritum: *& mundus eũ nõ cognouit*, nempe hominũ animaliũ, qui mũdo huic visibili addicti sunt. Vt nõ dispute quàm bene adferatur ista mũdi interpretatio; quàm alienũ est, sic vno in loco ludi vnius vocis æquiuocationibus? Vel hic ipse interpretationis modus infirmitatẽ harũ interpretationũ arguit. Quid ergo est, *in mundo erat?* nempe essentia, præsentia, potentiaq; inerat mundo, vt verus ille Deus in quo vita erat & vita erat lux hominum. Quid, *mũdus per ipsum factus est?* nempe creata mundi vniuersitas potentia diuina ipsius, non excluso Patre & Spiritu sancto, vt qui sunt vnum, & operationem vnam efficiunt cõmuniter. Quid, *& mundus eum non cognouit?* nempe ne ipsi quidem mundi incolæ, quos lux illa communis hominum ad cognitionem ipsius prouocabat. Nam illud, *non cognouit*, priuationis est: hîc ergo demũ restringitur mundi nomen ad eam partem mundi quam lux illa prouocabat, & cui habitus cognitionis fuerat inditus. Talia enim subiecta sunt, qualia permittuntur esse a prædicatis suis dexterè intellectis. Sic non variat mundi significatio, sed tantùm postremo membro per synecdochen communis ex necessitate prædicati restringitur. Hæc simplex interpretatio est, & euidente argumento: quia duo illa cõmunia Christi in mundum beneficia, gubernationis, inquam, siue prouidentiæ & creationis, plurimùm indignitatem humanæ istius ἀγνοίας siue ignorationis Dei & Christi amplificant.

Cætera suo loco relinquimus: si duo exceperis. Vnum est, quod singulari applicatione confundit quodammodo historiam communem mundi cum singulari historia Iudæorum: quod malum tamen aliquo pacto, non satis, corrigit.

corrigit. Alterū, quòd *Christum missum esse dicit, vt omnes seruet quantum in se est:* quod ambiguè dictum voluissem ab eo ampliùs explicari. Non enim ignotum est, vocem, *omnes*, vniuersaliter, communiter, aut distributiuè accipi: & illud genus loquutionis *quantum in se est*, de Christo Filio Dei Deoque vero enunciatum non carere periculo, nisi commodè distinguatur in hoc argumento. Sed ad alia pergamus.

M. S. SAMOSATENVS. 12.

Qui non ex sanguinibus, neque ex volūtate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

HOC *loco Ioannes Iudæorum supercilium retundit, qui gloriabantur se originem duxisse ab Abrahamo, Isaaco, & Iacobo. Concludit ergo nihil momenti habere in regno Christi, sed regeneratione vitaque nouitate opus esse.*

ORTHODOXVS.

HÆC quoque nota probatur nobis, licet non plena sit loci interpretatio.

SAMOSATENVS. 13.

Et Verbum caro factum est, *vel*
Et Verbum caro fuit.

QVI *Græcè norunt, vocem* ἐγένετο *norunt significare idem plerumque quod* fuit, *vt sit sensus, Christus ille, qui erat Verbum, Dei proloquutor seu interpres, & spiritu sine mensura vnctus, qui erat lux, vita, structórque noui mundi, qui quum ad suos venisset non fuit receptus: hoc Verbum, inquam, fuit caro, homo vilis, mortalis, despectus, maledictum etiam factus. Caro enim ferè pro eo semper sumitur. Hoc dicit, nequis Christum sibi somniet, seu vnctum a Deo, qui non sit homo. Ideò & Ioannes præuidens alium Christum non hominem introducendum præmonuit dicens*, Omnis spiritus qui Christum negat in carne venisse (*non in carnem ait*) ex Deo non est, impostor est

& Antichristus, de quo audistis Antichristum venturum fuisse, & iam nunc in mundo esse. *Quæ verba innuunt doctrinam hanc de Filio Dei ficto ante carnem, tempore Apostolorum iam exortam fuisse, & ante omnia Christum lucem veram sublatum esse, vt tandem omnia in tenebris vastaret Satan, vt Christus prædixit Ioan. 9. Certè in his verbis Ioannis 1. capite nulla transsubstantiatio asseritur, neque aliqua vnius Christi æterni cum altero temporali iunctura: vnde etiam duas naturas, aut potius duos Christos introduxit Antichristus, visibilem & inuisibilem, æternum & temporalem, vnum hominem cum Deo copulatum, mortalem & immortalem, æqualem & minorem: qui creuit sapientia & ætate, tum qui non creuit: qui vnus est cum Patre, & qui non vnus: passus & non passus pro nobis. Ista enim & multa alia portenta hinc stabiliuit Antichristus, de quibus nec somniauit Ioannes Simplex est hîc oratio, sed nunc obscurata per phantasmata Antichristi. Ioannes enim simpliciter illum Christum Verbum Deum, lucem, vitamque, structorem noui mundi, hominem fuisse docet, ne quis vel Deum Patrem esse Messiam, vel Deum aliquem æternum, vel non hominem somniaret Christum. Contra Antichristum, & eius fictum Christum, editum hoc est Euangelium, quod Antichristus pro suo Christo æterno torquet. Talium verò phrasium plena est Scriptura, vbi vox ἐγένετο idem valet quod fuit. In eodem capite, paulo antè dicit de Ioanne, ἐγένετο ἄνθρωπος, fuit homo missus a Deo. Sic Ioann. 6. Sic de Christo Luc. 24 ὃς ἐγένετο ἀνὴρ, qui fuit vir verbo potens & opere. Sic Luc. 1. ἐγένετο &c. fuit in diebus Herodis Regis. Sic Marc. 1. Quòd si quis diligens lector fuerit, plus mille locos colliget in nouo Testamento ex Græca lingua: nusquam tamen hanc vocem pro incarnari, vel duas res aut naturas in vnũ iungi inuenies. Quin facilius inuenires pro conuerti, vt aqua factum vinum in Cana. Quare pij sedulò caueant sibi a talibus Antichristi imposturis: quibus non tantùm ille Christus vnicus verus Dei Filius ex*

Spiritu

Spiritu sancto conceptus, & ex Maria natus, & a Deo de cœlo commendatus, & nunquam incarnatus vel ex duabus naturis conceptus, sublatus est; sed etiam tota Scriptura obscurata, vt nemo illam præ isto Christo fictitio intelligat. De nullo magis & diutius hucusque certatum, & ab initio, quàm de istis naturis Antichristi, de quibus ne verbum quidem habetur in tota Scriptura, nec de communicatione idiomatum a Satana inuenta. Quin & nunc in omnibus Ecclesiis Germanicis, Helueticis, Gallicis, de nullo alio contendunt, sicut ab initio Euangelij, quàm de naturis. An verò putamus res tam necessarias non fuisse descripturos Apostolos, in quibus isti hodie proram & puppim religionis & salutis omnium locant? An tacuisset de Christo isto æterno Pater? quem sub vetere Testamento nec ostenderat, nec promiserat vnquam, nec vnxerat, nec in eum credere docuit: cùm etiam Angelos sæpe describat in veteri Testamento, & alias res leuissimas. Lux est Christus, vnus etiam magister, quo nemo clariùs docet: nihil facilius est tota eius doctrina, si quis modò hæc Antichristi blasphema commenta de Deo trino, & de Christo bino ab oculis abstergat. In hac sola doctrina Christi simplice, absque Patribus, Concilijs (cùm per horum fumos obscurata sit lux) perseuerabat Ecclesia illa Apostolica purissima, in qua homines simplices, pij, & ardentes in fide & charitate erant, Luca teste. In hac quoque sola standum nobis erit ad finem, si volumus Christiani esse, id est, discipuli Christi, & ex Babylone exire, in Apostolicaque Ecclesia ad finem permanere.

Quòd si quis etiam Verbum factum carnem interpretetur, non pro vnione illa duorum in vnum, nec pro conuersione vnius in alterum, sed pro mutatione status seu conditionis summæ potentiæ Christo datæ, non absurdè (vt puto) faceret: vt respondeat loco illi Philip. 2. & Esaiæ 53. de forma Dei & seruitutum illi 2 Cor. 8. quod quum esset diues, factus sit pauper propter nos. Hic sensus enim omnium istorum locorum esset sibi correspondens. Quum Christus esset Verbum, primarius Doctor, & es-

ſet Deus tanta potentia præditus vt omnia illi obedirent, & dæmones fugiendo, morbi cum morte cedendo, mare & venti ſeſe pacando pro imperio Chriſti, eſſetque innocens ſine peccato, ſicut & Adam creatus ad imaginem Dei (hoc enim eſt eſſe in forma Dei, Paulo) quum ergo tantus tamque potens eſſet, miſſusque ad reconciliandum nos Deo per mortem, & ad exſoluendum peccatum (a quo ille, vt & ab omni dolo, erat liber, innocens, ſanctus, pius, imaginem Dei referens, atque ita nec morti, nec maledicto vlli obnoxius) factus eſt tamen caro, vilis, & contemptus, & propter nos exinaniuit ſe hac Dei forma: quum eſſet æqualis Deo, formam ſerui ſuſcepit, ſubiecit ſe ſponte ſeruituti non qualicunque, ſed etiam maledictæ morti crucis, quum poſſet ſe potentia a Patre accepta tueri, nec tradere ſe illis quorum cogitationes antè nouerat, & manus eludebat, eoſque iam capiendus coràm virtute proſtrauerat : Verbum illud Dei factum eſt, inquam, caro, id eſt, vilis, pauper, miſer, maledictum, vermis & non homo, quaſi omni potentia deſtitutus eſſet, morti ſe obiecit crucis obediens Patri factus: & hæc quoque eſt forma ſerui & paupertas ſpontanea. Quam ob cauſam etiam extulit illum Pater, dato illi nomine ſupra omne nomen, vt ab omnibus adoretur, reſuſcitauit eum, & ad dexteram ſuam ſedere fecit, potentia in cœlo & in terra illi data. Et Ioannes poſt hanc vilitatem ſcribit, vt & Paulus, fuiſſe conſpectam eius gloriam, nõ vt alicuius hominis vel Angeli, ſed vt vnigeniti a Patre, iam non vt exinaniti vel in forma ſerui, ſed pleni gratiæ & veritatis. Nam vt aliquem Chriſtum alium æternum ante Mariam fingant, qui fuit in forma Dei, vel diues, vel Verbum Deus, vel vita luxq;, vt id probent, nullum locum habent Scripturæ, nullas diuitias eius poſſunt oſtendere. De homine enim Chriſto in terris, tam potente & talia miranda patrante, hæc dici volunt Euangeliſtæ, non de alio. An non Paulo fuiſſet facilius loco formæ Dei dicere verum Deum & æternum, vt vult Antichriſtus? In forma enim

enim Dei, tamquam Deus, imperabat omnibus. Id verò Paulus non fecit, quia de vno eodemq́ filio Dei (quem Dominum & Christum fecit Deus) loquitur: illum qui non sit factus a Deo non demonstrat, neque duos Christos vsquam tradit. Vt enim vetus testamentum eum promittebat, figurabat, re non ostendebat: ita sub nouo testamento, non sub veteri, natus, datus, demonstratus ab Angelis, Simeone, Anna, & a Deo Patre cælo aperto coram turbis proclamatus, quum iam proditurus esset (& non antè) vt se Verbum, Deum, *lucem, vitámque ministerio suo docens faciensq; demonstraret. Eodem sensus vterq; redit: quum esset summus apud Deum, fuit infimus omnium: idē summus, qui factus vilis, non alius & alius: vti & doctiores Neoterici docent, præsertim Melanchthon, cuius verba hîc placuit adijcere. Vide in vetusto illius commentario in primum Ioannis caput super illis verbis,* & Verbum caro factum est, *vbi sic ait:* Porrò omissis philosophicis disputationibus de incarnatione, breuiter ita sentio, Ioannem ταπείνωσιν capere nasci, quum ait, Verbum caro factū est, id est quod Esaias ait, nouissimus virorum: & Paulus 2. Cor. 5. pro nobis peccatum factus est: & Gal. 3. factus pro nobis maledictum. Quare quum carnem vocat, intellige extremā humiliationem Christi, *&c.*

M. S.

Et Verbum caro factum est, *seu potius*
Et Verbum caro fuit, *id est, homo.*

INTERPRETES *hoc modo exponunt: Verbum, id est, Filius Patri consubstantialis ac coæternus factus est caro, id est, induit seu assumsit hominem. Sed nos quid Verbi nomine intelligendum sit, superiùs exposuimus: neque enim vnquam ex verbo Dei, quod isti dicunt, probare poterunt. Obseruandum est igitur vocem istam Græcam, qua hîc vtitur Ioannes, duplici modo Latinè reddi posse: nempe & verbum* ἐγένετο, *id est, fa-*

ctum est vel fuit. Ratio tamen contextus omnino postulat vt legatur, & Verbum caro, id est, homo fuit. Nam vltra quòd superiùs Ioannes eadem voce Græca in hac significatione vsus est, quando mentionem faciens de Ioanne Baptista dixit, ἐγένετο ἄνθρωπος, id est, fuit homo missus a Deo, &c. est & illud, quòd optimè cohæret præcedentibus & sequentibus, estque optima expositio omnium præmissorum: quasi dicat Ioannes, Verbum hoc, de quo hactenus verba feci, quod lucem etiam ac vitam appellaui, cui testimoniũ perhibuit Ioannes Baptista, quodq; in mundo erat, ac in suam Iudæam veluti in propriam domum venit: hoc inquam Verbum, nempe Iesus ille Christus de quo in præsenti historia sum loquuturus, caro, id est, homo, & quidem mortalis, humilis ac despectus (nam per carnem huiusmodi hominem significari satis manifestum est) fuit: & hac ratione Christus ipse se filium hominis, id est, hominem sæpè vocat.

Quòd si vertas, & Verbum caro factum est, non solùm non cohæret textui, sed totum lectionis contextum euertit. Nam si ita legatur, oportuisset huiusmodi Verbum, antequàm veniret Iudæis suis prædicatum, carnem fuisse factum: at hic legitur priùs venisse ad eos, deinde carnem esse factum. Adde quòd si ita vertatur, & intelligatur de Filio æterno consubstantiali, vt isti volunt, non solùm Scripturis probari non potest, sed toti Scripturæ maximè aduersatur. Nam cùm asserant esse Verbum illum Deum Iehouam, qui solus adorari debet & eum hominem esse factum: nónne hoc est Scripturam vniuersam inuertere, ipsamq; toti modo contemptui exponere?

ORTHODOXVS.

HORVM Euangelistæ verborũ duplex adfertur interpretatio: quarum altera affirmatè enunciatur, altera συγχωρητικῶς. etsi hanc posterior interpres oppugnat simpliciter, vt sibi incommodam & sententiæ suæ. Prior interpre-

terpretatio est Verbum fuisse carnem: posterior, Verbum factum esse carnem. De vtraque ordine videbimus.

In priore sequemur ordinem a Samosateno hoc interprete institutum. Nam primùm sententiam suam proponit, tum confirmat prout potest, tandem accumulatis absurdis confutat nostram. *Sensus est*, inquit, *Christus, hoc Verbum, fuit caro, homo, vilis, mortalis, despectus, maledictum etiam factus.* Huius interpretationis vitia (vt dicamus paucis) tria animaduertimus: vnum, in subiecti; & duo, in prædicati enarratione. In subiecto vitiũ est, quòd Christus persona supponitur, quę tũ primùm cœperit esse, quum caro facta est, ac nõ persona diuina essentialiter. In prædicato, vitiosè nomen *caro* & verbum ἐγένετο exponitur. Cùm enim nomen *carnis* substantiam propriè significet, cuius substantiæ species proximè definitur, quũ additur nomen *homo* (atque hoc aliquo modo verum est) illico attributa homini huic appinguntur toto genere differentia: tanquam si nomine carnis æquiuocè dicerentur multa ad categorias complureis pertinentia. Nam vilis, mortalis homo cum dicitur, attributa qualitatis sunt; quum verò despectus & maledictum etiam factus, hæc continentur passionis categoria. Si ergo, Samosatene, nomine carnis tam multa & diuersa significantur; putasne idem de eodem, vt genus simul & vt accidens, enunciari posse? putasne idem de eodem vt varia genera prædicari? Si putas, profer, quæso, nomen contrarium quod ad certum genus referri possit. Id profectò nũquam quisquam effecturus est, data hac definitione carnis. Quòd si substantia cum accidente, generaq; inter se hac circumscriptione confunduntur vsque adeò vt nullum certum contrarium dari huius vocis aut species ἀντιδιῃρημένη possit; non definitur nomen carnis, sed magis his loquutionibus obscuratur. De verbo ἐγένετο non melius

ſtatuis: nam quo loco iubes exponi *fuit*, eodem tu ipſe exponis factus eſt, quũ dicis, *fuit maledictum etiam factum.* Quod verbum ſiue ad omnia tuæ definitionis membra retuleris, ſiue ad vltimum ſolùm (in quo tamen plus excuſationis futurum eſt) non potes quin euincaris ipſe fundamenta doctrinæ tuæ euertere: qui idipſum in definitione tua ponis, quod tam conſtanter & tanta contentione extrudi iubes. Quæ cùm ita ſint, redundat tua illa definitio carnis: quam (ſi ſapis) reſectis omnibus attributis quæ placuit addere, hoc modo ſtatues: caro, id eſt, homo, prout ab Apoſtolo nominatur Ieſus Chriſtus homo.
1. Tim. 2
Etſi hoc pium Lectorem velim obſeruare, optimè Spiritui Dei placuiſſe vt hîc potiùs diceretur, *Verbum factum eſt caro*, quàm Verbum factum eſt homo. Cur autem? quia homo ſimpliciter quum dicitur, perſona intelligitur ſubſiſtens eſſentia ſua in humanitate ſua, vel in ſeipſo ſecundùm humanitatem ſuam: ſed caro hîc quum dicitur de verbo Dei vel ſermone, intelligitur natura humana ſubſiſtens eſſentia ſua in perſona Filij Dei, ac non in ſeipſa, vt ſit in omnibus hominibus prognatis naturæ ordine. Quapropter antehac dixi aliquo modo verum illud eſſe, quòd caro hîc hominẽ ſignificet: nam reſpectu ſubſtantiæ caro Chriſti homo eſt: ſed in ratione ſubſiſtendi (quem τρόπον ὑπάρξεως apellant Patres) diſcrimen iſtud interuenit quòd homo naturalis ſubſiſtit in ſe, humanitas Chriſti ſubſiſtit in perſona Filij Dei, ſecundùm vnionem perſonalem humanitatis cum diuinitate illius. Sequuntur probationes illius definitionis tuæ, quam modò expendimus. Prima, *caro ferè pro eo ſemper ſumitur.* Nego: nam eſt quidem dictio æquiuoca: ſed tamen nullum Scripturæ locum video, vbi ſic poſſit coniunctè accipi: exemplum deſidero. Si quod eſt, non poſſum meminiſſe: hô promoſſum. Quòd ſtatim excurrit Samoſatenus ad ſuam

illam

illam toties recantatam oppositionem Filij æterni & hominis, tamquam si in vno supposito non possent simul exsistere, puerile est: & eo ampliùs miror, quòd eos dum putant effugere absurdum (vt videtur) vnum, in alterum aut potius idem video incidere. Nam *non magis attributa purè diuina creatæ naturæ inesse possunt, quam natura diuina naturæ humanæ adunari: Hoc autem illis absurdũ est: Et illud igitur absurdum esse oportuit.* Ac proinde optimè e diuerso concludimus: *Omnia attributa diuina sunt propria deitatis: Quæ autẽ propria sũt deitatis nõ possũt naturæ creatæ cõpetere, aut inesse in se: ergo attributa deitatis nõ possũt naturæ creatæ cõpetere.* Sed vtraq; natura potest personaliter adunari, diuina inquã & humana, seruatis vtriusq; in sese proprietatibus & cõmunicata operatione in suppositi siue personę vnitate: illud ergo absurdissimũ, hoc minimè absurdum est, quod ex verbo Dei credimus & confitemur. Non igitur alius Christus non homo (vt hic odiosè obijcit) a nobis introducitur, sed (quod maximè omnium est necessarium) natura diuina cum humana in vnitatem personæ dicitur adunata, vt in humana, per humanam, & cum humana suas diuinas præstet operationes verus Deus verus homo Christus, vnum suppositum, seu persona vna.

Secunda probatio: *Qui docet dogma aduersus quod nos præmonuit Apostolus, is ex Deo non est, &c. Orthodoxi docent dogma eiusmodi: ergo.* Minorem, quam negamus, probare volunt auctoritate Ioannis, dicentis, *omnis spiritus qui negat Christum in carne venisse, ex Deo non est, impostor est & Antichristus. &c. hoc negant Orthodoxi: non igitur ex Deo sunt.* Iterum falsa minor. Probare sibi videtur, dicendo, *non ait in carnem venisse, vt vos affirmatis, sed in carne venisse dicit Ioannes.* Atqui primùm qui in carnem venisse dicit, non negat venisse in carne: nam venisse in carnem, & venisse in carne non sunt contradicentia: tantùm eo discri- 1. Ioan. 4.

men est, quòd venisse in carnem quum dicimus, euidentiùs notamus antè fuisse suppositum quàm aut caro esset, aut suppositum veniret in carnem, atque hic scopulus ille est a quo tantopere & tanta contentione animi resilitis: venisse autem in carne quum dicimus, fit ad nos relatio, nempe quòd suppositum illud de quo agitur ad nos in carne venerit. Vtrumque autem coniungimus, Christum venisse in carnem, quam assumsit in vtero virginis Mariæ, & Christum in carne venisse ad nos, id est, in mũdum atque in lucem prodijsse ex beatæ matris vtero. Secundò non dicit simpliciter Ioannes (vt putas) qui negat

1. Ioan. 2. Iesum Christum venisse in carne; sed dicit ἐληλυθότα, *Iesum Christum qui venit in carne.* Eodem enim, quo antè, respicit, quum diceret, *Quis est mendax, nisi qui negat Ie-*

Ioan. 20. *sum esse Christum illum?* quemadmodum in Euãgelio, *hæc scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum illum, Filium illum Dei,* &c. Tantùm eo differt hic locus ab illis, quòd vna ampliùs circumscriptio adijcitur a carne ipsius, *omnis spiritus qui negat Iesum* (hoc personæ nomen) *Christum* (hoc officij) *qui in carne venit* (hoc naturæ, cuius respectu adducebantur multi, vt carnis infirmitate & crucis scandalo offensi negarent hunc Iesum, hunc Christum eundem esse) *is ex Deo non est,* &c. Frustra itaque Samosatenus adtexit commenta sua, & nouam quamdam priscæ Ecclesiæ proponit historiã: quam si velimus cognoscere, optimos illos & incorruptos antiquitatis testes ab ipsa antiquitate potiùs audiemus, quã nouos homines, qui & in suis interpretationibus & in ijs quas adhibere solent historijs nihil nisi principium petunt, certis auctoritatibus, rationibus exemplisque destituti. Quæ contumeliosè in Christum, doctrinam, & nos vibrare audet, ea de industria omittimus. Tertia probatio, non probatio est, sed mera petitio principij: *hunc Ioannis locum non obscurum,*

aut portentosum esse, sed clarum & simplicem. Obscurum fore, si transsubstantiationem aut consubstantiationem doceret naturarum: portentosum, si duas naturas aut potiùs Christos introduceret in quibus res contrariæ inessent planè, &c. De obscuritate respondeo, nullum verbum esse in tota Ioannis historia, nullum in tota interpretatione nostra de transsubstantiatione siue substantiarum transmutatione. Negamus igitur: tum etiam regerimus, æquè obscurum esse atque παράδοξον, si quis transfusionem vel transportationem atque immigrationem proprietatum essentialium aut personalium de substantia vna in alteram affirmauerit, quàm si transmutationem substantiarum inter se confirmaueris: propria enim, quæ quidem verè sunt propria, non emigrare e subiectis suis. Proprietatum autem immigrationem eiusmodi, & quidem diuinarum in naturam humanam (hominem Christum fallendi studio vocant) Samosateniani tradunt, adeò vt ipsis auctoribus Christus purus putus homo Deus factus sit proprietatum diuinarum immigratione, secundùm quas vno momento & vno loco consistens omnes omnium hominum qui vbiuis locorũ sunt animos corda & voluntates nouit, sermones & orationes audit, actiones videt, omnibus opem fert, &c. quæ solius deitatis propria sunt & essentialia. Obscurum ergo docent isti atque παράδοξον. *Obscurum fore* quod aiunt, *si doceatur consubstantiatio siue iunctura* (vt vocat)*naturarum differentium*, falsum est: nam nihil communius adunatione & coagmentatione in natura rerum. Fit vnio ex pluribus integris, perfectis remanentibus, vt in aceruis confusione, in ædium structura commensu & ordinatione: fit ex perfectis transmutatis, prout ex elementis fiunt corpora mista atque composita: fit denique ex imperfectis, non mixtis aut permutatis; vt ex membris fit corpus, ex anima & corpore fit homo, v-

nione quam dicimus personalem. Non ergo obscurum aut alienum esse potest, si qua hîc quoque vnio de Christo prædicatur, sed singulari modo: quia non natura (si propriè velimus loqui) sed persona assumsit naturam in vnitatem personæ suæ. Quod itaque de adunatione dicitur naturarum, siue naturæ ad personam assumentem, naturale est, licet supernaturalis ortus: & quum dicitur his verbis, *Sermo factus est caro*, non obscurè dicitur, sed tam perspicuè quàm dici hoc mysterium potest. Quòd autem fore portentosum obiicit, *si aut duæ naturæ introducuntur, aut duæ personæ præditæ contrarijs proprietatibus in vno supposito*, negamus prius, posterius concedimus, atque affirmamus, quod Samosateno dolet. Duæ, inquam, naturæ coëunt in vnum suppositum personali vnione, quo in supposito qualitates planè contrariæ coalescunt, & in vnaquaque natura integræ permanent, quamuis in persona adunatę. Sic vnus & idem homo visibilis est secundùm corpus, secũdùm animã inuisibilis; mortalis est secũdùm corpus, secũdùm animã immortalis: crescit per spatia secũdùm corpus, secũdùm animã nõ crescit, & similia multa. Quemadmodum autẽ duæ imperfectæ naturæ in homine coagmentantur seruatis proprietatibus ad suppositi vnius constitutionem in carne & anima subsistentis virtute Dei; sic etiam persona Christi, quæ naturæ est perfectissimæ, assumsit naturam humanam in vnitatem personæ virtute sua: atque hæc adunatio facta est in ipso seruatis proprietatibus naturæ vtriusque, ad suppositi vnius constitutionem in persona illa diuina & carne assumta subsistentis virtute sua ipsius. Sic vnus & idem Christus homo visibilis est secundùm carnem, secundùm deitatem inuisibilis: temporalis secundùm carnem, secundùm deitatem sempiternus; verus Deus verus homo in vnitate personæ (etsi hæc non sunt contraria, cùm substantiæ non

sint

ſint contrariæ inter ſe, ſed qualitatum contrariarum ſint ſubiecta ſolùm) mortalis ſecundùm carnem, ſecundùm deitatem immortalis: minor Patre ſecundùm carnem, æqualis Patri ſecundùm deitatem; qui creuit ætate & ſapientia ſecundùm carnem, ſecundùm diuinitatem non creuit: qui vnum eſt eſſentia vel vnus cum Patre Deus, & qui non eſt cum Patre vnus ſecundùm perſonam, non aliud, ſed alius, vt dicebant Patres: qui denique paſſus eſt pro nobis ſecundùm carnem, idem ſecundùm deitatem ἀπαθὴς permanens. Hæc, vir bone, portentoſa non ſunt, non ab Antichriſto impiè ſtabilita, non delirantium ſomnia: ſed naturæ vſu euidentiſſima, a Deo per ſingularem gratiam effecta pro nobis, & ab Eccleſia inde a principio Euangelij fide religioſè percepta, & ſanctis laboribus, vigilijs, ieiunijs, per peſſionibus, martyriiſque conteſtata: quæ Samoſateni, Photini, Arij, aliorúmque phantaſmata nituntur obſcurare, & Satanas δι' ἐπιτεχνασμάτων καὶ πανουργίας eripere. Sed illud quod ait Samoſatenus portentoſum foret, ſi duo Chriſti, id eſt, duo ſuppoſita duæúe perſonæ in vnitatem perſonalem dicerentur aſſurgere: quod neque vnquam ab hominibus noſtris dictum eſt, neque a bonis comprobatum. Quemadmodum etiam id omnino portentoſum eſt, quum proprietates vnius eſſentiæ in eſſentiam alteram dicuntur immigrare, quod iſti homines non dubitant affirmare. Nam ſi Chriſtus homo ſolùm eſt ſecundùm eſſentiam ſuam, vt iſti volunt, & tamen in hac ſua humanitate & per humanitatem Deus eſt, reſque diuinas operatur in omnibus, omnia vno momento ac non ſucceſſiuè in infinitum videns, audiens, cognoſcens, operans, &c. nonne ex facto proprietates diuinę in naturam humanam tranſiuerunt? Quòd ſi prout ſunt eſſentiæ, ita operantur, & modus operandi quem res vnaquæque habet, modum τοῦ εἶναι ſequitur illius (vt certè

verum est) quis non miretur portenta Samosatenicæ istius doctrinæ, qua Christus nobis & tota salus eripitur? Quod si nos rationibus humanis pugnare dicant, quibuscum hæc mysteria nihil commune habeant: cogitent ipsi an non rationibus humanis, ijsque cæcis, in ista opinionum portenta quæ tuentur deuenerint: cogitent has rationes non ex hac humili tantùm natura terrenarum rerum depromtas esse, sed principia naturalia esse & communes notiones a recta ratione impressas mentibus nostris, & ad quamlibet naturam communiter rerum physicarum, metaphysicarum, diuinarumque pertinentes: cogitent denique has rationes Scriptura teste iam olim fuisse confirmatas, quum per Prophetas toties dixerit, *ego sum, ego sum, & non alius Deus præter me: Gloriam meam alteri non dabo: maledictus homo, qui suam fiduciam collocat in homine*, & similia multa. Non est portentosum, quod putas Samosatene, duas naturas coalescere, aut personam sibi naturam assumere: sed portentosum illud est (si quicquam) quod dicis, propria essentialia in naturam atque essentiam aliam & differentem transmeare: in primis autem diuina, quæ omni modo & omni tempore sunt incommunicabilia, cùm neque Deus aliud fieri possit, nam esset mutabilis: neque aliud fieri Deus, nam nec vnus foret Deus, nec simplicissimus: quod vel cogitare est impium. Det mentem vobis ad ista Dominus ille misericors & immutabilis. Verum itaq; in sese illud est quod concludis, Ioannem simpliciter illũ Christum, Verbum, Deum, lucem, vitamque opificem mundi (sed hoc membrum de industria transponis, vt nouæ illi tuæ interpretationi de nouo mundo adhibeas fulcrum) docere hominem fuisse: at non hominem solùm. Nam suppositum est Sermo, Filius æternus Dei, de quo inde a principio dixit Euangelicæ narrationis suæ: appositum caro, hoc versu: quam

su: quam carnem assumsisse dicitur in vnitatem personæ siue suppositi. Quod autem postea subijcis, *ne quis vel Deum Patrem esse Messiam*, &c. id ita accipio. *Qui Christum hominem esse docet, is Christum negat esse Deum Patrem, vel Deum æternum, vel non hominem. Illud autem Ioannes docet: hæc igitur negat.* Maior ex parte ambigua, sed tota falsa est. Ambiguè dicitur *Deus Pater*: aut essentialiter respectu creaturarum, quarum principium est diuina essentia: aut personaliter respectu Filij. Christum autem negamus esse Deum Patrem personaliter; nam est Patris Filius: sed essentialiter idem est Deus, Pater, principiúmq; omnium cum Patre & Spiritu sancto. Hoc posito, negamus propositionem totam: nam Ioannes vtrumque de Christo, sed diuersa ratione docet. Ac proinde Christus est homo: & quà homo, nec Deus Pater est, nec Deus æternus est, nec etiã nõ homo: quà autẽ Deus est, secunda persona deitatis, idem & Deus Pater est omnium, & Deus æternus, & non homo: quà autem suppositum vel persona vna, idem est Deus & homo; Pater omnium, & in omnibus primas tenẽs vt in numero omniũ cõprehẽsus; æternus, & principium habens; adde etiam, si placet, homo, & non homo in vnitate personæ: nam Deus est. Quum enim dicitur non homo, indefinitè dicitur: indefinitum autem hoc enunciatum, non homo, definimus in persona Christi, quum appellamus Deum. Hic purus putus elenchus est, quo Samosatenus vtitur: atque eodem modo suauiter sibi figmẽtum fingit, quum hoc Euangelium editum fuisse dicit contra Antichristum (quod verum est) & contra veritatẽ personæ Christi, quem diuinitate æternum esse, humanitate verò in tempore natum ex sacris Scripturis didicimus. Hanc blasphemam audacemque affirmationem ipsa rerum operationúmque natura, ipsa Ioannis verba, ipse narrationis ordo, omnia denique confutant

potentissimè, vt antè demonstrauimus. Quarta probatio ex vocis ἐγένετο interpretatione petita est. *Vox* ἐγένετο, inquit, *ampliùs mille locis in Scriptura idem valet, quod fuit: non ergo est incarnari, vel duas res aut naturas in vnum iungi.* Non dicit, non ergo est factum esse, quod fuerat dicendum ad confutandam interpretationem nostram: sed, non ergo est incarnari, &c. De argumentatione ergo enthymematica illa videamus. De numero locorum nihil dicemus: nam loquitur hyperbolicè. de enthymemate ita statuimus, id esse simpliciter verum, si rectè intelligatur. Sed tamen adhibenda in antecedente distinctio. Nam γενέσθαι verbum, aut significat esse factum & γενόμενος factus, expressamque ortus notationem habet (atque hæc propria est significatio) aut metalepticè significat esse, quia res in natura sunt ex quo factæ sunt; & tamen vi naturali vocis manet eadem ortus principijque notatio, siue (vt Scholastici vocant) connotatio. Sic quando dicitur ἐγένετο fuit homo, notatur fuisse hominem, sed connotatur factum fuisse hominem: quis enim homo non factus? γενόμενος; ortum & principium habens aliunde? Aliter se habet verbum εἶναι, quo simpliciter notatur esse rei citra ortus & principij notationem vllam. Prioritaque significatio propria est verbi γενέσθαι, posterior figurata. Consequens autem concedimus, non quia vi antecedentis conficiatur (id enim falsum est) sed quia per se verum est, neutram harum per se verbi γενέσθαι significationem esse. Restat igitur, vt loquutio hæc aut propriè exponatur, *Verbum caro factum est*, aut metalepticè, *Verbum caro fuit*, quam interpretationem Samosatenus hîc tentat retinere. Nos alterā defendimus. cur autem? 1. quia propria est. 2. quia etiamsi daretur figurata interpretatio, tamen idipsum quod Samosatenus fugit connotatione complectitur. 3. quia sic Ioānes ipse distinguit in hac narratione

ratione tota ab imperfecto ἦν, quo esse notatur subiecti sine ratione vlla principij aut ortus illius. Nam de simplice esse dicit Ioannes, *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & verbum erat Deus. Hoc erat in principio apud Deũ in ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Erat lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: In mundo erat*: & de Ioanne Baptista, *non erat ille lux vera.* hæc omnia verbo ἦν. Sed de eo quod factum est, aut quod ex antefacto est, altero verbo semper vtitur, nimirum γίνεσθαι. *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est: & mundus per ipsum factus est: qui autem receperunt ipsum, dedit eis hoc ius vt Filij Dei fierent*: & de Baptista, *erat homo missus a Deo.* 4. quia etiamsi hoc isto verbo γίνεσθαι significaretur, tamen si ponè sequitur nomen substantiuum, fieri significat (ac non esse) simpliciter & necessariò, vt quum *aqua facta vinum* dicitur Ioan. 2. quum quærit Apostolus, *ergo quod bonum est, mihi factum est mors*? Rom. 7. quum dicit, *Christus factus fuit nobis sapientia a Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemtio*, 1. Cor. 1. *Christus pro nobis factus est exsecratio*, Galat. 3. & similia multa. 5. quia rei natura postulat, & narrationis ordo quem antè declarauimus. Quòd si aliter accipi sententiam oporteret, nẽpe pro esse simpliciter, fuisset dicturus Ioannes, καὶ ὁ λόγος ἦν σάρξ, non autem ἐγένετο, quemadmodum paulo antè dixerat, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, & similia. Non enim hîc de eo agitur quod iam tum erat Sermo, sed de eo quod tum primùm factus est, quum assumsit carnem in vnitatem personæ. Quod autem faciliùs inuentum iri hoc verbum dixerit pro eo quod est conuerti, hoc interpretis huius nostri paradoxis oportet deputari, qui ex vnius loci expositione particulari nõ dubitat de altero, quamuis in dissimili argumento, similiter concludere; & posita generali significatione verbi specia-

lem affirmare. Fieri enim, genus est: conuerti, species. Nō autem continuò speciem poni constat posito genere, vt hic videtur affirmare. Sequuntur deinceps absurda, quibus orthodoxa nostra doctrina tandem oppugnatur. Horum primum illud est quod in præfatione Samosatenus posuerat. *Christum vnicum verum Dei Filium, &c. hac doctrina tolli.* Si verum pro essentiali accipit, vt facimus, quid ampliùs oppugnat? si non, certè nos quoque sumus veri filij Dei, quicunque hoc ius a Patre accepimus credentes in nomen Christi, vt antè proximè enunciauit. Sed, vt ad rem, negamus hoc absurdum sequi: nec antecedens vllum est ex quo istius absurdi consequentia ostēdi possit. Nam quòd oppositionem statuit naturarum, & posita vna euerti putat alteram, id quàm ieiunū & puerile sit, iam sæpe ostendimus. Natura vna nō euertit alteram vnione personali in nobis: nam hac vnione persona humana constituitur. Itidem ergo in Christo natura personæ diuinæ alteram euertere dicenda nō est vnione personali. Sed ex Samosatenica illa proprietatum essentialium transfusione quæ absurda sequantur, ipsi viderint: nos quidem antè destrinximus. Secundum absurdum est, *totam Scripturam obscurari, vt nemo illam præisto Christo fictitio intelligat.* Negatur: nec probari potest. Nam ab Ecclesia orthodoxa semper ita fuit perspicuè intellecta inde a temporibus Apostolorum, & a nobis intelligitur pro demenso donationis Christi. Quòd si tecta est hæc doctrina nostra, aut ijs tecta est quibus nondum oculos dedit ad videndum Deus, & pro quibus supplices oramus Dominum vt oculos mentis ipsorum per gratiam illuminet, aut ijs quibus Deus huius seculi excæcauit mentes, ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Christi. Iniquè autem, immo iniquissimè vitiū tenebrarum & cæcitatis mentes humanas possidentis perspicuæ Scripturarū luci

adscri-

adſcribitur. Inepta fallacia eſt a non cauſa vt cauſa, quemadmodum vocatur vulgo. Quid enim? Solem ne dicar obſcurare, ſi lucem Solis cæco obiecero? Nec in Scriptura vitium eſt, nec in nobis, quod quidem hanc cauſam attinet; ſed in natiua & voluntaria hominum cæcitate, abs qua eos cupimus ſecundùm Deum liberari, noſtraque officia eis liberandis ex charitate offerimus. Tertium eſt: *hoc perpetuum fuiſſe & adhuc eſſe in Eccleſia contentionum ſeminarium, quod de iſtis naturis & de communicatione idiomatum* (Satanæ inuentum vocat) *exponitur.* Egregium argumentum, eiuſdem artis cum antecedente. Atqui vulgo dictum illud eſt veriſſimum, veritas odium parit. Veritas a Chriſto eſt, a Scriptura, a nobis: & miraris veritatem hanc a Satana, ab adminiſtris eius, a mundo, a cæcis (quorum ſemper magnus eſt numerus) oppugnari? an ergo malis taceri & diſſimulari veritatem propter odia agnaſcentia, quàm ad ſalutem credentium propalari? Aliter Ioanni præcipiebat Angelus, *Ne obſignaueris*, inquiens, *verba prophetiæ libri huius: tempus enim propè eſt. Qui nocet, noceat adhuc: & qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Hæc doctrina de duabus naturis in Chriſto & de communicatione idiomatum (cuius exempla in nobis ipſis perpetua ſunt, & in ſermone noſtro) non commentum Satanæ, ſed cruciamentum eſt, quia firmiſſimum eſt ſubſidium ſalutis noſtræ, quam inuidet Satan. Noſtrate dictum eſt, viro bono plus non eſſe pacis, quam per vicinum licuerit. Tandem te auctore & viros bonos, & veritatem tolli e medio oportebit, velut contentionum ſemina, ſi argumentationes iſtæ proceſſerint. Etſi quid multis opus eſt? in omnibus Eccleſijs, Germanicis, Helueticis, Gallicis de hac re contendi negamus: in nonnullis, minimè diffitemur: ſed dolemus, &

Apoc. 22.

gregem Christi ad sanctam pacem in vnitate spiritus colendam reuocamus. Qua fide bonis obijcis, quod operarij faciunt imprudentes aut mali? Quartum & postremum absurdum est, *non fuisse tacituros Apostolos, non ipsum Deum Patrem de hac doctrina nostra, & persona Christi.* Certè, nec tacuerunt, nec tacent: sed surdis canitur mysterium. Non tacuerunt Apostoli in Testamento nouo. Nam hoc ipsum est quod dicunt *Filium Dei factum esse ex muliere, ex semine Dauidis, Sermonem factum carnem, Deum in carne factum conspicuum*, & similia multa: quæ isti homines vtut circumagant, nunquam tamen effecturi sunt quin veritas ipsa sint, & secundùm veritatem ipsam a nobis rectè intelligantur. Non tacuit Deus in Testamento vetere: nam & per Mosem apertè ostendit, vt suprà segmento 3. demonstrauimus, & promisit Adamo & Patri-

Gen. 3. bus. Quum enim serpenti diceret, *semen mulieris conteret caput tuum*, audientem Adamum & Euam consolabatur, non de simplice aliquo homine, qui Satanam attriturus esset (nam homo victus, & prostratus quî fecisset? aut homo integer, si quis detur, Satanam quî vicisset tam nostro quàm suo nomine? cùm nec Angelorum iustitia & sanctitas transcendat personam ipsorum, vt de ea cum alijs communicent) sed Dei opus de Deo homine enunciat

Rom. 16. Christo Iesu, quem Apostolus notauit disertè dicẽs, *Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros citò.* Quum Abrahamo diceret, *& semini tuo*, Christum & ostendit præsentem secundùm diuinitatem, & promisit venturum secundùm carnem, & vnctum esse docuit symbolica confessione Patrum & typis legalibus, & Patres iussit in eum credere. Sic Isaaco, Iacobo, alijs. Solum tertium caput ad Galatas audaces istas affirmationes potest conuellere. *Abrahamo*, inquit, *dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus*, vt de multis

multis; sed vt de vno, & semini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico, pactionem priorem ratam factam a Deo reſpicientem in Chriſtum, Lex quæ poſt annos quadringentos triginta cœpit, non facit irritam, vt vanam reddat promiſsionem. Et paulo pòſt, *Concluſit Scriptura omnia ſub peccatum, vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* Hæc enim de omnibus promiſcuè dici qui ſub lege & ſub gratia, demonſtrat comparatio antecedentis membri, quum ait Apoſtolus, *Non igitur Lex addita eſt aduerſus promiſsiones? abſit. nam ſi data fuiſſet Lex quæ poſſet viuificare verè ex Lege eſſet iuſtitia.* Ex eo infert, non eſt autem data Lex quæ poſſet viuificare; igitur contrà concluſio facienda, Omnia ſub peccato Scriptura Legis concluſa eſſe, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus, tam qui ſub lege, quam qui ſub gratia. Crediderunt ergo, & fide Ieſu Chriſti, id eſt, quæ in Ieſum Chriſtum eſt, crediderunt. Poſſem ex alijs locis, præſertim ad Hebræos multa: ſed hæc in præſentia ſatis. Quòd itaq; concludit *lucem eſſe Chriſtum, neminem clariùs docere, nihil facilius tota eius doctrina,* verum eſt, vbi capacia ſubiecta ſunt, id eſt, oculos habētia. Nam quæ oculos habent, ea cum Nazianzeno ſemper confitebuntur ſe non poſſe vnum Deum cernere quin tres perſonæ circumfulgeant, non poſſe treis perſonas cernere quin videant & agnoſcant vnicam eſſentiam & maieſtatem Dei: at de Chriſto bino falſum eſſe commentum falsò obiectum teſtabuntur palàm, & nos apertè antehac confutauimus. Sequentia quàm ſint a vero aliena, Defenſionis 2. ſegmento 2. & alibi oſtendimus. Venio ad alterum interpretationis locum: in quo Samoſatenus ſtatuit etiamſi detur illa expoſitio verborum Ioannis, *Verbum eſſe factum carnem,* tamen *carnis* vocem non de ſubſtantia naturæ huius, ſed de qualitate abiectiſſima intelligi oportere, ad quam Chriſtus ſeipſum abijcerit. Negamus hoc

propriè significari carnis appellatione, & vllũ exemplum adferri posse interpretationis istius. Nõ id quidem negamus, carnis appellatione pro locorũ qui adducũtur natura etiã abiectionẽ maximam & conditionẽ miserã interdum (vt Scholastici vocãt) connotari: sed propriè semper notatur caro & persona carnea, velut subiectum istarum qualitatum quæ de supposito carneo prædicantur. Imperitè ergo nomen subiecti de puris accidẽtibus exponitur, vt accidẽtia sine subiecto cõstent, secũdùm nouã quamdam Logicã imaginariã. Deinde verò abiectionis personę Christi partes duæ a se inuicẽ turpiter dirimuntur, vt aboleatur persona diuina eius. Cùm enim abiectionis Christi partes sint duæ: vna, secũdùm quod persona diuina Christi sese inaniuit assumens carnem; altera, secundùm quod in carne submisit sese factus obediens ad mortem vsque
Philip. 2. crucis, vt optimè distinxit Apostolus; substantia tollitur personæ, & qualitates solæ ac perpessiones in hac interpretatione recensentur. Hæc autem duo reprehendimus apertè in hac expositione, & falsam esse propterea ostendimus, quòd Scripturis aduersentur. In hac autem enarrationis parte primũ Lectores pios obseruare velim, quisnam sit illius modus. Nam pro eo quòd Rhetores in causis turpibus aut falsis eos qui dicunt iubent inuoluendis & obscurandis rebus maximè occupari, ne verum queant auditores per inuolucra & velamenta cernere, hîc contrà huic interpreti vsuuenisse video: qui qua in re se explicare studuit, in ea se miserè implicarit, & tanquam in mæandro circuitionum repetitionumque oberrarit. Vix veritatem videas in sermone ita laborare, quia comes ipsi est simplicitas: præsertim verò in rebus sacris, de
1. Cor. 2. quibus verè prædicari illud potest, fidem nostram non consistere in sapientia hominum, sed in potẽtia Dei: proinde orationem in hoc argumento non ambitiosam, sed sim-

simplicem retinendam. Deinde verò dicta quædam incidunt singularia, quæ dissimulare non possum, ne fortè imprudentes eis decipiantur ad subuersionem suæ fidei. Primum est, quòd *Christum esse Verbum & Deum* proũnciat, neutrum essentialiter intelligit, sed communicatione gratiæ, per quam officio verbum est & dignitate Deus: Quas res iam antè satis refellimus. Secundum, quòd *eumdem esse innocentem dicit sine peccato, sicut & Adamũ creatum ad imaginem Dei:* quod verum quidem dictum est, sed non sufficiens. Aliter enim se habet in Christo innocentia, vacuitas peccati, & imago Dei, atque in Adamo: cùm in Adamo humana fuerint omnia, in Christo supra quàm humana, & in persona Filij Dei subsistentia: ex quo id consequutum est quod optimè dicebat Augustinus, potuisse Adamum nõ peccare, vtpote mutabilem; sed Christum, etiam in nobis, non posse peccare, vt qui diuina virtute sua sit immutabilis. Tertium, quòd *hoc ipsum esse dicit quod Paulo dicitur esse in forma Dei.* Nam forma Dei propriè essentialis est, eaque vnica: quæ si interire posset aut mutari, interiret aut mutaretur essentia. Nam cùm in simplicibus & ἀΰλοις (quæ sunt metaphysica) idem sit forma & id cuius est forma, quis de Deo simplicissimo aliud sentire possit? Christus autem, persona inquam Filij Dei est in forma Dei, & est æqualis Deo: ac proinde secundùm essentiam vnus est cum Patre & apud Patrem vnitate formæ siue essentiæ, secundùm personam verò est æqualis Patri. Hic autem noster de forma accidẽtali accipit, quæ potest adesse & abesse citra corruptionem subiecti: cuiusmodi forma in Deo nulla est, cùm sit essentia verè atque in totum simplicissima. Prætereà formam Dei interpretatur imaginem eius, vt in Adamo fuit: sed hanc interpretationem refellit planè oppositi mẽbri comparatio, vbi dicitur sese inaniuisse forma ser-

ui accepta, similis hominibus factus. Nam duo illa distinguit euidentissimè in Christo, quà homo, quæ iste inscitè confundit, formam essentialem, & similitudinem siue imaginem: quarum prior substantiæ, posterior relationis est, toto genere differentes. Taceo, quòd nusquam forma Dei in Scripturis sic potest accipi, aut vllo exemplo & auctoritate confirmari. Falsa igitur interpretatio, qua & formam Dei essentialem, & formam serui obscurauit, quum ad accidentia vtramque retulerit contra mentem Pauli & ordinem verborum ab eo institutum. Quartum, quòd narrat *post hanc vilitatem gloriam eius fuisse conspectam vt vnigeniti a Patre*, angustius quàm debeat. Nam etiam in ipsa vilitate gloriam eius Apostoli & pij conspexerunt, non illo solùm facto transfigurationis quam me-
2. Pet. 1. ritò extollit Petrus, aut inde a resurrectione, quod omnes Apostoli & Euangelistæ testantur, verumetiam toto vocationis curriculo, quum ex operationibus diuinis quas faciebat, & quas etiam diuinitus cum eis communicabat, gratiam illam vnionis non obscurè animaduerterent personæ diuinæ cum natura humana assumta, in ea, atque per eam operantis in vnitate personæ: quam
Ioan. 5. & 10. rem tum Iudæis aliquoties, tum discipulis non dubitauit exponere, quum ipsorum cor angustia occupa-
Ioan. 14 ret ne ad gloriam eius respicerent. Hoc verò non est alium Christum æternum ante Mariam & carnē ex ea assumtam confingere, sed eundem Christum colere verum Deum æternum, genitum, non factum, & hominem in tempore factum, non genitum, in vnitate personæ. Sed iam tempus est rationes eius, quas ad suam istam interpretationem formæ Dei, & formæ serui ac carnis confirmandam adfert, expendamus. Prima ratio. *Annon Paulo fuisset facilius loco formæ Dei dicere verum Deū & æternum?* quæ sequuntur, zelo præpostero dicit, quia iuuat homi-

hominem maledicere: nos iuuat benedicendo vincere. Quapropter omittamus. Quorsum ista? nam primùm hoc dicit per æquiualens: nam forma Dei vnica est, verus & æternus Deus: secundò pertinuit hoc ad commoditatem maximè oppositionis institutæ, quam Paulus ibi persequutus est grauissimè: postremò nego futurum fuisse facilius: nam formam Dei dicens (est autem vniuoca) omnia complectitur: sin verum & æternum Deum dixisset, subortus aliquis Samosatis aut aliunde partus obganniuisset verum quidem & æternum esse, sed tamen communicatione Deum. Sed ô acumen hominis. Forma Dei, inquit, dicitur æquiuocè: *in forma enim Dei tanquam Deus imperabat omnibus*, &c. Video iam te, mi homo, nec Græcè nec Latinè agere, sed Italicè: quapropter id a te addi oportuit, Forma Dei nostratibus Italis dicitur æquiuocè: sed vestras æquiuocatio est, catachresis vestra, Græcis, Latinis auribus inaudita. Hanc igitur æquiuocationem tuis proba qui nec Græcè nec Latinè sciunt: nam qui Græcè & Latinè scient, si boni sient, ab æquiuocatione ista abhorrebunt. Cætera verba sunt ad rauim vsque recantata, quæ antè refellimus: sed etiam millies palato quidem tuo repetita placebunt. Secunda ratio ex comparatione veteris Testamenti desumta est. *Vetere Testamento promittebatur, figurabatur, re non ostendebatur: in nouo natus, datus, demonstratus*, &c. Hoc iam antè sæpe confutauimus. Elenchus est duobus modis fallens, respectu substantiæ & modi. Nam substantia Christi consideratur aut secundùm personam simpliciter quà Deus, aut secundùm carnem assumtam, aut deniq; secũdùm totum personæ, ex quo Deus factus est in carne conspicuus. Modus autem duplex, ante carnem assumtam, & in carne, pro temporum ratione. Olim promittebatur figurabaturq; tum secundùm carnem, tum etiam se-

cundùm totum personæ Deus in carne conspicuus, Mediator noster, sed ita vt re ostenderetur secundùm personam diuinam, quà Deus, & a sanctis Patribus crederetur perciperetúrque: sic prius membrum ambiguum ex parte, & falsum est. In nouo autem Testamento natus est secundùm carnem, datus & demonstratus, & similia, secundùm totum personæ. Hæ res commodè distinctæ habent euidentiam: confusæ, magis ac magis ab ingenijs aliud agentibus conturbantur & damnosa obscuritate implicantur. Tertia ratio. *Eodem sensus vterq; redit*, &c. Negatur: nam prior interpretatio de substantia est personæ simpliciter, & ortu carnis a persona assumtæ: posterior de accidentibus quæ Filio Dei secundùm carnẽ contigerunt, & accidentibus varijs, quorum alia ad qualitatem personæ pertinent, alia ad actiones & perpessiones ipsius: ac proinde admirabilis etiam in posteriore hac interpretatione ponitur æquiuocatio, quum summa rerum genera in eadem vóce confunduntur præter iustam omnium sermonum legem. Naribus trahantur oportet qui istis interpretationibus tam inconsideratè acquiescunt. Etsi præterire non possum silentio, quod antè in nostris hominibus Samosatenus damnabat segmento 2. id hoc in loco ab ipso commissum esse, & varias vnius loci interpretationes ferri. Certè etsi id omnium est longè optimum quod est verissimum ac simplicissimum, veritas autem simplicitasque typum habent perpetuum suũ in Scriptura sacra, tamen duo ab infirmitate nostra nobis contingunt incommoda in Scripturis sacris, quamuis per se euidentissimis: vnum, quòd verum non ita peruidemus vt est opus, quia lucem habentes inchoatam solùm ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: alterum, quòd huic hæc veritatis pars a diuina luce tribuitur cognoscenda, & illi illa, vt charitatem & coniunctionem

1. Cor. 13.

nem inter nos ex nostræ tenuitatis & necessitatis conscientia in communione sanctorum discamus colere. Quapropter de errantibus miseranter, de aliud adferentibus prudenter, de omnibus amanter iudicandum, lucisq; diuinæ amplior reuelatio semper a Deo exspectanda expetendáque in Christo Iesu. Sed pergamus. Quarta ratio. *Sic doctiores Neoterici docent, præsertim Melanchthon*, cuius verba reliquo hoc in loco subiecta sunt. Primùm negamus hanc doctissimorum quorumque neotericorum interpretationem esse; & falsum esse res ipsa loquitur. Quid enim dicimus? a quibus accepimus? quibus adhæremus? nonne Neoterici quique (vt vocantur) cum Ecclesia orthodoxa prisca ex Scripturis sacris se hanc doctrinam hausisse profitentur? Deinde negamus hanc simpliciter esse Melanchthonis & mentem & interpretationem. Fallis duobus modis, Samosatene, qui & res coniunctas diuidis, & eas quæ per consequentiam hauriuntur statuis velut interpretationis caput. Quod si bona fide agere est, omnino in hoc misero seculo bonam fidem dixero perijsse. Diuidis coniuncta (vt nihil de posterioribus editionibus, quas tu dissimulas non omnino bellè pronunciem) quum dicta Philippi de incarnatione prætersilis, quæ autem sunt incarnationis consequentia ex eo accumulas. A prioribus metuis, ad posteriora confugis veteratorié. Nam in principio illius loci ita ait Philippus: *Mirari queas, cur cùm de ingressu Verbi in mundum anteà dixerit, non priùs etiam de incarnatione loquutus sit. Respondeo, quamquam de ingressu in mundum loquutus est tamen omnia quæ de eo dicta sunt, ad verbi potentiam, non ad infirmitatem carnis Christi referri debuerunt: quia caro Christi non illuminat, non viuificat, non renouat, &c. Ideò nunc tandem de incarnatione loquitur.* Hactenus interpretationis caput, vt antè appellauimus. Post sequitur πόρισμα,

quod tu velut caput arripis, cùm sit pes aut pedis articulus manans de capite, quum Philippus ait per μεῖζαση, *Sed & hoc apto ordine subiectum est: quia sicut in Christo verbum caro factum est, ita in nobis carnem fieri oportet: id demum est renasci, quoad verbum cogitatio humana tantùm est, non Filij Dei.* Hoc argumento πελσματος proposito, quò transit Philippus allegorica accommodatione quadam, instituit enarrationem illius respectu personæ Christi, vt capitis; & nostræ, vt membrorum eius. Quapropter dicit, *Porrò omißis philosophicis disputationibus de incarnatione*, &c. quæ Samosatenus hunc in locum intulit. In his autem verbis vides primùm incarnationem Sermonis statui, sed omitti certo consilio de ea disputationes; posteà verò transiri ad illam rerum necessariò ex carne consequentium accommodationem, quam tu abreptus studio non videris obseruasse. Nam quum ait, *ita breuiter sentio Ioannem ταπεινώσει capere Nasci*, de natiuitate piorum loquitur cuius antè meminerat dicens, *ex Deo nati sunt:* quum posteà subijcit, *vti quum ait, Verbum caro factum est, id est quod Esaias ait*, &c. accommodationem instituit nati Christi allegoricè cum natiuitate nostra. est enim hæc ἀπόδοσις institutæ similitudinis. Quemadmodum autem in simili intelligendo falsus es, sic etiam vocem ταπεινώσεως æquiuocè accipiens loco abuteris. Non enim hîc de reali humiliatione Christi, ac ne de Christo quidem Philippus in hac similis parte loquutus est, sed de verbali & Rhetorica figura, quam Seruius in Virgilium Aeneid. 1. sic explicat, *Apparent rari nantes in gurgite vasto* (pro eo quod est in pelago) *Tapinosis est*, inquit Seruius, *id est, rei magnæ humilis expositio. Prudenter tamen Virgilius humilitatem sermonis epitheto subleuat, vt hoc loco, vasto, addidit.* Tu autem, Samosatene, hæc omnia fortiter præterfiliens, non potes commodè argumentari a dicto secundùm

dùm quid, vt vocant, ad dictum simpliciter: neque hæc verba tua cuiquam bono, si iudicium adhibuerit, vnquam probaturus es. Atque eadem est omnium sequentium ratio, quæ tu ex Philippo adhibuisti mutila, vt libellum hunc tuum ementitæ auctoritatis specie & suffragio quasi extorto viri optimi concluderes.

Interpres alter, iudicio suo, limam accuratiorem adhibens, primùm de more negat Verbum Dei æternam personam diuinam esse, qua de re sæpius a nobis dictum: deinde aggreditur verbi Græci ἐγένετο interpretationem, & nominis *caro*. De vtroque in præcedentem diximus, atque hæc commenta refellimus. Postremò argumentis oppugnat nostram illam, *Verbum caro factum est*, interpretationem. Ea sunt duo, quæ expediemus paucis. Prius: *Si ita legatur, oportet hoc Verbum, antequàm veniret Iudæis suis prædicatum, carnem fuisse factum: at priùs venisse ad eos legitur hîc quàm sit caro factus. consequens igitur falsum.* Respondeo, verè falsum est consequens (neque enim ex antecedente conficitur) & falsa tota argumentatio. Nam vtrobique vitium est ex elenchi ignoratione, & verbi, *venio*, æquiuocatione. Priùs venerat ad Iudæos (vt Philippi verbis vtar) secundùm potentiam diuinitatis suæ: tum venit secundùm infirmitatem carnis: priùs venit sine motu, diuino modo: pòst venit, per generationem carnis & exhibitionem sui ipsius in carne, humano modo: venit humanitus, qui venerat & semper aderat diuinitus. Quid hac misera argumentatione facias? Posterius argumentum nihil est aliud quàm pura petitio principij, *supponi Filium Dei æternum, atque hoc falsum esse.* Sed hoc genus argumentationis ampliùs centies falsi reuicimus. Nec maioris momenti absurdum illud est quod ex eodem fonte profluit, *hac nostra doctrina de Filio Dei Scripturam vniuersam inuerti, & exponi contemtui.* Negatur: desideratur pro- M.S.

batio dicti, non adfertur vlla. Quum itaque adferetur, tum Deo volente viderimus. Etsi quoties confutata, conuicta, explosa hæc omnia?

Samosatenus. 14.

Et habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre.

Carnem *fieri est maledictum & peccatum fieri vt tolleretur maledictio in carne nostra. Ita quod ait, habitauit in nobis, significat hic quod Philipp. 2. dicitur, in similitudinem hominum factus, habitu inuentus vt homo: & Hebr. 4. habemus Pontificem tentatum per omnia: idque ita vt nouissimus hominum a Propheta vocetur.* Et vidimus gloriam eius. *Antithesin facit Ioannes: vt antè de humiliatione Christi, sic hic rursum de glorificatione loquitur. Gloria præter omnia miracula Christi, est resurrectio eius a morte, Ephes. 1. neque aliud miraculum aut opus Christi salutare nobis est præter hoc, vt Matth. 16. non dabitur eis signum, nisi Ionæ Prophetæ: & Rom. 10. Si in corde credideris quòd Deus eum suscitauit ex mortuis, saluus eris. Quid autem est credere resuscitatum a mortuis? regnare, vicisse mortem, & fregisse portas inferi, sustulisse peccatum, tueri nos, iudicaturum incredulos. Hæc gloria resurrectionis est, qua glorificat Christus omnes credentes sibi. Hæc Philippus Melanchthon: qui etiamsi tuetur Christum æternum incarnatum, tamen in expositione verborum Ioannis, Verbum factum caro, nobiscum consentit.*

M. S.

Et habitauit in nobis, & vidimus eius gloriam, gloriam quasi vnigeniti a Patre: plenus gratia & veritate.

Verbum *hoc per quod omnia facta sunt, quod manifestatum est Iudæis, & quod homo fuit, nempe Christus Iesus,*

nobiscum habitauit & cõuersatus est: qui quamuis huius mundi hominibus inglorius & contemptus fuerit, nobis tamen maximè gloriosus fuit. Nam vidimus illius miraculosam gloriam: erat enim plenus gratia & veritate in omni genere diuinarum virtutum. Nonne ex his verbis manifestum fit Ioannem hîc non intellexisse de illo æterno Filio (neque enim huiusmodi verba illi accommodari possunt) sed de illo visibili Dei Filio homine Iesu Christo? Et ad clariorem intelligentiam loci huius consideretur locus apud Lucam cap. 24. vbi legitur quòd Iesus Nazarenus fuit vir Propheta potens opere & sermone coram Deo & toto populo: vbi etiam ponitur dictio illa ἐγένετο *in ea significatione in qua ponitur hîc a Ioanne. Obseruanda est hîc præterea vox,* Vnigeniti: *hîc positam esse, primùm ad significãdum Christum extra rerum ordinem, hoc est, ex virgine natum esse: secundò propter excellentiam ac plenitudinem perfectionemque donorum spiritualium nullis alijs concessorum præterquàm vni Christo, de cuius plenitudine nos omnes accepimus: ipse enim immediatè a Deo omnia accepit, nos autem mediatè per ipsum: tertiò quòd Christus magis dilectus & charus Deo fuerit: quæ phrasis vsitata est in Scripturis. Hinc Dauid vocat Solomonem vnigenitum, quamuis multos haberet filios, Paralip. 29. Prouerb. 4. Item Genes. 22. vocatur Isaac vnigenitus, non tantùm quia solus & miraculosè natus esset, sed quia fuit a Patre vnicè dilectus. Hanc esse genuinam, quam attulimus, interpretationem agnoscent, qui diligenter perpendent cætera omnia quæ in Ioanne sequuntur. Sed, vt res clarior reddatur, exemplo agamus. Ad hunc modum se Ioannes hîc habet quemadmodum siquis metaphoricè scripturus Mosis historiam, quando Israeliticum populum ex Aegypto liberauit, ista diceret. In principio erat liberator (ab effectu enim libet liberatorem appellare) & liberator erat apud Deũ (dum scilicet adhuc mundo pro liberatore populi manifestatus nõ esset Moses) & Deus erat liberator (constitutus enim fuit Deus super Pharaonem) In po-*

pulo Israelitico erat, ac populus Israeliticus per ipsum liberatus fuit, & populus Israeliticus ipsum non cognouit (murmurauit enim contra ipsum Mosem, & volebat lapidare eum) & liberator fuit caro (id est, homo abiectus, humilis, ac contemptus) Nam mos Dei est exerere virtutes suas per viles, abiectos, ac contemptos homines, vt hac ratione illustrior eluceat ipsius gloria.

Orthodoxvs.

Ex antecedentibus Melanchthon persequutus cõsequentium interpretationem, quia de incarnatione: pluribus non statuerat dicere, hîc primùm summatim repetit quid carnem fieri significet, non propriè (est enim incarnari, quod antè nominauerat) sed κατὰ τὸ ἀκόλουθον, vt antè diximus, ex consequentia. Quapropter illud, *habitauit in nobis*, interpretaturus, vtramque simul apponit explicationem, propriam ex loco Philip. 2. & consectariam ex Hebr. 4. & Esai. 53. quæ omnia quid aduersum nos? Etsi detruncat Philippi verba: sed hoc quoque quid ad nos? De sequentibus iudicium idem. Hæc omnia sanctè a Philippo dicta, commodè accipi necesse est, non incommodè præter veritatem rei & sententiam auctoris detorqueri, aut primarijs interpretationibus secundarias, vt facit Samosatenus, adæquari. Sic enim audet concludere: nos vtrumque ex verbis & sententia auctoris cùm hîc, tum alibi perspicuè testata improbamus.

Secunda interpretatio omnino est eiusdem generis, quod antè confutauimus. Quòd autem æternum illum Filium Dei verum Deum homini visibili Dei Filio Iesu Christo opponit, serrã per eamdem (quod aiunt) lineam reciprocans, quàm ieiuna sit ac futilis hæc oppositio, antè demonstrauimus aliquoties: cùm persona sit vnica ex vtraque natura constans, quarum naturarum oppositio

ratione

ratione folùm, ac non re (quod hic facit) inftitui poteft. neque enim partis vnius pofitio remotio eft alterius, neque naturæ fimiliter: fed contrà pofita parte effentiali altera ponitur, & pofita natura effentiali vna, altera ponitur ex quo primùm cœpit effe in conftituendo fuppofito.

Locum Lucæ 24. miror vehementer ab homine arguto in hanc fententiam adductum effe. Bifariam peccat, dum eo abutitur. Nam primùm fermo eft hominum in fide titubantium, quorum cor rei nouitas inexfpectata & crucis fcandalum conturbauerat: vt increpatio Chrifti luculentiffimè oftendit, exclamantis, *ô carentes mente & graues corde ad credendum*, &c. Huiufmodi teftium fermoni fidem quis habeat? quis ex eo fermonem fuum firmare iure poffit? Deinde verò, quid fi eos dicamus nefciuiffe Chriftum? fic enim Samofatenus ipfe confirmat in exemplo fimili, fegmento 4. Poftremò, vt demus ratum haberi fermonem illorum oportere, quis non videt eodem relabi Samofatenum quò ante, & ex pofitione naturæ vnius inferre negationem alterius? *vir propheta eft: non igitur Deus.* Falfa eft oppofitio in eo fuppofito, quod per difpenfationem gratiæ Dei ex vtraque natura credimus & profitemur conftitutum. Nihil itaque hoc loco agitur. De voce ἐγένετο diximus fegmento præcedente.

Admiranda verò & profunda eft hominis iftius fapientia in voce *vnigeniti* exponenda. Vnigenitum enim hîc Chriftum tribus nominibus docet appellari, natiuitate extraordinaria, donorum excellentia, & dilectione fingulari Dei. Primam interpretationem negamus, quia a matre vninatus (fi ita loqui licet) vel vnicus natus diceretur: dicitur autem *vnigenitus*; & vt peruerfa hæc glofa in mentem cuiufquam venire non poffet, Spiritus fanctus addidit, *vnigeniti a Patre.* Immò, inquit ifte, vnigeniti a matre. Perge porrò, Samofatene, in hunc modum, & e-

mentire proterue verba veritatis, si quidem non loquens, sed latrans audire voles. Secunda & tertia interpretatio figurata est, prior metaphora, posterior metalepsi constans. Atqui nō est hîc figuræ locus: nam vetat sic nomen hoc accipi additamentum sequens, *a Patre*. hac determinatione apposita figuræ illæ tuæ excluduntur auctore Spiritu Dei. Tum quid hoc rei est? eamdem vocem eodem loco propriam & figuratam significationem habere simul? etiam figuratas complureis vario respectu eidem voci eodem loco accommodari sine vlla necessitate? Hoc nemo iustus Grammaticus aut Logicus fecerit: ne Rhetor quidem, sed testis aliquis fortasse comicus, aut ex ganea recens. Nunc abi, & roga numquis meliùs cum ratione insanire possit. Hanc quidem multiplicem copiam & flumen tuarum interpretationum minimè probant sequentia, neque vocis aut loci expositionibus (quas adfers) suffragantur. Restat exemplum, quo rem a se declarari dum Samosatenus putat, declarat infantiam suam, ne quid dicam grauius. *Ita est*, inquit, *quasi quum de Mose historiam aliquis hoc modo pertexuerit. In principio erat liberator*, &c. At primū vniuersè nego: nam exemplū est dissimile, quod manifestò euincitur Sermonis seu Verbi enarratione, quam suprà segmento 3. attulimus, & priùs ex Irenæo, Chrysostomo, alijsque docuimus. Secundò etiam negantur membra comparationis istius singula, & dissimilia esse ex ijs quæ antè singulos in locos annotauimus, demonstratur manifestissimè. Nam neq; illa est *principij* determinatio, neq; *esse apud Deum* vsquam hac significatione legitur, neque vox *Dei* simpliciter hoc sensu vsurpatur, neque modus essendi (vt ita loquar) idem est, nec denique omnia sequentia eodem respectu aut consimili prædicantur. Id res ipsa loquitur. Postremò infirmitatem huius ipsius exempli, quod nouus interpres tam

tam clarum esse pronunciat, arguit euidentissimè factum istud; quòd versus aliquot silentio præterit, quos institutæ narrationi suæ se accommodare nō posse commodè sentiebat. Quam rem si præstare aliqua ratione potuisset, an verò fuisset omissurus, quin exempli sui historici per omnia partibus partes narrationis huius exsultans gaudio conformasset? Quæ cùm ita sint, humanis commentis omnibus omissis, veritati Dei, quam nobis de Christo Filio suo, vero æterno Deo & vero homine, testificatus est, sanctè acquiescendum est, & in ea peruestiganda atque consequenda omnis labor religiosè consumendus, vt in illo æterno Dei Filio hîc viuentes atque morientes, immortalémque vitam beneficio eius illic consequuti Deum Patrem glorificemus æternum cum Filio & Spiritu sancto, qui Deus est vnicus benedictus in secula. Veni, Domine Iesu.

FINIS.

